Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiaedogmat0002fran

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

QUAM CONCINNAVIT

FRANCISCUS PATRICIUS KENRICK,

Episcopus Arathensis, *in partibus infidelium*, et Coadj. Ep. Phil.

VOLUMEN II.

"Non est de Deo humanis judiciis sentiendum. Neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit, quia nonnisi se auctore cognoscitur." S. Hilarius, l. v. de Trinitate.

PHILADELPHIÆ:

TYPIS L. JOHNSON, IN GEORGII VICO.

AN. MDCCCXL.

8764

Entered according to the Act of Congress, in the year 1840, by
FRANCIS PATRICK KENRICK,
in the Clerk's Office of the District Court of the Eastern District of Pennsylvania.



FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

INDEX.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

TRACTATUS IV.

TRACTATUS GENERALIS.

Proemium - - - - - - - - - - 1
Pars I. Theologia specialis.
C. I. De Deo - - - - - - - - 2
C. II. De divinis perfectionibus - - - - - - 5
C. III. De Dei voluntate - - - - - - - 11
Prop. Deus non operatur mala proprie et per se, sed permissive solum, - - - - - - - - 14
C. IV. De attributis moralibus - - - - - - 17
Pars II. Cosmologia.
C. unicum. De mundi creatione - - - - - - 22
Pars III. Anthropologia.
C. I. De hominis natura - - - - - - 28
C. II. De homine innocente - - - - - - 33
C. III. De peccato originis - - - - - - - 36
Prop. Adæ prævaricatio universæ ejus propagini nocuit, mors enim et peccatum inde in omne genus humanum transfusum est - - - - - - - - 40
Animadversio de B. Virginis conceptione - - 53
C. IV. De homine lapso - - - - - - - 54
Prop. Adæ peccato liberum hominis arbitrium non est amissum nec extinctum
Pars IV. Pneumatologia. Animadversio de operibus hominis lapsi - - 61
C. I. De Angelorum natura et dotibus - - - - 63
C. II. De Dæmonibus. - - - - - - - - 68
Prop. Impium est denegare veros dari dæmoniacos, - - 71

TRACTATUS V.

DE CHRISTO DEO.

Prænotanda - - - - - - - - - - 77
Hæresum de Christo brevis recensio - - - - - - - 77
C. I. De æterna Verbi generatione - - - - - 79
Prop. Verbum divinum, ὁ λογος apud Deum semper fuit, estque Filius a Patre genitus, ineffabili ratione, ex divinæ naturæ necessitate et essentia, et proinde verus Deus - 79
C. II. De Jesu Christi divinitate - - - - - - 90
Prop. Jesus Nazarenus, qui dicitur Christus, verus est Deus, Patri consubstantialis - - - - - 92
Probatur. I. ex Scripturis, quæ Dei nomen ei passim tribuunt, nullo dato indicio illud ei haud stricte convenire 92
Probatur II. ex Judæorum sensu, quem Christus, quin correxerit, plane confirmavit - - - - - 96
Probatur III. ex Dei Patris testimonio pluries dato - 98
Probatur IV. ex testimoniis quæ divinam naturam Christo Jesu adsignant - - - - - - - 98
Probatur V. ex testimoniis quæ Dei perfectiones et opera divina Jesu Christo tribuunt - - - - - 99
Probatur VI. ex Petri et fidelium omnium professione Christum esse Filium Dei, quæ de filio naturali et consubstantiali necessario est intelligenda - - - - 101
Probatur VII. testimoniis quæ Jesum Christum adorandum commendant - - - - - - 102
Probatur VIII. miraculis Jesu Christi, quæ et multitudine, et splendore, et ratione simplicissima, qua patrata sunt, rerum Dominum, propria potestate et arbitrio agentem, plane denotant - - - - - 103
Probatur IX. titulis quos Christus sibi vindicavit - - 103
Probatur X. ex jure quo se vitam æternam largiturum dicit 103
Objectiones, - - - - - - - 104
C. III. De fide Ante-Nicæna - - - - - - 120
Prop. Fides de Christo Deo, Patri æquali, ejusdem quippe substantiæ, viguit ante concilium Nicænum, - - 120
Probatur I. Conciliorum auctoritate - - - 120
Probatur II. Patrum testimoniis - - - - 121
Probatur III. Ex Symbolis quæ recitari consueverant solemniter ante concilium Nicænum - - - - 123
Probatur IV. martyrum testimoniis - - - 125
Probatur V. ex hæresum damnatione - - - 126
Probatur VI. ex hostium fidei testimoniis, - - 127
Objectiones - - - - - - - 127
C. IV. De Justini sententia - - - - 133
Propositio. Justini ætate Jesus Christus filius Dei, verusque Deus, ejusdem scilicet cum Patre substantiæ, in universa Ecclesia ex constanti majorum fide, agnitus est - 133
Objectiones - - - - - - - 135

C. V. De primæva fide - - - - - - - 140
Propositio. Ab Apostolorum temporibus constanter creditum est Christum esse Filium Dei, verum Deum, ejusdem ac Pater numericæ substantiæ - - - 140
Probatur I. ex baptizandorum vetustissima professione - 140
Probatur II. ex Patrum scriptis - - - - 140
Probatur III. Martyrum testimoniis - - - 143
Probatur IV. ex hæresum divinitati Christi adversarum damnatione - - - - - - - 144
Objectiones - - - - - - - 144
Animadversiones - - - - - - 148

TRACTATUS VI.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Proemium - - - - - - - - - - 151
Dogmatis Expositio - - - - - - - - - 152
Hæresum recensio - - - - - - - - - 152
Dogmatis Rudimenta - - - - - - - - 154
Definitiones - - - - - - - - - - 156
C. II. De Spiritu Sancto - - - - - - 158
Propositio. Spiritus Sanctus per se subsistit, a Patre et Filio vere distinctus - - - - - - 159
Objectiones diluuntur - - - - - - 160
C. II. De divinitate Spiritus Sancti - - - - - 165
Propositio. Spiritus Sanctus verus est Deus, ejusdem ac Pater et Filius substantiæ, idem Deus - - - 165
Probatur I. ex Scripturis - - - - - 165
Probatur II. ex traditione divina - - - - 168
Objectiones diluuntur - - - - - - 169
C. III. De tribus in Deo personis - - - - - - 175
Prop. Sunt in una Dei essentia tres personæ a se invicem distinctæ - - - - - - - 175
Probatur I. ex Scriptura - - - - - 175
Prob. II, ex traditione quam Patres testantur - - 176
Objectiones diluuntur - - - - - - 179
C. IV. De versiculo Joannis - - - - - - 190
C. V. De processionibus divinis - - - - - - 198
Controversiæ de Spiritus Sancti processione relatio - 199
C. VI. De vocibus Theologicis - - - - - - 202

TRACTATUS VII.

DE REDEMPTORE.

Prænotanda - - - - - - - - - - 205
C. I. De Redemptoris expectatione - - - - - 206

Prop. Redemptor homini lapso promissus est, et fidelium expectatione perpetuo celebratus - - - - - 206
Objectiones diluuntur - - - - - - 211
C. II. De Redemptoris natura humana - - - - 214
C. III. De partu virgineo - - - - - - 218
Prop. Christus e virgine conceptus est et natus, Spiritus Sancti opera, et salva matris integritate virginali - - 218
Objectiones diluuntur - - - - - 220
C. IV. De Persona Christi - - - - - - 225
Prop. Verbum, Dei Patris Filius, humanam assumpsit naturam, ita ut unica Verbi Persona utramque naturam, divinam et humanam, haberet - - - - - 225
Objectiones - - - - - - 227
C. IV. De Duabus in Christo naturis - - - - 229
Prop. In Christo duæ sunt naturæ integræ et perfectæ, divina scilicet et humana - - - - - 230
Objectiones - - - - - - 231
Consectaria - - - - - - 233
C. V. De peccatorum expiatione - - - - - 235
Prop. Christus Jesus sua morte hominum peccata vere expiavit 236
Probatur I. ex Scripturis - - - - - 236
Probatur II. ex constanti omnium sæculorum a Christo traditione - - - - - - - 239
Objectiones - - - - - - 240
C. VI. De Piaculari Sacrificio - - - - - 243
Prop. Christus, seipsum piacularem victimam offerendo, sacerdotio vere functus est - - - - 243
Objectiones diluuntur - - - - - 244
C. VII. De Christi satisfactione - - - - - 246
Prop. Satisfactio Deo vere præstita est a Christo ob hominum peccata - - - - - - 247
Objectiones diluuntur - - - - - 247
C. VIII. De morte Christi pro omnibus - - - - 250
Prop. De fide est Christum pro aliorum præter prædestinatos æterna salute mortuum fuisse - - - 251
Objectiones solvuntur - - - - - 253
Animadversiones - - - - - 256
C. IX. De Christi adoratione - - - - - 258
Prop. Uno eodemque supremo latriæ cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, cum quo est hypostatice conjuncta - - - - - 258
Objectiones - - - - - - 260

TRACTATUS VIII.

DE GRATIA CHRISTI.

Prænotanda - - - - - - - - - 263

Vocum explicatio - - - - - - - - - 263
Pelagianæ hæresis brevis relatio - - - - - - - 264
C. I. De Gratiæ necessitate - - - - - - 266
Prop. Ad quemlibet actum salutarem, etiam ad fidem, præveniens Spiritus Sancti inspiratio, atque ejus adjutorium requiritur - - - - - - 267
Probatur I. ex Scriptura - - - - - - 267
Probatur II. ex Patribus - - - - - - 269
Objectiones solvuntur - - - - - - 270
Animadversiones - - - - - - 274
C. II. De gratuita gratiæ natura - - - - - - 277
Semipelagianorum errores - - - - - - 277
Prop. Ad initium fidei, et ad quamcumque salutarem cogitationem, illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti est necessaria 279
Objectiones diluuntur - - - - - 280
Nullo hominis merito nititur gratia - - - 282
C. III. De Gratiæ efficacia - - - - - - 286
Errorum recensio - - - - - - 286
Theologorum sententiæ - - - - - - 288
Prop. Dogma fidei est sub gratia efficaci intactam manere libertatem arbitrii, nullamque absolutam induci necessitatem 290
Objectiones diluuntur - - - - - - 293
Animadversio - - - - - - - 297
C. IV. De gratia sufficiente - - - - - - 298
Prop. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur 299
Objectiones diluuntur - - - - - - 301
Animadversiones - - - - - - - 304
C. V. De gratia sanctificante - - - - - - 307
Prop. Justificatio veram peccatorum deletionem indicat, et gratiam et charitatem, quæ in corde per Spiritum Sanctum diffunditur, eique inhæret, secum fert - - 308
Objectiones solvuntur - - - - - - 310
C. VI. De dispositionibus ad justificationem - - - 314
Prop. Sola fide impius non justificatur - - - 316
Objectiones - - - - - - - 317
C. VII. De Fide justificante - - - - - - - 321
§. I. De fiducia peccatorum remissionis - - - 321
Prop. Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est illa fiducia divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, qua quis credit certo, et absque ulla hesitatione propriæ infirmatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa 322
Objectiones - - - - - - - 323
§. II. De fiducia electionis - - - - - 325
Prop. Fides justificans non est certa persuasio se esse in numero prædestinatorum - - - - - - 326
Objectiones solvuntur - - - - - - 328
C. VIII. De justitiæ certitudine - - - - - - 331
Prop. Nemo scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum - - 332
Objectiones - - - - - - - 333

C. IX. De justitiæ amissione - - - - - 337
§. 1. De peccandi possibilitate - - - - 337
Prop. Homo justificatus potest peccare, et gratiam amittere 339
Objectiones - - - - - - 341
§. I. De Fide absque justitia - - - - 342
Prop. Fides vera manere potest, et reapse sæpe manet, amissa peccato justitia et gratia - - - - 342
Objectiones diluuntur - - - - - 344
Animadversiones - - - - - - 346
C. X. De justitiæ perfectione - - - - - 347
§. I. De præceptorum observatione - - - 347
Prop. Nulla Dei præcepta justis volentibus et conantibus sunt ad observandum impossibilia - - - 348
Objectiones - - - - - - 350
§. II. De peccatis venialibus - - - - 352
Prop. Homo justificatus non potest in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio 353
Objectiones diluuntur - - - - - 354
§. III. De justitiæ augmento - - - - 355
C. XI. De perseverantia - - - - - - 357
Prop. Absque speciali Dei auxilio justificatus in accepta justitia perseverare non potest - - - - 357
Objectiones diluuntur - - - - - 358
Animadversiones - - - - - - 360
C. XII. De bonorum operum merito - - - - 361
Prop. Bona justorum opera, quæ per gratiam Dei et Jesu Christi meritum fiunt, vere merentur vitam æternam - 362
Objectiones - - - - - - 364
Animadversiones - - - - - - 366
C. XIII. De libertate ad merendum necessaria - - - 368
Prop. Ad meritum, sicut et ad demeritum, requiritur etiam in statu naturæ lapsæ, libertas a necessitate, nec sufficit libertas a coactione - - - - - 368
Objectiones - - - - - - 370
Animadversiones - - - - - - 372
C. XIV. De Bonis operibus specialibus - - - - 374
§. I. De Oratione - - - - - 374
§. II. De jejunio - - - - - - 378
Prop. Jejunium bonum opus est, cælesti munerandum mercede, et ideo rite ab Ecclesia præcipitur - - - 379
Objectiones solvuuntur - - - - - 381
Animadversiones - - - - - - 386
§. III. De Eleemosynis - - - - - 387
Appendix - - - - - - - - 391
Baji propositiones - - - - - 392
Propositiones ab Alexandro VIII. damnatæ - - 398
Propositiones Quesnelli - - - - - 399
Animadversiones - - - - - 406

ERRATA.

p.	linea	pro	lege
8	penult	œ	æ
23	7		vi ante *vocis*
23	20	ם	ם
24	6 ab imo	est	et
199	22	*noti*	lege *moti*
197	5	*necimus*	lege *nescimus*
202	Caput IV.		Caput VI.
261	hæs erat		hæserat

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TRACTATUS IV.

TRACTATUS GENERALIS.

PROŒMIUM.

Revelationis documentis statuis, quid revelatum sit jam occurrit inquirendum. De Deo imprimis agendum est, ut noscatur quid de se revelaverit, antequam ad ejus opera investiganda, luce eadem præfulgente, progrediamur. *Theologia* proprie dicitur *sermo de Deo*, quamvis plerumque eo nomine intelligatur de rebus divinis quibuscumque tractatus. Placuit autem vocem strictiori sensu, quo et a Veteribus est adhibita, hic usurpare, de Deo ejusque perfectionibus sermonem instituris. De Trinitatis Mysterio eo sub nomine agere liceret; sed quum ea quæ ad Christum pertinent, ad illius probationem scitu sint maxime necessaria, visum est differendum, ut plenius et accuratius de eo disseratur. Conditum a Deo orbem, Mose docente, didicimus, ideoque de mundi origine duximus secundo loco agendum, *Cosmologiæ* vocem a Græcis mutuati. De homine, rerum domino a Deo constituto, deinde tractabimus, ut quid de ejus natura, conditione, et fine, revelatum sit, pandamus; qualis a Conditore prodierit, et qualis deinceps sua culpa factus sit. *Anthropologia* idcirco nuncupabitur tertia hujus tractatus, quem aggredimur, pars. *Pneumatologia* claudet tractatum, de *Spiritibus* scilicet sermo; revelatione enim edocti sumus esse spiritus cælestes, quorum dotes et fata nosse oportet. *Tractatum Generalem* hunc designamus, quia de Deo rebusque creatis universim agimus, ut totam divinam de hominis salute œconomiam deinceps enucleatius explicemus. Plures idcirco quæstiones de Dei scientia, voluntate, et decretis, quæ in tractatu *de Deo* solent agitari, consultò prætermimus, eas, quatenus oportere visum fuerit, alias investigaturi.

PARS I. THEOLOGIA SPECIALIS.

C. I. DE DEO.

1. De Deo quid ipso revelante didicerimus sumus traditurі. Novimus valida argumenta Numinis Supremi ubique in rerum natura præsto esse, quæ insignes auctores passim explicant, *Atheos*, qui Deum negant, omni telorum genere obruentes :[1] sed Theologi munus præcipuum est revelatam proponere veritatem. Equidem, uti Apostolus monet, " multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime in diebus istis locutus est nobis in Filio."[2] Cæterum et sacri Scriptores Dei opera sæpe appellant,[3] utpote potentiæ summæ et sapientiæ præclarissima testimonia: " Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum."[4] Hæc Numinis indicia nec ipsos latuere Ethnicos, eos præsertim qui ingenio floruerunt et litteris ; ex ordine enim mundi sapientiam et potentiam Conditoris agnoverunt, quamvis popularibus superstitionibus se abripi plerumque passi sint: meritò idcirco ab Apostolo increpiti : " Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum."[5]

2. Non autem argumentis naturalibus Deum existere probamus, ut, hoc jacto fundamento, viam revelationi struamus ; sed eum existere credimus fide divina, quia se revelavit: " accedentem enim ad Deum oportet credere quia est."[6] Jure tamen optimo Athei, qui Deo revelanti non credunt, aliis rationibus refelluntur, scilicet quod orbis spectabilis eum demonstret, et humani generis constans et universalis traditio et sensus agnoscat Numen, licet quale sit plures ignoraverint.

3. Illa quidem Dei notitia prima fuit, quæ ex ejus revelatione est derivata, statim enim homini condito se manifestavit: qua postea, homine

(1) Fenelon de l'existence de Dieu c. i. ii. Clarke on the existence of God. Pensées de Paschal, ch. i. and vii.

(2) Heb. 1. i.

(3) Vide Jacquelot sur l'existence de Dieu, ch. i.

(4) Ps. xviii.

(5) Rom. i. 18.

(6) Heb. xi. 6.

peccante, obscurata, res omnes creatæ conditoris et arbitri supremi potestatem adhuc testatam fecerunt, peccatoremque invitum ad Numen agnoscendum revocarunt. Cæterum illustrior fuit ac certior quæ ex Deo loquente habebatur notitia, quam quæ ex orbis spectabilis contemplatione: "Humana autem anima rationalis est," animadvertit idcirco Augustinus, "quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibilia niteretur."[1]

4 Quæ ex rerum natura, vel ordine deducta argumenta certam Dei notitiam ingerunt, fidei divinæ non officiunt, nam, uti recte docet S. Thomas "nihil prohibet illud quod secundum se demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipi, ut credibile, qui demonstrationem non capit."[2] Ii ipsi qui demonstrationum harum vim maxime sentiunt et urgent, fide tenere possunt Dei existentiam, ob ejus revelationem, qua affulgente etiam quid de ipsius natura sentiendum sit rectius et clarius norunt, quamvis in hac vita, eodem Angelico doctore post Augustinum monente, quid non sit, potius quam quid sit, intelligere datum sit.

5. Audent Athei Deum denegare, quia oculis non subjacet, et rerum infinitam seriem sibi fingunt, ita ut unius corruptio sit alterius generatio, natura, uti aiunt, juxta infinitas combinationum varietates, perpetuò mutata, quin pereat. Cæterum ipsæ materiæ mutationes, quæ quotidie eveniunt, ostendunt eam haud esse necessariam, nec unquam potuisse existere, nisi aliena virtute. Affinitates autem et combinationes ad causam eandem, ex qua ipsa materia prodiit, necessario referendæ sunt: nec aliquis facile sibi persuaserit pulcherrimum et constantem rerum ordinem inde provenisse, nisi Ens summe sapiens singula ad suos fines, omnia etiam ad finem generalem direxisset. Infinita præterea series absurdum sonat, quæ enim quotidie eveniunt rerum vices, generationes et productiones, seriem augent, quæ proinde infinita non erat: repugnat etiam ut ex finitis numeris infinitum exurgat.

6. Unum se esse, imo unicum, Deus per sacros Scriptores sæpius testatus est. Plurali quidem voce אֱלֹהִים designatus est initio Geneseos, et alias sæpissime; sed trium personarum in una natura divina mysterium ea ratione innuitur, naturæ unitate verbo singulari, quod semper sequitur, indicata. Moyses idcirco populum Israeliticum monere non desiit Deum unicum esse, quod et Deum ipsum testantem exhibet: "Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me."[3] Id etiam constanter in Novo Testamento traditum est.[4]

7. Quæ de duobus principiis supremis, bono scilicet et malo, docuit tertio Ecclesiæ sæculo Manes, ab antiqua Orientalium Philosophia desumpta sunt,

(1) l. iii. de lib. arb.
(2) Sum. 1. p. qu. ii. art. II. *Ad primum.*
(3) Deut. xxxii. 39.
(4) Marc. xii. 28.

ut *mali* originis redderetur ratio, nec enim intelligere valuerunt quomodo ad optimum Ens referri posset, ideoque luctam inter duo Entia suprema sibi finxerunt. Cæterum divini Numinis unitas, aperte in Scripturis tradita, singularis prorsus est, et omne aliud principium necessariò excludit: quæ autem in mundo sunt mala ad causas quæ ipsius providentiæ subjacent referenda sunt, uti postea videbimus. Equidem "Deus hujus sæculi" "et princeps hujus mundi" diabolus vocatur,[1] eo quod ei inserviant homines carnales.[2]

8. *Polytheismus* latius olim invaluerat, adeo ut Hesiodus, testante Eusebio, triginta et amplius Deorum millia recensuerit.[3] Cæterum primariæ revelationis de unico Deo vestigia videre ubique erat, colebatur enim Deorum hominumque Pater, ita ut plerique dii sensu minus proprio dicerentur.[4] Jam vero toto fere orbe unius Dei cultus viget, adeo ut vix necesse sit eum inculcare: "Non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum."[5]

9. *Essentia divina in ipsa existendi necessitate haud immerito ponitur.* Moysi enim postulanti a quo se missum diceret, respondit Angelus, Dei gerens personam: "Ego sum qui sum" אהיה אשר אהיה.[6] "Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos." אהיה שלחני. Ea igitur habenda est Dei notio aptissima, quod a se ipso sit, vi suæ naturæ et essentiæ. Cætera omnia ex voluntate ipsius esse cæperunt; ipse semper et necessariò est, adeo ut nihil esse potuerit nisi ipse esset: "quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia."[7] Accurate idcirco dicit S. Joannes Damascenus: "videtur inter Dei nomina primas tenere Qui est, totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, velut quoddam essentiæ pelagus, infinitum et interminatum."[8] *Vivere* pari ratione dicitur, quippe ipse vitæ fons est: "Vivo ego, dicit Dominus."[9] "Ipse dat omnibus vitam."[10] "Habet vitam in seipso."[11]

(1) II. Cor. iv. 4. Joan. xii. 31.

(2) D. Thom. 1 p. q. lxv. a. 1.

(3) L. v. Præp. Ev. c. xv.

(4) Vide S. Thomam l. i. contra gentes c. 2. Cudworth etiam in *Systemate intellectuali mundi* c. 4.

(5) Heb. viii. 11.

(6) Exod. iii. 14.

(7) Rom. xi. 36.

(8) L. iv. de fide c. xii. "C'est pour ainsi dire dégrader l'être par excellence que de croire avoir besoin d'ajouter quelque chose quand on a dit, qu'il est . . . L'Etre est son nom essentiel, glorieux, incommunicable, ineffable, ignoré de la multitude." Fenelon de l'existénce de Dieu II. p. ch. v.

(9) Jer. xxii. 24.

(10) Act. xvii. 25.

(11) Joan. v. 26.

10. Præcipua nomina quæ Deo in Scripturis tribuuntur, sunt יהוה, nomen tetragrammaton, quod Judæi proferre præ reverentia non audebant; אלהים, quod de Angelis etiam sæpe usurpatum est, imo et de prophetis, judicibus, et sacerdotibus; ארני de homine aliquando singulari numero dictum; אל, *Fortis*, שדי *Omnipotens*.

C. II. DE DIVINIS PERFECTIONIBUS.

11. Infinita Numinis perfectio, quæ ex ipsa existendi necessitate consequitur, passim in Scripturis prædicatur: "Magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus."[1] "Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.[2]" Infinitas autem concipi nequit, nisi tamquam negatio limitationis in essentia divina.[3] *Spinoza*, Judæus, Amstelodamensis, sæculo decimo septimo medio docuit rerum universitatem esse Deum, *Eleaticorum* Philosophorum cum Xenophane dogmate resuscitato. *Pantheismus* vocatus est, eo quod Dei nomine omnia recensentur, proinde ac si tota rerum congeries divina foret substantia. *Schelling* aliique inter Germanos idem dogmatis monstrum variis rationibus foverunt. *Infinitheismus* apud aliquos audit: *autotheismus* etiam, quum Deus non sit nisi *ego absolutum* et individuale *seu personale sublimatum*. *Sansimoniani*, qui in Galliis ante paucos annos orti sunt, progressum humani generis ad perfectionem status socialis prætexentes, Deum nonnisi nomine tenus agnoscunt, eum a rerum universitate haud distinguentes.[4] Socinus Pantheismi notatus est, sed Unitarii hodierni divinas perfectiones celebrant.[5]

12. Quot absurdis scateat *Pantheismus* luculenter ostendit Samuel Clarke. Equidem qui omnia Deum esse dicit, quem voce fatetur, reipsa negat: nam rerum perpetuæ vices ostendunt eas non esse necessarias, vel perfectas, earumque discordia obstat ne eadem habeantur substantia. Gratis omnino, et contra ipsam rerum evidentiam, infinita fingitur causarum series, et toti rerum congeriei intellectus tribuitur, quo pleræque carent. Ens igitur necessarium et sapiens, a quo cætera condita sunt et reguntur, ab illis distinguatur necesse est. Deus quidem "ipse est in omnibus"[6] vel si placeat τὸ πᾶν ἐστι αὐτός, 'ipse est omne,'[7] quia nihil nisi eo volente exis-

(1) Baruch iii. 25.

(2) Ps cxliv. 3.

(3) Suarez l. ii. de Deo c. i.

(4) Vide Perrone Tract. de Deo, p. ii. c. i. n. 237.

(5) "Our reason tells us that there can be but one God, one infinitely perfect Being." Unitarian Miscellany, vol. I. p. 12. "His attributes are infinite." p. 160.

(6) Eccl. xliii. 29.

(7) Grotius legebat αὐτὸς "omne est ipsius."

tit, "in sermone ejus composita sunt omnia;"[1] "ipse enim omnipotens super omnia opera sua."[2] Ob rerum originem, et conservationem "ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia."[3] "Ipsius enim et genus sumus,"[4] ideoque non longe est ab unoquoque nostrum: "In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus."[5] Hæc ostendunt nos vitam et motum ab ipso derivare, nec tamen divinam substantiam nos esse. Omnia igitur a Deo ortum habuerunt, et pendent; nec ulla perfectio in rebus creatis reperitur, quæ eminentiori quodam modo in ipso non sit: nec tamen ea qua sese exhibet in creaturis forma,[6] hæc enim Ens summum dedecet. Accurate pro more Angelicus doctor: "Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo, secundum eminentiorem modum."[7]

13. Divinæ perfectiones mentis nostræ cogitatu recte distinguuntur; justitia enim alia ratione concipitur ac misericordia: sed quum Dei essentia simplicissima sit, nam "Spiritus est Deus,[8]" nulla inter ipsas *realis* existit distinctio. Gilberti Porrhetani Episcopi errores hac in re, curante Sancto Bernardo, in Concilio Rhemensi damnati sunt, quos facunde pro more refutavit: "Recedant a nobis, carissimi, recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem qua bonus; sed et sapientiam, qua sapiens; et justitiam, qua justus; postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant."[9] Scholarum disceptationes prætermittere juvat, quum dogmata propugnare nostrum sit, haud Scholasticum tractatum componere.

14. Spiritualis Dei natura ex supra allato testimonio Christi liquet, cui consonat Apostolus: "Dominus autem Spiritus est."[10] Utroque loco ea vocum vis manifestò est ut Spiritus strictissimo sensu accipiatur: quod et ratio comprobat; repugnat enim ut Ens necessarium et æternum, quod sibi est ratio sufficiens existendi, ulla ratione compositum habeatur. Hinc Irenæus, recensitis Gnosticorum de Deo figmentis, quibus variæ ex ipso emissiones cogitabantur, eique humani tribuebantur affectus, animadvertit: "Si autem Scripturas cognovissent, et a veritate docti essent, scirent utique quoniam non sit Deus, quemadmodum homines; et non sic cogitationes ejus, quomodo cogitationes hominum. Multum enim distat omnium Pater ab his quæ proveniunt ho.. inibus affectionibus et passionibus, et simplex et

(1) Eccl. xliii. v. 28.
(2) v. 30.
(3) Rom. xi. v. ult.
(4) Act. xvii. 28.
(5) Ib.
(6) *Eminenter*, non tamen *formaliter*, juxta Scholarum usum.
(7) Sum. 1. p. qu. iv. Art. II.
(8) Joan. iv. 24.
(9) S. Bern. serm. 80 in cant. n. 6.
(10) II. Cor. iii. 17.

non compositus, et similimembrius, ὁμοιόχωλον et totus ipse sibimetipsi similis, et æqualis est totus, cum sit sensus et totus spiritus."[1]

15. Quæ in Scripturis de Deo, humano modo, dicuntur, per ἀνθρωποπάθειαν, nonnullis præbuerunt occasionem ei corpus tribuendi; cujus ad exemplar corpus humanum conditum cogitarunt, sæculo quarto, monachi quidam Ægyptii, *Anthropomorphitæ* idcirco dicti, *Audiani* verò a S. Epiphanio, ab Audio quodam in Mesopotamia. Cæterum ex iis quæ Moses jussit de imagine nulla Numinis sculpenda, non enim quidquam viderant quando in Sinai monte lex est tradita, liquet Dei naturam non esse cuilibet rei creatæ similem, vel sensibus subjectam.[2] Quod igitur ad ejus imaginem homo sit conditus, de anima intelligendum est, quæ Deo assimilatur aliquatenus, spiritali natura, intellectu, et libero arbitrio, sicut etiam principatu illo quem in animantia exercet: "excellit autem homo omnia animalia, quantum ad rationem et intellectum; unde secundum intellectum et rationem, quæ sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei."[3] Oculi autem tribuuntur Deo, ut scientiam qua omnia scrutatur perspectam habeamus; aures etiam parem ob rationem, et ut voluntas ejus in famulorum suorum preces proclivis exhibeatur; manus sunt creationis et adjutorii divini symbolum: brachium potentiam ejus denotat, pedes majestatem ejus et supremum in res omnes dominium. Mirum est Rationalistas a placitis Anthropomorphitarum non abhorrere. Rosenmüeller ipse non veretur quærere: "Quam autem numinis formam ac speciem effingunt homines, præterquam suam?"[4] Optime Augustinus: "Cogitatio quippe turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri."[5]

16. *Invisibilis* Deus in Scripturis prædicatur, utpote simplicissimus spiritus: "Regi sæculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria."[6] Et alibi: "quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest."[7] Christus etiam ait: "non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit patrem."[8] Quæ igitur de Deo viso in Scripturis veteribus narrantur, de Angelo vices ejus gerente intelligenda videntur. Re quidem vera Osee Angelum designat,[9] quem Deum vocavit Moyses,[10] illum, scilicet, qui cum Jacob luctatus est; et Stephanus Angelum[11] vocat illum ipsum qui se Ens

(1) l. II. adv. hær. c. xvi. Tullius ipse dixit: "Nec verò Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno." Tusc. qu. l. i. c. xxvii.

(2) Deut. iv. 15. Isaiæ xl. 18. Rom. i. 23.

(3) D. Thom. Sum. 1. p. qu. iii. art. I. Ad secundum.

(4) Scholia in Gen. i. 26. laudat etiam Heyne, Gablerum, et Schott.

(5) l. xii. de Trin. c. 7.

(6) 1 Tim. i. 17.

(7) Ib. vi. 16.

(8) Joan. vi. 45.

(9) Osee xii. 3.

(10) Gen. xxxii. 30.

(11) Act. vii. 30.

descripsit[1] "apparuit illi in deserto montis Sina Angelus——dicens: Ego sum Deus patrum tuorum." Mira quidem familiaritas exhibetur: "ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt."[2] Hæc indicant Moysi objectam fuisse speciem quandam, et claras fuisse revelationes, iis quæ per somnia vel mentis visiones fiebant longe manifestiores: sed alia testimonia suadent non ipsum Deum visum. "Moyses," inquit Augustinus, "vidit nubem, Angelum; vidit ignem; omnis illa creatura est: typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat."[3] Quod autem Justinus aliique Patres Filium visum Patriarchis censuerint, per Angelum ejus personam gerentem contigisse censendum est: ipse enim invisibilis æque ac Pater fuit.

17. Incomprehensibilis etiam Deus est, quippe quem utpote infinitum, nullus creatus intellectus cogitatu totum complecti potest: "Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram."[4] Hinc monemur ne temere scrutando ejus profunda pereamus: "Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria."[5] Nequidem sancti in cœlo Deum penitus comprehendunt, quamvis intimius eum videant, ideoque cognoscere eum dicantur ea ratione qua et cognoscuntur, sed non eodem perfectionis gradu. Hinc Augustini de Roma sequens propositio in Concilio Basileensi damnata est: "Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deus videt seipsum." Multo minus dici potest beatos homines Deum ita clare et intense videre. Est igitur incomprehensibilis, uti Concilium Lateranense iv. in fidei expositione professum est.

18. Deum æternum esse, absque initio, vel fine, constat: "Ego Dominus, primus et novissimus ego sum."[6] Equidem ens necessarium initio et fine careat oportet. Quamvis autem æternitas mentis nostræ aciem effugiat, ipsa tamen ratio suadet ens aliquod semper extitisse; secus nulla ratione concipi potest quomodo aliquod ens unquam e nihilo prodire potuisset.[7] Seriem quandam infinitam excogitare placuit Spinosæ aliisque; sed rationi figmentum hujusmodi repugnat, et ad unum aliquod ens, a quo cætera orta sunt, necessariò deveniendum est.[8] Jure igitur Tertullianus: "Quis alius Dei census quam æternitas? quis alius æternitatis status, quam semper fuisse, et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis?"[9]

(1) Exod. iii. 14.
(2) Num xii. 8.
(3) Tract. III. in Joan.
(4) Job xxxvi. 26.
(5) Prov. xxv. 27.
(6) Is. xli. 4.
(7) "Qu'il y ait un seul moment où rien ne soit, eternellement rien ne sera." Bossuet Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même, ch. iv. § v.
(8) Clarke ch III.
(9) Contra Hermog. c. iv.

Pulchre etiam Boetius: "Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio."[1]

19. *Immensus* prædicatur Deus, quippe qui totam plenitudinem essentiæ habet, et nullo limite EST: "Magnus est et non habet finem; excelsus et immensus."[2] Quamvis autem loco non contineatur, non tamen instar corporis per spatia diffunditur, sed totus ubique EST. "Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, et sumus."[3] "Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus?[4] Psaltes clamat: "Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua."[5]

20. Quod Deus ubique sit totus, patres passim tradunt. Sic Chrysostomus in Psaltis verba: "Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo, et in terra?" animadvertit: "ostendens illum ubique esse, illic et hic; non enim tamquam aliquis in cœlo conclusus eminus videt, quæ sunt in terra, sed ubique præsens, et omnibus assistens."[6] Augustinus autem monet non instar corporis Deum esse diffusum: "sed est in solo cœlo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus."[7] Suffragatur ratio, quum enim ens sit necessarium, semper et ubique est sibi existendi causa: si alicubi deesse posset, posset et non esse, nec enim fingi potest causa cur loco aliquo præ alio foret. Quod autem cœli cælorum Domino adscribantur, ob gloriam ejus sanctis manifestatam fit. A facie Domini etiam recedere dicitur, qui a loco in quo Deus se manifestavit decedit:[8] quod de Jona fugiente, ne Ninivitas ultionis imminentis moneret, affirmatur, sperabat quippe se longius vectum non revocandum ad munere quod detrectaverat fungendum.

21. *Omnia Deo patent*, occultissimi ipsi cordis motus, et futuræ hominum voluntates: "quod enim de sermone Dei ab Apostolo dicitur, de Deo procul dubio intelligendum quoque est: "non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus."[9] "Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes."[10] "Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua."[11]

(1) De consol. l. v. prosa 6.
(2) Baruch iii. 25.
(3) Act. xvii. 27.
(4) Jer. xxiii. 24.
(5) Ps. cxxxviii. 6.
(6) In Ps. cxii.
(7) Ep. 187, ad Dardanum, c. 4. n. 14, tom. II.
(8) Gen. iii. 8. Jonæ. 1, 3.
(9) Heb. iv. 13.
(10) Eccl. xxiii. 28.
(11) Ps. cxxxviii. 5.

Pluribus celebrat Job hanc rerum omnium scientiam: "ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cælo sunt respicit."[1] Quædam haud videre dicitur quod ea improbet: "mundi sunt oculi tui, ne videas malum."[2] Per ἀνθρωποπάθειαν autem dicitur velle scire quæ rerum experimento patere vult: "Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita ut sciam."[3] "Quod profectò," animadvertit pulchre S. Petrus Damianus, "ad nil aliud dictum videtur, nisi ut humana doceatur ignorantia sine experimentis audita non credere, incognita non leviter adjudicare, nec ante sententiam promere, quam rem dubiam testimoniis approbarit."[4]

22. *Futurorum certa scientia Deo omnino adscribenda est:* "Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia."[5] Eam perfectionem celebravit casta Susanna: "Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fierent."[6] Meritò dicit Tertullianus, "præscientiam Dei tantos habere testes, quantos facit prophetas."[7] Augustinus etiam: "Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est."[8] Quomodo autem quæ ex libera hominis voluntate pendent certò præsciantur, non adeo facile concipitur. Thomistæ dicunt ea præsciri in decretis prædeterminantibus, quibus scilicet Deus hominis voluntatem præmovet et determinat; quod tamen contingere contendunt salva libertate, quia præmovet Deus, habita causæ proximæ ratione, adeo ut effectus libere prodeat a causa libera. S. Thomas ipse docet Deo omnia ab æterno præsentia esse, divinæ scilicet menti: "quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua *præsentialitate*. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem; et tamen sunt futura suis causis comparata."[9] Irridet Clarkius vocem hanc barbaram veluti sensu vacuam; sed acrior et iniquior est critici censura. Mens sancti Doctoris profecto patet, et Sancti Augustini doctrinæ conformis invenitur: "Quid autem futurum est Deo, qui omnia prætergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes, et per hoc jam non præscientia, sed scientia dici potest."[10] Ipsa omnium præsentium scientia a nobis concipi non valet, nam "Deus non particulatim vel sigillatim omnia videt; velut alternante conceptu, hinc illuc, inde huc; sed omnia videt simul."[11] Ad nos quod attinet nostram haud gravamur fateri ignorantiam, Deumque futurorum præscium agnoscere, quin explicare aggrediamur quomodo ei sint explo-

(1) Job. xxviii. 24.
(2) Hab. i. 13.
(3) Gen. xviii. 20.
(4) Ep. iv. l. i. ad Leonem ix.
(5) Eccl. xxiii. 29.
(6) Dan. xiii. 42.
(7) L. ii. contra Marcion c. v.
(8) De. civ. Dei l. v. c. 9.
(9) Sum. 1. p. q. 14. art. XIII.
(10) L. ii, ad Simplic. qu. 2.
(11) S. Aug. l. xv. de Trin. c. 14.

rata. Sic olim Augustinus de Philosophorum hac in re concertationibus: "Sed quoquo modo se habeant tortuosissimæ concertationes et disputationes Philosophorum; nos ut confitemur summum et verum Deum, ita voluntatem summamque potestatem ac præscientiam ejus confitemur. Nec timemus ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. * * Non est autem consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluptates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur: quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt."[1]

Scholasticorum distinctiones negligendas putavimus, quas apud Gazzaniga, Perrone, aliosque quis poterit explicatas legere.[2]

C. III. DE DEI VOLUNTATE.

23. Supremum Dei arbitrium, ab omni necessitatis vinculo liberum, prædicat fides: "Omnia quæcumque voluit, fecit."[3] "Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ."[4] Equidem quum Ens sit necessarium, quod a nullo alio ullatenus pendet, nulla ei potest esse necessitas, præter eam quæ ex ipsa suæ essentiæ perfectione derivatur: patet autem res plerasque aliàs fieri potuisse, et alium potuisse constitui rerum ordinem. Quod a Stoicis olim ponebatur fati vinculum, et quæ a pantheistis recentius statuta est ex causarum relatione, infinita serie, necessitas, nullo probatur argumento, imo manifestæ rationi repugnat: liquet enim ex rerum ipsarum natura variari posse eventus. Quæ statuit Deus, utique sapientissime decreta sunt, summoque consilio, cujus præclara indicia in minutis quibusque, sicut et in maximis rebus conspiciuntur: sed nemo sanus dixerit infinita pene varietate res condi disponique haud potuisse, adeo ut sapientia summa adhuc fulgeret. Vix opus est ut dicamus libertatem divinam male agendi facultatem nullam importare; hæc enim libertatis est vitium, nec ad eam ullatenus pertinet, quamvis, dum de hominibus lapsis agitur, liberi arbitrii nomine facultatem in utrumque intelligamus: "Solus Deus est," inquit

(1) de civ. Dei. l. v. c. ix. n. 1. 3.

(2) Scientia *simplicis intelligentiæ* vocata est divinus conceptus rerum *possibilium*: scientia *visionis* complectitur res quæ aliquando extituræ sunt. Invexit Molina scientiam *conditionatorum* quam mediam vocavit: respicit scilicet ea quæ forent, posita quadam conditione numquam adimplenda. I. Reg. xxiii. 11. Sap. iv. 11. Matt. xi. 21. Luc. x. 13.

(3) Ps. cxiii.

(4) Eph. i. 11.

Hieronymus, "in quem peccatum non cadit, nec cadere potest: cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt.[1]

24. *Mutabilis tamen Deus non est*, mutatio enim inconstantiam et ignorantiam exhibet: "Non enim est Deus," inquit Balaam, divinitus afflatus, "quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur."[2] "Ego enim Dominus, dicit ipse per Malachiam, et non mutor."[3] Apostolus Jacobus etiam omnem mutationis umbram procul abesse jubet: "omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio."[4] Pœnitentia igitur, ira, aliæque animi mutationes Deo tributæ a sacris scriptoribus, prout sonant, accipiendæ non sunt, sed modus loquendi ἀνθρωποπαθῶς agnoscendus est, nostris conceptibus accommodatus. Sic illud: וַיִּנָּחֶם יְרוָֹה וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ "Et pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus;[5] eo tantum dirigitur, ut intelligatur hominum vitia vere Deo displicuisse, et pœnas provocasse gravissimas. "Neque enim homo est ut agat pœnitentiam."[6] Ita etiam a Rosenmueller explicatur: "quia quod homines facere solent, si eos operis facti pœnituerit, ut illud improbent et deleant, id Deus fecit."[7] Pulchre Augustinus: "Amas, nec æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles: irasceris, et tranquillus es; operas mutas, nec mutas consilium.[8] Non facile conciliare valemus libertatem Dei cum immutabilitate, quum perfectissimi Entis consilia cogitationes longe superent humanas. Cæterum adorare oportet quæ de iis ipse revelavit, quæque ratio ipsa agnoscere cogitur, utpote summo Ente digna: "Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris:"[9]

25. *Omnipotentem esse Dei voluntatem* testatur Scriptura, suffragante ratione: "Domine Deus rex omnipotens——non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel."[10] Ita precabatur Esther. "Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet,"[11] inquit Dominus per Isaiam. "Voluntati ejus quis resistit?"[12] Attamen Deus vult omnes sanctam degere vitam, ideo enim præcipit virtutum exercitium, prohibet vitium; nec tamen in omnibus ejus impletur voluntas, quod scilicet plurimi libero, quo donati sunt, arbitrio abutantur. Consueverunt idcirco Theologi *absolutam* Dei voluntatem ab illa quæ *conditione* nititur, distinguere, ea enim haud impleta, non fit quod alias contigisset, sed aliud evenit quod Deus ea in

(1) Ep. 146 ad Damas.
(2) Num. xxiii. 17
(3) Mal. iii. 6.
(4) Jac. i. 17.
(5) Gen. vi 6.
(6) I. Reg. xv. 29.
(7) In loc
(8) L. i. conf. c. iv.
(9) Isaiæ lv. 8.
(10) Esther xiii. 9.
(11) Isaiæ xlvi. 10
(12) Rom. ix. 19.

rerum conditione eventurum decrevit. Sic primaria et antecedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri; peccantes verò puniri vult, quia justus est. "Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, et beneplacitum, cujus ipse causa sit. Secunda autem consequens voluntas et permissio ex nostra causa ortum habens."[1] Ita S. Joannes Damascenus. "Sic etiam Augustinus: "Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit."[2]

26. Mala *physica*, scilicet quæ rerum ordinem aliquatenus turbant, ejusque pulchritudini detrahere videntur, ad divinam voluntatem referenda esse constat, ipse enim omnia condidit, legibusque quas statuit regit; quæ contingunt incommoda suo moderans imperio, et emendans, prout altissimis suis consiliis fuerit congruum. Hinc ærumnarum vitæ se exhibet auctorem: "Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?"[3] "Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt."[4]

27. De malo *morali* magna cum contentione quæsitum est quomodo contingat, Deo optimo Maximo orbem regente. Simon Magus, creatorem a summo Numine distinguens, "authorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrum ausus est dicere creatorem Deum."[5] Cerdonistæ, Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ a malo principio mala omnia orta dicebant. Florinus ad Deum mala moralia referebat auctorem.[6] Albigenses, qui, variis nominibus, per Gallias præsertim, sæculis duodecimo et decimo tertio, grassabantur, Manichæorum virus hauserant. Sæculo decimo sexto revixit erroris monstrum, novis indutum variisque formis. Melanchton docuit opus esse Dei adulterium David et Judæ proditionem, æque ac Pauli vocationem.[7] Calvinus scholasticos redarguit quod Deum Absalom incestus et aliorum scelerum auctorem non agnoscant: "Jam satis aperte ostendit, Deum vocari omnium eorum auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantum ejus permissu contingere."[8] Presbyteriani ho-

(1) L. II. de fide orthodoxa, c. 29.
(2) Aug. l. de Spir. et litt. c. xxxiii.
(3) Amos. iii. 6.
(4) Eccl. xi. 14.
(5) Vincent. Lerin. comm. c. 24.
(6) Euseb. hist. Ecc. l. v. c. xx.
(7) In c. 8. Ep. ad Rom.
(8) L. 1. Inst. c. xviii. p. 3.

dierni non satis ab hac impietate recesserunt.[1] Patres Tridentini eam fulmine perculerunt: "Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit."[2]

PROPOSITIO.

Deus non operatur mala proprie et per se, sed permissive solum.

28. *Probatur ex Scriptura.* Psaltes dicit: "Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es."[3] Vellet autem maxime, si ipse eam operaretur proprie. "Odio sunt Deo impius et impietas ejus."[4] "Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi."[5] "Non dixeris: Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris. Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii. Omne execramentum erroris odit Dominus."[6] "Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra."[7] "Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat."[8] Hæc aliaque plurima testimonia ostendunt Deum penitus odisse malum, illudque vetare et impedire, salva tamen humana libertate.

29. *Consonat traditio primæva.* JUSTINUS: βουλομενος γαρ τουτους ἐν ἐλευθερα προαιρεσει, και ἀντεξουσιας γενομενους, τους τε ἀγγελους και τους ἀνθρωπους, ὁ Θεος πραττειν ὁσα ἑκαστον ἐνεδυναμωσε δυνασθαι ποιειν, εποιησεν, ἐι μεν τα ἐυαρεστα αυτω αιροιντο, και αφθαρτους, και ἀτιμωρητους αυτους τηρησαι. εαν δε πονηρωσωνται, ως αυτω δοκει εκαστον κολαζειν.[9]

30. S. IRENÆUS ad Florinum librum direxit de hoc argumento: περι του μη ειναι τον θεον ποιητην κακων.[10] Ostendit id ex Apostolorum traditione in Ecclesia ubique celebrata.[11]

(1) "The almighty power, unsearchable wisdom, and infinite goodness of God, so far manifest themselves in his providence, that it extendeth itself even to the first fall, and all other sins of angels and men, and *that not by a bare permission*, but such as hath joined with it a most wise and powerful bounding, and otherwise ordering and governing of them, in a manifold dispensation, to his own holy ends; yet so as the sinfulness thereof proceedeth only from the creature, and not from God; who, being most holy and righteous, neither is nor can be the author or approver of sin."—Presbyterian Confession of Faith, ch. v. § iv.

(2) Sess. vi. c. 6.

(3) Ps. v. 5.

(4) Sap. xiv. 9.

(5) Eccl. xv. 21.

(6) Ib. v. 11, 12.

(7) 1 Thess. iv. 3.

(8) Jac. 1, 13.

(9) Dial. cum Tryphone n. 78. "Nam cum vellet Deus angelos et homines libera eligendi potestate præditos, ac sui juris, ea agere quæcumque ipsis agendi facultatem dedisset, tales eos fecit; ut si ipsi placentia eligerent, corruptionis et pœnæ expertes servaret; sin autem improbe agerent, suo arbitratu in unumquemque animadverteret."

(10) "Quod Deus non sit auctor malorum." (11) Euseb. l. v. hist. Eccl. c. xx.

31. S. Augustinus, majorum suorum premens vestigia, dicit: "Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est."[1]

32. Meritò idcirco Concilium Arausicanum II. decrevit: "Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus."[2]

33. Ipsa quidem ratio, et insita animis nostris Numinis notio ab illo dogmatis monstro abhorret.

34. *Objiciunt Prædestinatiani.* "Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum . . . . facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri."[3] Ergo non se habuit Deus permissive tantum.

35. *Resp.* Iis verbis profitentur fideles ea quæ passus est Christus summo Dei consilio contigisse; nec potuisse ejus hostes aliquid ei nocere, nisi Pater id, in humani generis salutem, voluisset. Eo sensu dixit Christus Pilato: "Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper."[4] Decreta sunt utique a Deo, cui Judæorum consilia ab æterno patuerunt, qui tamen nullatenus eos impulit ad scelus adeo immane patrandum.

36. *Obj.* 2. Deus sæpius dicitur commovisse homines ad male faciendum: "Addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel et Judam."[5] Michæas Achabo dixit: "dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum."[6] De Semei David dixit: "Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David."[7]

37. *Resp.* Sacri scriptores omnia ad Deum auctorem referre consueverunt, ut innuant ipsos impiorum actus divinæ subesse providentiæ, nihilque nisi Dei consilio contingere, quod certissimum est. Pro vehementiori Orientalium stylo Deus dicitur facere, quæ nonnisi ipso sinente facta sunt. Sic dicitur commovisse David ad censum populi faciendum, ut intelligeretur regem id cepisse consilii, culpa quidem sua, sed Deo ita disponente, altiori providentiæ consilio, ut puniretur Israel. Michæas parabolam seu imaginem poeticam adhibuit, ut Achab intelligeret vates mendaces ei illudere, idque in pœnam a Deo permissum. David agnovit nonnisi Deo permittente contingere ut Semei ei malediceret, quod præcepti instar habuit, ut pœnæ sibi irrogatæ æquitatem declararet. "Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens et intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit,

(1) L. v. de civ. Dei c. 9.
(2) Can. xxv.
(3) Act. iv. 27.
(4) Joan. xix. 11.
(5) II. Reg. xxiv. 1.
(6) III. Reg. xxii. 23.
(7) II. Reg. xvi. 10.

ideo dictum est: dixit ei Dominus. Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum."[1] Ita præclarus doctor Augustinus.

38. *Obj.* 3. "Induravit Dominus cor Pharaonis."[2] "Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat."[3] "Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat: et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum."[4] "Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis; indurasti cor nostrum, ne timeremus te?"[5] "Propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum."[6]

39. *Resp.* Vehementior est illa loquendi ratio qua cor a Deo indurari dicitur, quod, in pœnam præcedentis peccati, gratiam qua emolliretur subtrahit, nam "præcedentis est pœna peccati," uti optime animadvertit Augustinus in illud Pauli: "quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt——propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum."[7] Postulant equidem alia Scripturæ testimonia, quæ Dei bonitatem et Sanctitatem prædicant, ut mitior hæc interpretatio adhibeatur: quam facile patitur Hebraicæ linguæ indoles. Dicimus igitur cum insigni magistro: "Non obdurat Deus, impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam."[8] "Obduratio Dei est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogatur."[9] "Sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest."[10] "Hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si a me quæratur, citò respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt."[11] Liceat Rosenmüller et Clerici in obdurandi vocem animadversiones subjungere: "Quod hic Deo tribuitur, id 9,34 Pharaoni ipsi adscribitur, וַיְכַבֵּד לִבּוֹ obduravitque cor suum ipse et servi ejus."[12] "Apposite Clericus ad hunc locum: —— Deus hic id se facturum dicit, cujus rei occasio erat. Misit Mosen ad Pharaonem, Mo-

(1) Aug. l. de gratia et lib. arb. c. xx.
(2) Exod. ix. 12.
(3) Rom. ix. 17.
(4) Isaiæ vi. 10.
(5) Is. lxiii. 17.
(6) Joan. xii. 39.
(7) Vide Aug. l. v. contra Julian. c. 3.
(8) Ep. 105, nunc 194 ad Sixtum.
(9) L. 1, ad Simplician. qu. 2.
(10) Tract. liii. in Joan.
(11) Ibidem.
(12) Rosenmüller in Exod. iv. 21.

sesque coram eo miracula fecit, quibus quivis alius permotus fuisset, ut illud, quod Deus fieri voluerat, faceret. Sed ille inde occasionem cepit pertinaciæ augendæ, quod inter mala, quæ passus est, intervalla quædam fuerunt, et similia nonnulla miracula a magis Ægyptiis facta vidit. Sic Deus pertinaciæ Pharaonis occasio fuit, sed non causa."[1]

40. *Obj.* 4. Quum tota creaturarum vis a Deo derivetur, omnes hominis actus, ipsaque voluntatis ad malum determinatio a Deo proveniant, necesse est.

41. *Resp.* Vis quidem omnis quæ creaturis inest a Deo derivatur, adeoque ipsa voluntatis determinatio ad eum referri potest, tamquam ad virium omnium, et liberi arbitrii largitorem. Cæterum ea est liberi arbitrii essentia, ut voluntas sui juris sit, ideoque determinationes ejus referri nequeunt ad Deum, qui causæ primæ et universalis habet rationem, potius quam specialis; præsertim quum de iis agatur quæ sanctitati ejus repugnant. Optime Augustinus: "Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret et de malo."[2]

42. *Obj.* 5. Discrimen inter voluntatem, quæ Dei operatio dicitur, et permissionem, inane est, quum hæc sit mera inertia, et actus omnis divini absentia.

43. *Resp.* Permissio ab operatione Dei jure optimo distinguitur, nam "permissio quidem ad malum, operatio verò ad bonum"[3] refertur, et "nihil fit, nisi omnipotens fieri velit; vel sinendo, ut fiat, vel faciendo."[4] Ideo autem permissio divina agnoscenda est, ut intelligatur ipos malos actus divinæ subesse providentiæ, nec quidquam, Deo renitente, contingere posse, quacumque impii pollere videantur potentia.

C. IV. DE ATTRIBUTIS MORALIBUS.

44. Justitiam divinam prædicant sæpissime sacræ litteræ, ratione ipsa suffragante. "Justus es Domine, et rectum judicium tuum."[5] Elucet perfectio hæc in virtutis præmiis et scelerum vindicta, quod in veteris populi historia videre est: sed in altera vita plene explicatur; in hac enim sæpius contingit impios rebus prosperis lætari, opprimi justos: quod sapientissimo consilio permittitur, ne tota divinæ providentiæ ratio tempore contineri

(1) Cit. a Rosenmüller loc. sup.

(2) Enchir. c. ii. circa prin. t. 3. cit. a S. Thoma summæ 1 p. qu. ii. art III. *Ad primum.*

(3) S. Thom. Summ. 1 p. qu. xix. art. XII. Resp. § *Quod enim.*

(4) Aug. Ench. c. 95. ib. cit.

(5) Ps. cxviii. 137.

videretur. Ex rerum eventibus, qui plerumque nullo servato justorum impiorumve discrimine contingunt, discimus hanc vitæ conditionem ad altiorem pertinere œconomiam, et tamquam partem ad totum referri; adeo ut expectandus sit alius rerum ordo, in quo unicuique quod suum est tribuatur, non secundum externam speciem, sed cordis ipsis arcanis justo judicio subjectis: "Qui inspector est cordis, ipse intelligit, * * reddetque homini juxta opera sua."[1] De Filio ad judicandum venturo dicitur: "Tunc reddet unicuique secundum opera ejus."[2] Patrem, juxta Petri dictum, invocamus "eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus."[3] *Vindicativa* justitia quæ punit scelera, et *distributiva*, quæ præmia muneraque pro merito confert, Deo recte tribuitur, pro summa suorum consiliorum æquitate: cæterum cavendum ne quid cuicumque ab ipso deberi, stricto veluti jure, credatur; quum enim ipse omnia ex summa munificentia largitus sit, nil quisque habet quod suum est, nilque postulare jure potest ob officium persolutum. In donis suis distribuendis summo arbitrio agit Deus, nec queri licet quod alii plura, alii minora accipiant; nec enim invidia uri quis debet quod Deus bonus sit, et munera varie pro lubito largiatur. Quæ in virtutum præmium dat, præsertim cælestis vitæ gaudia, mercedis habent rationem, ob promissum divinum, et conditionis adimpletionem. "Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi . . . . justus judex."[4] Alias nihil cuiquam debetur, quum Deus creaturarum obsequium summo jure exigere valeat, ob infinitam suam perfectionem, et vires concessas. Peccantibus justissime irrogat pœnas; sed ab omni justitiæ notione abhorret, ut censeatur vel pœnas irrogare vel irrogandas decernere, nulla peccatorum habita ratione. Hæc fusius, quum de æterna vita agendum fuerit, pertractare in animo est.

45. Sapientia in eo elucet, quod electo fine bono media idonea ad eum assequendum adhibeantur. In rerum universitate divina maxime effulget sapientia: "Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti."[5] Cæterum quamvis mirus sit rerum ordo, et optime respondeant omnia fini quem Deus sibi præstituit, fefellit *Leibnitzium* sententia de absoluta mundi perfectione; nihil enim est quod suadeat Deum non potuisse alia ratione res disponere, qua etiam sua sapientia magis eluceret: tantæ sunt divitiæ ejus et summa libertas.

46. Sanctitas divina sæpe prædicatur in Scripturis: "Non est sanctus, ut est Dominus."[6] Seraphim clamant: "Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum."[7] Sanctitas hæc est summa perfectio, cujus norma est ipsa divina essentia.

47. Veracem esse Deum ratio ipsa suadet, quod et prædicant Scripturæ,

(1) Prov. xxiv. 12.
(2) Mat. xvi. 27.
(3) I. Pet. i. 17.
(4) II. Tim. 4. 8.
(5) Psal. ciii. 24.
(6) I. Reg. II. 2.
(7) Isai. vi. 3.

omnem erroris vel mendacii umbram ab eo repellens. "Est autem Deus verax."[1] "Non mentitur Deus:"[2] "impossibile est mentiri Deum."[3] Fidelis ideo dicitur, quod promissis stet: "fidelis enim est qui repromisit."[4] "Si negaverimus, et ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest."[5]

48. Quæ de Deo Achab decipiente per prophetas mendaces retulit Michæas, allegoriæ habent rationem: consueverunt scilicet vates divina consilia pandere, imaginibus usi quæ vividiorem rerum notionem ingerant. Ut igitur intelligeret rex justo Dei judicio contingere, ut ipsi vates blandirentur, Michæas se vidisse cœtum cœlestem perhibuit, Deumque exquisisse qui egrederetur ad decipiendum Achab, Spiritum autem suam obtulisse operam: "Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita."[6] Hæc divini consilii enarratio nullam præbuit audientibus occasionem suspicandi Deum esse mendacii auctorem; omnes enim facile intelligebant rem haud peractam referri, sed imaginem quamdam exhiberi, ut falsis prophetis detraheretur fides.

49. Providentia Dei dicitur ratio ordinis rerum ad finem; seu cura quam creaturarum suarum gerit Deus, ut finem sibi præstitutum assequantur, et universali inserviant ordini. Eam testatur Scriptura, quæ docet Deum non tantum rerum dominos, sed humiles quosquam solicite curare: "quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus."[7] Omnia prorsus sapientia illa divina moderatur: "Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter."[8] Sic mercator mari se committens, lucri cupidine, navi arte factæ frustra confidit, nisi Deus sibi adsit propitius: "Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam."[9] Ideo Psaltes: "Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam."[10] Singulorum, etiam minutissimorum, curam ostendit Christus: "unus passer non cadet super terram sine Patre vestro: vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt."[11] A rebus inanimis, et ab animantibus ratione carentibus argumentum pulcherrimum providentiæ erga homines desumit: "Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cœlestis pascit illa."—"Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent."[12]

50. Hæc Dei erga res creatas cura conditorem rerumque arbitrum decet, et sapientiam et bonitatem ejus maxime exhibet, quum nullo sui labore vel

(1) Rom. iii. 4. Joan iii. 33.
(2) Tit. i. 2.
(3) Heb. vi. 18.
(4) Heb. x. 23.
(5) II. Tim. ii. 12.
(6) II. Par. xviii. 21.
(7) Sap. vi. 8.
(8) Ib. viii. 1.
(9) Ib. xiv. 3.
(10) Ps. cxxvi.
(11) Mat. x. 30.
(12) Mat. vi. 26. 28.

conatu, sed simplici voluntatis actu omnia gubernet, et ad finem dirigat. Id fit plerumque, non speciali et manifesto ejus interventu, sed per causas secundas, quæ ex virtute sibi divinitus data agunt, et supernæ subjacent ordinationi. Earum defectu, contingit Deum aliquando fines particulares haud assequi, quos scilicet conditione quadam niti voluit; sed numquam frustratur divinum consilium, nam finis ultimus, quem Deus sibi præstituit, et decrevit, semper obtinetur.

51. Quamvis divina providentia res omnes complectatur, non pari solicitudine animantibus prospicit, qua homini; quapropter Apostolus de præcepto legis, ne bovi trituranti obturaretur os, disserens, illud altiorem includere significationem contendit, quærens: "Numqid de bobus cura est Deo?"[1] Hieronymus etiam ait: "absurdum esse ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur."[2] Meritò quidem, nam licet nihil divinum conspectum effugiat, nihilque extra divinum regimen sit positum, res hujusmodi specialem illam curam haud merentur.

52. Contra providentiam maxime videntur facere rerum humanarum vices, quæ ex virtute meritoque non pendent; sæpius enim impii prosperis, justi adversis utuntur: de qua re justorum querelæ in ipsis Scripturis referuntur. Cæterum licet "universa æque eveniant justo et impio, bono et malo;"[3] id summo consilio contingit, ut intelligamus rerum hunc ordinem non fore perpetuum, sed hanc veluti partem totius, Deo in posterum hominibus præmia vel pœnas repensuro, ad justitiam statuendam. Interim præclarum benignitatis exemplum nobis exhibetur, ut erga inimicos benefici patrem cœlestem imitemur, "qui solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super justos et injustos."[4] Cæterum præclara nonnumquam providentiæ indicia dat Deus, impios percellendo; nec umquam famulis suis deest, sed eos sublevat, viresque dat, quibus, invicto lætoque animo, perferant, quæ virtutis et religionis causa patiuntur. Ideo dixit Apostolus, fidelibus dans animos ad tolerandas ærumnas: "Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere."[5] Sic quæ maxime adversantur sanctis inserviunt ad salutem: "Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti."[6]

53. Nexus qui inter causas physicas suosque effectus reperitur, nullam dat dubitationi de Deo providente locum: quamvis enim ad causam naturalem referre aliquando liceat eventum, quem priorum temporum ignorantia, vel pietas, ad Deum consueverit referre, iræ ejus in eo agnoscens indicium, non ideo omnis ejus relatio ad Deum tolli potest: est enim ipse totius na-

(1) 1 Cor. ix. 9.
(2) In. c. 1. Habacuc.
(3) Eccl. ix. 2.
(4) Matt. v. 45.
(5) 1 Cor. x. 13.
(6) Rom. viii. 28.

turæ auctor, legum quibus regitur fons, omniaque suo diriguntur arbitrio. In eo elucet summa ejus sapientia, quod legibus illis totam rerum compagem ita colligaverit, ut firma consistat. Idem dicendum de nexu qui in mundo, ut ita dicam, morali, inter causas et effectus exhibetur, libertate causarum servata: quamvis enim omnia plerumque sponte veluti sua fluant, vel ex aliis causis pendere videantur, non ideo abest Deus, arcano consilio ipsas impiorum rebelles voluntates suæ subdens ordinationi supremæ.

54. Quum Dei providentia omnia complectatur, nihil ipso invito contingit, nullum ejus consilium in irritum mittitur: attamen non omnis ejus voluntas absoluta est, sed sæpe ex conditione quadam pendet. Quidquid fit contra morum regulam, sanctitati divinæ quum repugnet, decreto divino absoluto non nititur, quamvis fieri non potuisset, nisi decrevisset Deus id se permissurum. *Prædestinationis* nomine apud recentiores absolutum Dei decretum intelligitur, quod de malo patrando nefas est cogitare, quum illud sanctitati divinæ repugnet, et libertati qua Deus hominem præditum esse voluit. Perperam igitur Lutherus *de servo arbitrio* disserens dixit: "Est itaque et hoc imprimis necessarium et salutare Christiano nosse, quod Deus nihil præscit contingenter, sed quod omnia incommutabili et æterna infallibilique voluntate et providet, et proponit, et facit. Hoc fulmine sternitur et conteritur penitus liberum arbitrium."[1] Item Calvinus: "Non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu et implicita quadam serie, quæ in natura contineatur: sed Deum constituimus arbitrum ac moderatorem omnium, qui pro sua sapientia, ab ultima æternitate decrevit quod facturus esset, et nunc sua potentia, quod decrevit, exequitur."[2] Invidiam hujus dogmatis de prædestinatione ut declinent Presbyteriani, causarum secundarum rationem haberi, Deo decernente, statuunt:[3] quod si probe intelligatur, cum Catholicorum Theologorum e D. Thomæ Schola sententia concordabit; hi scilicet omnia a Deo prædeterminari dicunt, sed ita ut, pro causæ secundæ natura, eventus liber sit vel necessarius. De prædestinatione ad gloriam vel ad interitum impræsentiarum agendum non duximus: id tamen animadvertemus absolutum Dei decretum de hominum interitu æterno dari non posse, quum necessariò nitatur malis eorum meritis: repugnat enim justitiæ divinæ et bonitati decretum absolutum, nulla de causa, de creaturarum suppliciis; prædestinatio igitur hoc sensu impia est et blasphema, a Christianis auribus procul ableganda.

(1) Opp. ed. lat. Jen. t. iii. p. 170.

(2) Inst. l. 1. c. 16. n. 8.

(3) "Although in relation to the foreknowledge and decree of God, the first cause, all things come to pass immutably and infallibly; yet by the same providence, he ordereth them to fall out according to the nature of second causes, either necessarily, freely or contingently." Confession of faith, ch. v. §. II.

55. Dei bonitas et benignitas in scripturis commendatur: "Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus."[1] "Diligis omnia quæ sunt: et nihil odisti eorum quæ fecisti."[2] Amor erga homines præcipue prædicatur: "Quid est homo, quod memor es ejus?"[3] χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία "Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei."[4] Cum hac bonitatis notione intimo nexu conjungitur misericordia: "Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ."[5] "O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine."[6]

56. Beatus etiam in se est Deus, ipsi sibi omnis beatitudinis fons: "beatus et solus potens."[7] Gloria quæ a creaturis eum colentibus datur, nihil illi confert; sed est officii persolutio, quam gratam habet, probatque, recti justique utpote norma. Ex spectabili mundo oritur gloria, quum in eo eluceant mira sapientia potentiaque infinita, omnibus eo in ordine constitutis, quem labefactare vel frangere haud valent rerum vices, et quæ identidem contingunt clades. Stat machina artificis manu sustentata. Miracula præcipua quadam ratione gloriam Dei annuntiant: justorum etiam opera in eam cèdunt.[8]

PARS II. COSMOLOGIA.

C. UNICUM. DE MUNDI CREATIONE.

57. Deus, cujus perfectiones contemplati sumus, potentiam, sapientiam, bonitatem in rebus creatis ostendit. Omnia e nihilo divina potentia educta olim esse ipse nos edocuit: quod quum ignorarent Ethnici, in eo laborabant ut rerum originem sibi fingerent, plerique materiam semper extitisse æstimantes, eamque nonnisi in ordinem redactam, et divina sapientia dispositam. Ex recentioribus plures fuerunt qui hæc placita instaurarent, variis sub nominibus, creationis opus revera inficiantes. Geologi non adeo progressi videntur; plurima tamen quæ passim tradunt cum Mosaica narratione de mundi creatione vix conciliari possunt. Cæterum plerique libere fatentur omnia initium, Deo creante, habuisse,[9] quamvis infinitam

(1) Ps. cv.
(2) Sap. xi. 25.
(3) Ps. viii. 5.
(4) Ad Titum. iii. 4.
(5) Joel. II. 13.
(6) Sap. xii. 1.
(7) 1 Tim. vi. 15.
(8) Matt. v. 6. 1 Cor. x. 31.
(9) "He may put an end, as he no doubt gave a beginning to the present system." Playfair's Works, vol. iv. p. 55. cit. a Lyell.

fere sæculorum seriem effluxisse velint ex quo mundus sit conditus, antequam ad hanc quam præsefert conditionem pervenerit.

58. Fides docet omnia esse creata, quod et rationi consonum est: quamvis enim humana mens eductionem e nihilo vix valeat concipere, facile tamen percipit nil præter Deum ab æterno extitisse, omniaque proinde, quæ existunt, e nihilo fuisse aliquando educta. "In principio creavit Deus cœlum et terram." Quidquid de vocis Hebraicæ בָּרָא dicatur, liquet creationem hic indicari; nam terra et cœli tunc primum prodierunt, nondum suo decore instructi, sed confusa quædam moles, terra quippe "erat inanis et vacua" תֹּהוּ וָבֹהוּ. Omnia quæ terra cœlisque continentur creata sunt: "sex diebus fecit Dominus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt."[1] "In ipso (*Filio*) condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt."[2] "Qui autem omnia creavit Deus est."[3] Pulchre mater Macchabaica filium monuit, ut omnium conditoris memor esset: "Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt; et intelligas quia ex nihilo ἐξ ὄντων fecit illa Deus."[4] Apostolus etiam ad creationem alludere videtur: "Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt."[5] Potentia autem divina simplici illa, quam Moyses refert, jussione mire exhibetur: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר וַיְהִי־אוֹר quod Psaltes celebrat: "Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt."[6] Veritatem hanc professi sunt Lateranenses Patres: "sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam, quasi communem, ex Spiritu et corpore constitutam."[7]

59. Mundum non esse æternum, nec materiam semper extitisse ex dictis liquet: quod et ostendunt plurima alia Scripturæ testimonia: "Priusquam montes essent, aut formaretur terra et orbis; a sæculo et usque in sæculum tu es Deus."[8] Christus Patrem alloquens ait: "Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te."[9] Consonant gentium omnium traditiones, ipsaque mundi facies novitiam originem prodit.[10]

(1) Exod. xx. 11.
(2) Col. i. 16.
(3) Heb. iii. 4.
(4) II. Mac. vii. 28.
(5) Rom. iv. 17.
(6) Ps. cxlviii. 4.
(7) Conc. Lat. iv. cap *firmiter*.
(8) Ps. lxxxix. 2.
(9) Joan xvii. 5.
(10) "La nature nous tient partout le même langage, partout elle nous dit que l'ordre actuel des choses ne remonte pas très-haut; et ce qui est bien remarquable, partout

60. De Origene questus est Hieronymus, eum finxisse sibi mundos "innumerabiles æternis sibi sæculis succedentes extitisse."[1] Eum imitantur aliquatenus Geologi, quorum tamen recentiores, *Huttonem* sequuti, de origine mundi, seu *cosmogonia*, nolunt agere, totum eorum studium in terræ superficie indaganda, ut quas vices subierit, explicent, vel divinent, ponentes.[2] *Cuvier*, ex avium, piscium, cæterorumque animantium exuviis, quæ in tractu illo terræ, qui alveus Parisinus audit, repertæ sunt, in lapides conversæ, irruptionum seu inundationum seriem excogitavit, quibus per vices iteratas obrutus est orbis, variis animantibus terram aquasque incolentibus. Eum, insignem licet magistrum, plerique jam deseruerunt,[3] quum, examine instituto, non eadem ubique occurrerint indicia; nec in ipso *alveo* Parisino satis distinguerentur animantium, pro temporum ordine, exuviæ.[4] Id verò apud Geologos plerosque pro principio obtinet, quod quæ in terra occurrunt observanda, explicanda sunt juxta causas legesque naturales, quarum effectus, experientia magistra, innotescunt: proinde eam sæculorum seriem postulant, per quæ per motus volcanicos, vel alios terræ motus, vel chimicas quasdam actiones, et ignis aquæque impetus varios, terræ facies qualis nunc videtur, facta sit.[5] Agnoscunt tamen plerique recentem hominis originem,[6] ideoque terram magnas putant subiisse vices, et animantia a recentioribus longe diversa tulisse, plurimis elapsis sæculis antequam homo conditus fuerit. De Scriptura quæstionem moveri nolunt, re tota, juxta indicia e stratis terræ, rupibus montibusque, et fossilibus cæterisque phenomenis naturalibus desumpta, dijudicanda. Nonnullis revelationis vindicibus visum est Geologorum placita rata habere, quum temporis intervallum, per quod terra תֹהוּ וָבֹהוּ "inanis est vacua" fuerit, non sit a Moyse definitum, et dierum nomine, saltem antequam Sol creatus fuerit, spatium haud certum intelligatur.[7]

61. Cæterum quamvis liberam interpretandi facultatem aliis relinquamus, quæ proferunt Geologi non adeo firma nobis videntur, ut ab obvio verborum Scripturæ sensu facile recedamus. Equidem hactenus mire inter

l'homme nous parle comme la nature, soit que nous consultions les vraies traditions des peuples, soit que nous examinions leur état moral et politique, et le développement intellectuel qu'ils avaient atteint au moment où commencent leurs monumens authentiques." *Cuvier*, dissert. sur les ossemens fossiles. Vide etiam Jacquelot sur l'existence de Dieu Diss I. ch. xi. et Diss. II. c. ii.

(1) L. ii. adv. Rufinum.

(2) Lyell's Principles of Geology, book 1, ch. iv. *Hutton* 1788.

(3) Ibidem L. iv. ch. xviii.

(4) Forichon, Examen des questions scientifiques 1 question, sect iv.

(5) Vide totum opus: "Principles of Geology," by Charles Lyell, in four volumes, London, 1835.

(6) Ib. book. 1, ch. ix.

(7) Vide Wiseman's Lectures on Science and Religion, lecture 6th; Perrone Tract. de Deo creatore p. ii. c. ii. Buckland, Bridgewater Treatise, ch. II.

se pugnarunt, et quæ magna fiducia posita sunt principia, ab aliis temere projecta visa sunt:[1] adeo ut sapientiores jam fateantur ab initio iterum incipiendum, et observationes potius faciendas in terræ superficie et visceribus, quatenus ea scrutari datum sit, quam theoriæ et speculationi indulgendum. Gratis et inverosimiliter assumit Lyell, easdem nunc quæ olim vires naturæ, nec contigisse aliquid præter rerum ordinem, quo terræ totius facies subito immutata sit.[2]

62. De temporis intervallis quæ dierum trium priorum nomine designata sunt, nil temere volumus pronuntiatum: sed condito sole, diem eo sensu accipimus quo consuevit usurpari. Fatemur fide non constare terram alia conditione haud prius extitisse;[3] sed quæ ex ejus visceribus a Geologis eruta sunt argumenta haud satis firma videntur, et alias verosimiles explicationes excipiunt.

63. Quam pulchre vereque dixit Ecclesiastes! "Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem."[4]

64. Divinam in eo miramur sapientiam, qua non statim omnia, suo ordine distincta, et sua pulchritudine speciosa, comparuerunt, ne naturæ cœco quodam et necessario impetu prodiisse viderentur: nec tamen lento sæculorum progressu, ne artificis instar, operosius tardiusque laborare censeretur Deus, naturæ vires legesque expectans. Sapientissimo etiam consilio septimus dies, veluti requies Domini, in exemplum homini datus est, ut et ipse sex dies laboraret, septimo die otio sancto fruiturus: "Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit die septimo."[5] Laborem autem Dei et requiem humanitus nemo conceperit, idem enim semper manet; laborare autem censetur, dum opera ejus, ex voluntatis æterno consilio prodeunt; requiescere, operis nova genera haud edendo, quamvis adsit semper, suaque virtute faciat ut rerum semel creaturum series perduret; imo dat ipse identidem nova et illustria suæ potestatis argumenta: "Pater meus usque modo operatur, et ego operor."[6]

(1) Lyell, Book I. c. ii. iii. iv. v.

(2) Cuvier hæc præclara protulit in dissertatione sur les ossemens fossiles: "Je pense donc, avec M. M. de Luc et Dolomieu, que, s'il y a quelque chose de constaté en géologie, c'est que la surface de notre globe a été victime d'une grande et subite révolution, dont la date ne peut remonter beaucoup au delà de cinq ou six mille ans."

(3) "La foi universelle ou Catholique, mots qui signifient la meme chose, ne prescrit pas de croire qu' avant la race humaine la terre n' ait pas eu un autre mode d'existence. Il resulte seulement des livres saints que la race humaine n'existe sur la terre que depuis six ou sept mille ans." Note de M. de Genoude.

(4) Eccl. III. 10.

(5) Exod. xx. 9.

(6) Joan. v. 17.

65. Quomodo lux ante solem conditum existere potuerit, jam vix quæritur: plerique enim Physici hodierni lucem a sole distinguunt, eamque fluidum esse, ex cujus vibrationibus sol cæteraque corpora manifesta fiunt, docent.[1] De ea Augustinus: "quo alternante motu, qualemque vesperam et mane fecerit, remotum est a sensibus nostris * * * * tamen sine ulla hœsitatione credendum est."[2]

66. Nonnulla quæ ad Mosaicam narrationem de sole quarto die condito, et de firmamento pertinent, alias exposuimus.[3] Augustini testimonium hic referre placet, ut pateat hujusmodi explicationes, quas scientiarum cultoribus offerimus, haud penitus latuisse veteres interpretes, nec improbatas. "Laudabiliter conatus est quidam demonstrare aquas super cœlos . . . . Et primum quidem, quod facillimum fuit, ostendit et hunc aerem cœlum appellari. Cum ergo probasset hunc aerem cœlum dici, nulla alia causa etiam Firmamentum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, et istas aquas quæ corpulentius in terris fluitant. Hanc ergo diligentiam, considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, et in promptu posito documento credi potest.[4]" Juxta hanc sententiam "aquæ quæ supra firmamentum sunt, sunt aquæ quæ vaporabiliter resolutæ supra aliquam partem aeris elevantur, ex quibus pluviæ generantur."[5]

67. Finis quem sibi proposuit Deus, mundum condendo, ipse fuit, nec enim aliquid se minus expetere potuit: "Universa propter semetipsum operatus est Dominus."[6] "Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum."[7] Attamen non aliquam sui utilitatem, sed suarum perfectionum communicationem respexit: nec enim aliquid ei accedere potest, quum omnium ipse sit fons; nec ullus ei est gloriæ fructus, vel voluptas; summe beatus enim est, sicut et perfectus.

68. Veram rerum gestarum historiam, non rem suo ingenio excogitatam, vel allegoriam quandam mythumve tradere Mosem, legenti fit perspicuum. Quomodo autem quæ ab initio Deus gesserat illi innotuerint, facile concipitur; divinitus quippe illustratus est, ejusque menti imago quædam Dei mundum condentis est obversata; ni placeat quam habuit, Deo ipso revelante, creationis notitiam Adam, transmissam scripto, vel monumento aliquo, vel publica omnium traditione celebratam. Ea est narrationis simplicitas quæ humani ingenii inventa non indicat, sed rerum veritatem. Equi-

(1) "L'existence de la lumière avant la création du soleil fut long-temps un ecueil pour l'ignorance. Aujourd'hui ce n' est plus une difficulté!" Moyse et les Géologues ch. iii. p. 55.

(2) De civ. Dei. l. xi.

(3) Vol. 1, p. 362.

(4) L. de Gen. ad lit. c. 4.

(5) S. Thom. Aq. Sum. 1, p. qu. 68, art. 8, *Si autem.*

(6) Prov. xvi. 4.

(7) Ps. xviii. 1.

dem exordium et caput historiæ Israelitarum inde desumpsit Moyses, perstrinxit enim summatim præcipuas res gestas ab orbe condito ad sua usque tempora ; quæ ipse gessit, vel quorum pars fuit magna, Israelitarum fata deinceps relaturus. Quotquot eum secuti sunt scriptores suæ nationis ipsas quas retulit res celebrarunt, veluti indubias, nec ullam allegoriam suspicati sunt, in iis ipsis narrationibus, quæ speciem aliquam huic opinationi præbere possent. Sic de muliere ex costa viri dormientis facta Apostolus loquitur, omni allegoriæ suspicione remota : " non enim vir ex muliere est ; sed mulier ex viro."[1] Adumbrata tamen mysteria Christiana iis quæ relatæ sunt rebus gestis, docet : " Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia."[2]

69. Bona esse quæ creavit Deus, Moyses sæpius testatur : " Vidit Deus quod esset bonum, quod fecit." " Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona."[3] Ideo dicit Apostolus : " omnis creatura Dei bona est."[4] Id quidem optime adnotatum, ut intelligeremus omnia e Conditoris manu bona prodiisse, nihilque e sui natura malum esse ; adeo ut quaecumque experiamur mala in Deum auctorem non referamus, sed vel nihil turpe in se continere, vel ab hominis culpa provenisse agnoscamus.

70. Moysen inscitiæ arguerunt Deistæ, quod solis, lunæ, et stellarum, fixarum præsertim, quas circa, solis instar, planetæ circumvolvuntur, magnitudinem, et cometarum infinitum pene numerum ignoraverit. Cæterum non constat quo usque ejus scientia sese protenderit : nec satis explorata sunt plurima quæ magno cum scientiæ apparatu a recentioribus Astronomis venditantur. Quicquid autem de rebus physicis obiter veluti tradiderit, magnum plerumque lumen scientiis affert : quod si quædam populari more dicta reperiantur, id mirum non est, quum scriptor divina documenta tradens receptis de rebus physicis opinionibus uti possit ; multo magis usui loquendi populari sese accommodare.[5]

(1) 1 Cor. xi. 8.

(2) Eph. v. 32.

(3) Gen. 1. 10. 12. 18. 21. 31.

(4) " Moyse l'appelle sans difficulté un grand luminaire par rapport a nous, et c'est avec raison." Jacquelot sur l'existence de Dieu ch. xxii.

(5) " Car il faut savoir que les auteurs sacrés n'out eu aucune autre vue, que d'enseigner aux hommes la religion, c'est à dire, la pieté, et la crainte de Dieu. C'est pourquoi sans s'arrêter aux précisions de la Philosophie, de l'Astronomie, ni des Mathématiques, l'Ecriture sainte nous parle des phénoménes d'une maniére populaire, à peu près comme ils paraissent a nos yeux, sans vouloir étonner le peuple par des descriptions surprenantes de la vaste étendue des cieux, de la rapidité imcompréhensible de leur mouvement." Jacquelot Ibidem.

PARS. III. ANTHROPOLOGIA.

C. I. DE HOMINIS NATURA.

71. Quæ hominis spectant naturam et conditionem, ad scientiam naturalem referri possunt, quippe quæ pleraque sensibus subjacent, vel suis se produnt effectibus: cæterum, uti rite animadvertit Angelicus doctor, "ea, quæ in diversis scientiis philosophicis tractantur, potest sacra doctrina una existens considerare sub una ratione, inquantum, scilicet sunt divinitus revelabilia."[1] Quid igitur de homine tradat scriptura videndum est.

72. Eum post cætera animantia creatum refert Moyses; nec dissentiunt jam Geologi plerique, quamvis putent per sæcula fere innumera terram extitisse, animantibus, quorum species penitus extincta est, eam incolentibus: eorum scilicet exuvias in rupium visceribus invenerunt, nullis hominis reliquiis admixtis. Cæterum Mosaicæ narrationis simplicitas facit, ut credamus hominem paulo post ea creatum, sexto scilicet die, iisque dominatum esse: nec opus est ut explicemus, cur nullæ ejus reperiantur exuviæ, quum plurimis casibus id potuerit contingere, et vix explorata sit a Geologis ea terrarum pars quam primi homines, dum pauci essent numero, incoluerunt."[2]

73. Corpus humanum ex limo a Deo conditum retulit Moyses, ejusque naribus flatum vitæ a Deo immissum: "inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem."[3] Inde sumpserunt occasionem Gnostici, Manichæi, et Priscillianistæ animam veluti portionem divinæ substantiæ habendi; quod simplicissima Dei natura, nulli obnoxia mutationi, vetat cogitare.[4] Equidem voces a sacro scriptore adhibitæ humanum quid sonant, hominibus scilicet accommodantur; sed eum facile excipiunt sensum, quod Deus corpori humano motum vitamque impertitus sit: נִשְׁמַת חַיִּים. Halitum autem vitæ esse animam, spiritum scilicet ad Dei imaginem creatum, ex iis quæ de homine ad Dei imaginem creando dicit sacer autor, meritò infertur; nec enim in corpore Numinis exemplum intueri est. "Animam" inquit Tertullianus, "ex Dei flatu, non ex materia vindicamus; muniti et illic divinæ determinationis inobscurabili regula, 'Et flavit,' inquit, 'Deus flatum vitæ in faciem hominis et factus est homo in animam vivam, utique ex Dei flatu."[5]

(1) Sum. 1. p. qu. 1. art. III. *Ad secundum.*
(2) Forichon, Examen des questions Scientifiques, 1. qu. § v.
(3) Gen. ii. 7.
(4) Conc. Tolet. 1. can. ii. errorem illum anathemate percussit.
(5) Tertull. de anima c. iii.

74. Animam simplicem esse substantiam, spiritum, scilicet, intelligendi et volendi facultate præditum, perpetua fuit fides. Sic Ecclesiastes quæ sequuntur mortem describit: "Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum."[1] τὸ πνευμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ "Spiritus hominis qui in ipso est,"[2] a S. Paulo memoratur. Stephanus moribundus animam Salvatori et Domino commendabat: "Domine Jesu, suscipe spiritum meum."[3] Jacobus spiritum a corpore plane distinguit: "Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est."[4] Dogma hoc ipsi suadetur rationi, cogitationis enim simplicissima natura, et mira ratiocinandi facultas, cum cœteris mentis actibus, materiei minime conveniunt.

75. Sunt inter Religionis hostes qui animam materialem esse contendunt; vel potius nihil per se esse; sed materiam *organizatam*, uti aiunt, animal prædicant, *organizationem* vitæ esse principium contendentes. Errorem hunc tuentur ea præcipue ratione, quod vires intelligendi, recordandi, volendique, quæ animæ dicuntur facultates, ex corporis conditione pendeant, ideoque, explicante se corpore, ipsæ manifestentur, corpore languescente, vel læso, deficiant. Insuper *organizatione* destructa, partis alicujus vitalis læsione, vita deficit, quæ proinde in ipsa *organizatione* consistere dicitur. Denique substantia spiritalis, quæ nullo rerum experimento probatur, non est, inquiunt, sibi fingenda, ob facultates quibus homo pollet; nam similes facultates, quamvis non adeo perfectæ, in brutis animantibus inveniuntur.

76. Fatemur vires intelligendi, cæterasque quæ animæ solent tribui, ex corporis conditione plurimum pendere, adeo intimo nexu corpus animaque inter se conjunguntur; sed sui natura cogitatio a materia discrepat, et substantiam denotat simplicem: nam in partes quasdam si divideretur, homo totum aliquid nequaquam simul perciperet.[5] In animantibus sensationes, motusque cupidinis videre est, quæ tamen toto cœlo discernuntur a ratiociniis humanis, et libero voluntatis arbitrio. Quidquid igitur sit de principio quo aguntur bruta animantia, utrum scilicet spiritale sit, vel materiale, liquet intellectus et voluntatis humanæ actus nonnisi spiritui tribui posse. Mirum non est spiritum Anatomicis se non prodere, dum singulas corporis partes scrutantur; jam enim recessit, et ex ipsa sui natura sensibus se substrahit: sed non ideo incertum est utrum existat, quum effectus ejus non minus manifesti sint, quam corporis motus. Linguæ motus audientibus oratorem aliquem patet, sensuum testimonio: mentis vires simul se pro-

(1) Eccl. xii. 7.
(2) I. Cor. ii. 11.
(3) Act. vii. 58.
(4) Jac. ii. 26.
(5) Præclare Jacquelot hoc tractat argumentum Diss. ii. sur l'existence de Dieu ch. vii.

dunt. Falluntur *Materialistæ* qui vitam in *organizatione* statuunt, quia ex ea pendet, adeo ut ea destructa tollatur; nam lex creatoris, qua conditio illa corporis et animæ conjunctionis posita est, inde quidem patet, sed non ipsa animæ natura, quæ aliunde locupletibus indiciis claret.

77. Phrenologiæ cultores, qui plurimi jam sunt, animæ facultates ex quadam cerebri dispositione repetunt, quas tamen explicari magis minusve, pro educatione, aliisque adjunctis, fatentur. Eos materialismi insimulant nonnulli, eo quod videantur animæ vires ad materiei molem, et situm referre; sed a tanta labe se immunes habent, cerebri formas peculiares mentis actibus occasionem et facultatem præbere, non autem inferre necessitatem, contendentes. Dubitari quidem nequit quosdam natura ita comparatos, ut scientiis quibusdam colendis sint aliis magis idonei; nec repugnat ut illa varietas ingenii ad cerebri variam conditionem, tamquam ad occasionem, referatur; instrumentum scilicet animæ haberi potest. Sic etiam constat cupiditates, et ad vitia proclivitatem variari, quod ad sanguinis humorumve impetum magis placet referre. Cæterum pro re explorata tenendum est animam esse spiritualem substantiam, liberamque, quidquid sit de Phrenologiæ argumentis, seu phenomenis.[1]

78. Immortalem esse animam humanam Dei cultorum fuit semper fides. Ejus documenta in prioribus libris Veteris Testamenti non adeo sunt manifesta; nec enim scripti sunt ab initio rerum, divinitus revelatas veritates tradendi consilio; sed bis mille quingentis saltem annis post conditum orbem, historiæ et legum codicis instar. Quæ igitur ab initio innotuerant dogmata, occasione data indicata sunt, potius quam conceptis verbis credenda proposita.[2] Ecclesiastes de spiritu ad Deum redeunte, corpore in pulverem soluto,[3] locutus est, certissima gentis Judaicæ fide innixus. Sapientiæ auctor justos impiosque corporibus superstites exhibet: "justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis sapientium mori . . . illi autem sunt in pace."—— "Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum."[4] Eam fidem apertissime confirmavit Christus: "Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere."[5] Et de impiis dixit: "Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam."[6] Tota Religio revelata hoc nititur dogmate, quod nec latuit Ethnicos ipsos, vetustæ traditionis vestigia secutos. Equidem animæ inest sensus quidam immortalitatis, quem vix exuere potuerunt, qui revelationis nullam prorsus habuerunt rationem. Laudis cupido, quæ homines ad ardua quæque impel-

(1) *Vide London Quarterly Review. Lectures on Phrenology, by George Combe, Edinburg*, 1836. Censor Londinensis irridet scientiam Phrenologiæ adeo jactatam!

(2) Vide vol. I. p. 47.

(3) Ecc. xii. 7.

(4) Sap. III. 1, v. 16.

(5) Matt. x. 28.

(6) Mat, xxv. 46.

lit, ut eorum apud posteros memoria vigeat, animam fore superstitem indicat; nec enim voluptas ex re quam prorsus ignoraret quærenda foret. Spiritualis animæ substantia nullam partium solutionem excipit, et proinde esse non desinit, nisi Deo volente. Nulla autem occurrit ratio, cur censeamus Deum quam semel condidit animam ad nihil redire jubere, quum vel ipsa materies, varias licet subeat vices, semper existere pergat.

79. Verba Ecclesiastis, quibus inter hominis jumentorumque interitum instituitur comparatio, dogmati immortalitatis animæ visa sunt repugnare; "Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat rursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?"[1] Hæc tamen aliaque veluti ex impiorum persona dicta licet accipere: "Hic igitur liber," inquit S. Gregorius M. "idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat: "Nam quot sententias quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit."[2] "Similis est interitus" inquit S. Thomas Aquinas, "quantum ad corpus: sed non quantum ad animam."[3]

80. De origine animæ variæ fuerunt apud veteres sententiæ. Eam ex traduce procreari, corporis instar, censebat Tertullianus,[4] nec renuit aliquando Augustinus.[5] Origines animas omnes ab initio simul conditas, singulas verò in corpora in dies immitti, in peccati pœnam, existimabat. Utraque sententia jamdiu explosa est; eaque nunc obtinet cui favit Concilium Lateranense V. nempe "animam humanam, pro corporum quibus infunditur multitudine, singulariter multiplicabilem et multiplicandam."

81. Apud Zachariam Deus exhibetur "fingens spiritum hominis in eo."[6] יֹצֵר רוּחַ־אָדָם בְּקִרְבּוֹ: quod de animæ creatione, et singulis corporibus infusione, licet explicare. Apud Ecclesiasten spiritus ab eo datus dicitur: וְהָרוּחַ תָּשׁוּב אֶל־הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נְתָנָהּ.[7] "Ex quo," inquit Hieronymus, "satis ridendi, qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Quum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Deum parentem animarum esse, non homines."[8]

(1) Eccl. iii 19.
(2) L. iv. dial. c. 4.
(3) S Thom. i. p. q. 75, art. 6, Ad. 1.
(4) Tertul. de anima. c. 25.
(5) L. 1, de anima et ejus origine a c. 14.
(6) Zach. xii. 1.
(7) Ecc. xii. 7.
(8) In locum.

82. Ad imaginem Dei homo conditus est: "creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et fœminam creavit eos."[1] Imaginem hanc ad corpus referre nefas est, nec enim Deus corpus est. Spiritus igitur qui a Deo datur similitudinem conditoris exhibet. Diversimode eam explicuerunt Patres; sed omnes explicationes eodem redeunt, nempe hominem anima præditum esse, quæ Deo adsimilatur, intelligendo, et volendo, et imperio quod in corpus et animantia bruta exercet. "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et præsit piscibus maris, et volatibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra."[2] Mulier etiam eam præsefert imaginem, uti ex supra relatis verbis liquet, sed homo præcipue: "quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro."[3]

83. Mulieris corpus ex Adæ costa factum est, sopore illi immisso dum auferretur, et carne pro ea suffecta: "immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem."[4] Sapientissimo sane consilio ea selecta est materies, ut, originis ratione, mulier homini intimo affectu adhæreret; nec homo carnem suam, anima præditam, et sui imaginem præseferentem, odio haberet, vel sperneret. Humani generis nexus arctissimus sic factus est, et conjugii jura indicata, ut mulier virum revereretur, et consortem nihilominus, potius quam dominum, haberet. Mythum in ea simplicissima narratione frustra quæsierunt Rationalistæ, quum contextus rem gestam suadeat, et Apostolus inde desumat argumentum.[5] Consonat Judæorum et Christianorum concors traditio, et sensus.

84. Ex Ada et Heva omnes homines ortos tradit scriptura, nam ante eos creatos: "homo non erat qui operaretur terram;"[6] et Ada condito: "non inveniebatur adjutor similis sibi."[7] Heva appellata est: "eo quod mater esset cunctorum viventium."[8] Ideo dicit Paulus de Deo: "fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ."[9] Adam etiam "primus homo"[10] vocatur. "Primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus."[11]

85. Isaac Peyrus, Calvinianus homo, decimo septimo sæculo medio, extitisse homines ante Adam contendit, sed errorem cum secta postea Romæ ejuravit. Moyses plura dicit sub initium Geneseos, quæ magnam jam esse hominum multitudinem innuunt. Sic Cain timet quemque obviam

(1) Gen. 1, 27.
(2) Gen. i. 26.
(3) 1 Cor. xi. 7.
(4) Gen. ii. 21.
(5) 1 Cor. xi. 8.
(6) Gen. ii. 5.
(7) v. 20.
(8) c. iii. 20.
(9) Act. xvii. 26.
(10) I. Cor. xv. 45.
(11) Sap. x. 1.

sibi futurum: "Omnis igitur qui invenerit me, occidet me."[1] Profugus autem constitit in terra orientali, et ædificavit civitatem, utique plurimorum hominum adjutus labore. Cæterum quum centum triginta fere anni a condito orbe fluxissent, quo tempore occisus est Abel, Seth enim Adæ brevi post ejus mortem, anno centesimo trigesimo, natus est, mirum non est fuisse jam plurimos homines in terra: "Non enim," uti optime adnotat Augustinus, "et Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cum de illo Scriptura loquens, ita concludat, quod genuerit filios et filias. Proinde cum multò pluribus illis vixerint annis quam Israelitæ in Ægypto fuerunt, quis non videat, quam multi homines nasci potuerunt, unde illa civitas impleretur, si Hebræi multo minori tempore ita multiplicari potuerunt?"[2]

86. Ex diversitate coloris, quo homines discernuntur, diversam eorum originem nonnulli intulerunt, cui et forma varia cerebri et capitis apud varias gentes, et incolæ, qui in insulis dissitissimis et regionibus, præsertim Americanis, reperti sunt, nullo originis communis vestigio extante, nulla verosimili ratione quomodo illuc pervenerint suppetente, suffragari videbantur. Cæterum coloris varietas ad cœli temperiem est referenda; cerebri forma ex plurimis causis immutata aliquatenus est; homines variis causibus hac illac delati sunt:[3] et ea apud omnes occurrunt communis originis indicia, quæ rem indubitatam faciant, nam et forma humana idem denotat genus, et traditiones, quamvis vitiatæ, veritates pristinas quibus nitebantur produnt. Mirum est quanta sit in rerum substantia concordia.[4]

C. II. DE HOMINE INNOCENTE.

87. Homo in Paradiso a Deo constitutus est, in horto scilicet deliciarum בְּגַן־עֵדֶן.[5] Ubinam terrarum fuerit inutili labore quæsierunt eruditi, mutata jam orbis superficie, ex quo diluvium omnia vastaverit. Cæterum quum Moses fluvium qui inde defluebat, in quatuor capita distributus, descripserit, nominibus locorum recensitis, quæ scilicet suo tempore jam ferebant, verosimiliter conjicitur Paradisum in confinio Mesopotamiæ, Ar-

(1) Gen. iv. 14.

(2) L. 1. quæst. in Gen. q. 1.

(3) Cooke in insula *Wateoo* tres homines invenit illuc ventorum vi delatos in navicula (*canoe*) a littore *Otaheitii*, 550 milliaribus procul. Vide alios casus apud Lyell l. iii. c. vii. Vide et Jacquelot de l'existence de Dieu Diss. II. c. vi.

(4) Vide vol. I. p. 41. 42.

(5) Gen. ii. 15.

meniæ, et Arabiæ Orientalis eum fuisse. Profecto Euphrates plane designatur quartus fluvius: פְּרָת.[1]

88. Duæ præ cæteris arbores Paradisi in Scripturis notantur, lignum scilicet vitæ, et lignum scientiæ boni et mali. Illud vitæ hominis servandæ divino consilio inserviebat, eum, quamdiu innocens erat, a morte immunem facturum. "Fructus aboris," optime adnotat S. Bonaventura, "non dabat immortalitatem; sed divina virtus, cum fructus illa comedebatur, immortalitatem homini largiebatur."[2] Arbor altera "appellata est scientia dignoscendi bonum et malum, quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat futuri præcepti trangressio; in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum."[3]

89. Magna rerum scientia homo innocens fuit instructus, de primis enim parentibus apud Ecclesiasticum legimus: "cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis."[4] Equidem Adam animantibus imposuit nomina, eorum naturæ congrua, quod scientiæ eximiæ argumento est. Quomodo autem serpenti falsa suadenti obsecuta sit mulier, huicque morem gesserit vir, non facile concipitur, nisi amore propriæ excellentiæ sensim sine sensu luminis cœlestis subductionem inducente: "Mulier," inquit Augustinus, "verbo serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis, et quædam de se superba præsumptio."[5]

90. Rectus, scilicet, ab omni vitio immunis, creatus est primus homo, imo dono gratiæ cœlestis auctus: "Solummodo hoc inveni, quod facerit Deus hominem rectum."[6] ישׁר autem de justis sanctisque passim in Scripturis usurpatur, imo et Deus ita vocatur. Sanctitatem et justitiam originalem in qua homo constiutus erat,[7] divina munificentia tributam esse liquet; potuit enim Deus hominem, anima et corpore constantem, ad finem mere naturalem creare, integrum quidem et innoxium, sed nullo subsidio supernaturali instructum. Potuit eum relinquere iis incommodis obnoxium, quæ ex corporis conditione sequuntur, morbo scilicet et morti. Quod igitur eum ad altiorem statum evexerit, et sanctitate ornarit, ut Deo fruendo fieret idoneus, dono cœlesti et gratuito contigit. Vehementer idcirco erravit Lutherus dicens: "Quare statuamus, justitiam non esse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatumque a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut naturæ Adæ esset diligere Deum, credere Deo, cognos-

(1) v. 14.
(2) In 2 dist. 17.
(3) Aug. l. 8. de Gen. ad lit. c. 6.
(4) Eccl. xvii. 5.
(5) Aug. l. ii. de Gen. ad lit. c. 30.
(6) Eccl. vii. 30.
(7) Conc. Trid. Sess. v. Can. 1.

cere Deum."[1] "Hæc probant justitiam esse de natura hominis, ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant."[2] Plures Baji propositiones, huic haud absimiles, damnatæ sunt a Summis Pontificibus.[3] Concupiscentiæ rebellis motus hominem non exagitabant, ideoque nullam pudoris habuit causam: "erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus; et non erubescebant."[4]

91. Immortalis fuisset homo, si mansisset fidelis, mors enim in pœnam transgressionis intentata est: "De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris."[5] "Præcepit nobis Deus" inquit Eva, serpenti respondens, "ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur."[6] Sententia lata est: "pulvis es, et in pulverem reverteris."[7] Hinc auctor Sapientiæ dicit: "Deus mortem non fecit;"[8] "Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum."[9] Apostolus etiam peccato mortem tribuit: "Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt."[10] Meritò igitur Pelagii Cœlestiique sententia, qua mors pristina hominis statuebatur conditio, ex naturæ necessitate profecta, anathemate damnata est: "Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit."[11]

92. Veterum testimonia nonnulla hac de re referre juvat, Zieglero ea nobis suppeditante. Tatianus: "Non facti sumus ut moreremur: morimur autem nostra culpa."[12] Theophilus: "Homo sua inobedientia mortem sibi accersivit."[13] Cyprianus: "In illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discessit."[14] Ambrosius: "Deus mortem non fecit; sed postquam homo lapsus in flagitium est, sententiam tulit, ut in terram suam terra remearet."[15] Athanasius: "Si autem legem

(1) Luther in Gen. c. iii. op. ed. Jen. t. i. p. 83.
(2) Ibidem.
(3) 21. 23. 24. 26. 55. 78. 79. inter Bajanas.
(4) Gen. ii. 25.
(5) Gen. ii. 17.
(6) Gen. iii. 3.
(7) Gen. iii. 19.
(8) Sap. i. 13.
(9) Sap. ii. 23.
(10) Rom. v. 12.
(11) Milevitan. Conc. can. 1. an. 416. Vide etiam Tridentin. Sess. v. in decr. de pec. orig.
(12) Orat. contra Gent. n. 11.
(13) Ad Autolyc. l. 2.
(14) Serm. de patientia.
(15) L. de bono mortis, c. 4.

transgrederentur, scirent, se naturalem mortis corruptionem esse passuros, morientes in mortem, putredinemque solvendos."[1] Augustinus: "Constat inter Christianos, veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit; sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus: 'Terra es, et in terram ibis.'"[2]

93. Immortalitas tamen corpori humano non vi suæ naturæ, sed dono Dei conveniebat, ea conditione ut præceptum sibi datum servaret: "Aliud est," inquit præclarus quem mox laudavimus doctor, "non posse mori sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur ligno vitæ, non de institutione naturæ. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis: immortalis autem beneficio conditoris."[3]

94. Immunitate ab ærumnis quibuscumque gaudebat homo innocens, juxta constantem Veterum sensum: "Quam igitur felices erant," exclamat Augustinus, "primi homines, et nullis agitabantur pertubationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis."[4] Id congruit integræ hominis rerumque omnium conditioni. Consonat universi generis humani traditio de aurea mundi ætate, quam vates adeo celebrarunt.

C. III. DE PECCATO ORIGINIS.

95. Quæ dona accepit homo Dei munificentia, servanda erant Deo obtemperando: quumque innocens nullum carnis motum rebellem experiretur, nulla flagraret cupiditate, præceptum conditioni suæ congruum divinitus est datum, a cujusdam arboris fructu sese abstinendi; morte, si illud transgrederetur, intentata. Res erat servatu facilis:[5] attamen "serpens

(1) L. de incarn.

(2) L. xiii. de civ. Dei. c. 15.

(3) L. vi. de Gen. ad lit. c. 25.

(4) L. xii. de civ. Dei. c. 10.

(5) Pulcherrime Chrysostomus inquit: "Quemadmodum munificus aliquis dominus ædes amplas et magnificas cupiam fruendas concedens, non justum illorum pretium, sed exiguam ejus particulam vult accipere,ut et sibi dominii jus integrum servet et usuarius iste certè sciat, non se ædis esse dominum, sed illius beneficio ac liberalitate utendum sese accepisse. Sic Dominus noster, cum quidquid adspectabile est, homini commisisset, eique tum in paradiso domicilium, tum ejus delicias ad fructum animi tribuisset, ne paulatim animo in transversum abreptus ista ipsa, quæ oculis cernuntur, per se ac temere esse crederet, et supra dignitatis suæ modulum de ipso sentiret, unius illi usum arboris interdixit." hom. xvi. in Gen. cit. a Perrone.

antiquus qui vocatur diabolus et Satanas,"[1] Angelus lapsus tantæ felicitati invidit, et homini innocenti insidias struxit. Serpente, animali quod astutia notabatur, quippe quod, in herba latens, animalium calces mordeat, usus est diabolus;[2] et, vocibus ejus ore prolatis, suasit Evæ ut fructum comederet, scientiam amplissimam, qua Deo adsimilaretur, illi pollicitus. Seducta est ipsa, quæ et Adæ pomum dedit manducandum. Admisso peccato pœnas ejus statim cœperunt luere, nam et de nuditate erubuerunt; caro quippe haud amplius, dono gratiæ, spiritui obtemperabat. Deus peccantes arguit, et sententiam in eos protulit. Ipse serpens, utpote tentationis instrumentum, debuit deinceps in pulvere repere, eoque veluti pasci, scilicet dum comedit, pulverem etiam deglutire. Hæc naturæ suæ jam congruisse nonnemo putat, ex eo tempore in pœnam et monumentum tentationis cessura. Mulieris semen serpentis caput erat calcaturum: ille insidias generi humano moliturus indesinenter; quod in odio quo homines animalia illa detestantur, quæ avide occidunt, et in serpentis vi noxia, ad litteram impletum videre est. Cæterum in diaboli vi Christi potestate compressa illustrius est vaticinii hujus impleti exemplum. Mulier pœna mulctata est, incommoda ex conceptu prolis, dolores vehementes in parturiendo patiendi, et duriori hominis subjacendi imperio. Homo ipse, qui in paradiso constitutus erat, ut hortum illum custodiret et coleret, nullo certe labore difficili, quum terra e virgineo gremio fructus fere sponte sua funderet, jam peccati pœnam ferens, solum durum et ingratum culturus. Mortis sententia prolata est; et ut executioni demandaretur, ejecti sunt Adam et Eva ex horto illo amœno, ne arboris vitæ fructum degustarent, quippe qui viribus reficiendis et vitæ servandæ alias ex Dei consilio inserviturus erat. Cherub, igneum ferens gladium, in paradisi aditu visus est ejectis hominibus, quibus omnis reditus præcisa est spes.

96. In hac Mosis narratione purum mythum viderunt Rationalistæ, quem putavit Joannes Georgius Rosenmüller ex monumento Ægyptiaco figuris hieroglyphicis inscripto derivari.[3] Filius ejus Ern. Frid. Car. Rosenmüller censuit mytho illo designari rationis in hominibus primordia, primosque ad coitum motus.[4] Veram autem rei gestæ narrationem illic exhiberi, patet ex ipsa orationis serie, sicut et ex iis quæ sacri scriptores, præsertim Paulus, de Evæ seductione, et Adæ delicto dixerunt.[5] Equidem quod apud plerasque gentes ejusdem traditionis vestigia reperire sit, rei veritatem demonstrat; quæ enim adjecerunt poetæ ornatus causa, vel quæ alias immutata sunt, ex gentium singularum ingenio, non possunt rem

(1) Apoc. xii. 9.
(2) Vide Aug. l. xi. de Gen. ad lit. c. 29.
(3) Erklärung der Geschichte vom Sündenfall von D. Joh. Geo. Rosenmüeller.
(4) In locum.
(5) Sap. x. i. II. Cor. xi. 3. Rom. v. 12.

ipsam incertam reddere, quæ etiam inter fabellas se prodit, certo Mosis testimonio alias firmata.

97. Id igitur pro indubitato ex Sacræ Scripturæ auctoritate, et perpetua Ecclesiæ traditione, tenendum est, revera primis hominibus datum præceptum abstinendi a fructu cujusdam arboris, sub pœna donum immortalitatis amittendi: quod tamen, serpente suadente, violarunt, morti idcirco facti obnoxii. Singula autem adjuncta explicare sacrorum est interpretum, qui a simplici et obvio verborum sensu, in re plane historica, non debent facile recedere. Figuras, allegorias, mythos Orientalibus et plerisque gentibus antiquis familiares fuisse novimus; sed non ideo omnia sunt ab obvio detorquenda sensu, præsertim Apostolo Paulo rei veritatem manifestò tradente.

98. Ex mosaica narratione liquet mortem peccato primorum parentum inductam, una cum plurimis, quibus humanum genus laborat, ærumnis: cæterum de animæ reatu, eorum posteris communi, nihil dicitur, quem tamen constanter prædicat Christi Ecclesia, Apostolo Paulo præeunte. "Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt." "Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi —— —— anathema sit."[1] Optime adnotavit Augustinus: "antiquo peccato nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius."[2] De ejus natura plura disceptarunt Theologi, curiosius forsan arcanum fidei rimati, ut hæreticorum obviam irent objectionibus. Nos intra fidei limites sistendum duximus: scilicet, Ada peccante, totum humanum genus lapsum agnoscimus, universos proinde nasci peccatores, anima Deo mortua. Hoc dogma negavit quinto sæculo ineunte *Pelagius* monachus laicus e Britannia,[3] Cælestio Scoto assentiente; quibus præclare restitit Augustinus, quosque concilia[4] et Pontifices damnarunt. Albigenses in

(1) Conc. Trid. Sess. v. decr. de pec. orig.

(2) L. de moribus Eccl. c. xxii.

(3) Conjicit Priestley eum Morgan Anglicum nomen Græce reddidisse. Cœlestium dicit Hibernum, Scoti quippe Hiberniæ incolæ dicebantur. Priestley hist. Vol. II. per. xii. §. ix.

(4) Conc. Carthag. plenarium 217 Episcopus constans, an. 418. Vide etiam Milevitanum II. Diospolit. Constantinop. sub Attico. Antiochenum sub Theodoto.

eodem hæserunt luto, sicut Zuinglius etiam, et Socinus uterque. Illud negant aperte Unitarii hodierni.[1] Novissime Albertus Barnesius, præco presbyterianus, illud evellere studuit, arte quadam et industria, editis in epistolam S. Pauli ad Romanos commentationibus, quæ magnum in secta conflaverunt incendium. Profitetur quidem se rem ipsam admittere, ex quo peccavit Adam totum humanum genus in peccatum et interitum prolapsum;[2] sed *theoriam* nullam ab Apostolo statutam dicit, a qua igitur statuenda abstinendum est. Re tamen vera ipse suam mentem prodit, occasionem lapsus cæteris hominibus ex Adæ peccato ortam, sed nullam veram peccati labem. Latet anguis in herba; de theoria enim statuenda haud agitur, sed de re ipsa: utrum scilicet peccante Adamo, universi homines constituti sint peccatores, et ideirco morti obnoxii: non adhuc quæritur quomodo id contigerit, qua ratione reatus ille transfundatur, quave in re peccati hujus natura sit posita. Has quæstiones ad *theorias* relegari patimur libenter: sed dogma, rem, *factum*, negat, qui dicit homines Adæ posteros tunc primum peccatores constitui, quando suis actibus deliquerunt;[3] Apostolus quippe docet omnes Adæ peccato peccatores constitutos.

99. Vere dixit Priestley Reformatores decimo sexto sæculo, Catholicæ doctrinæ de merito ut obviam irent, in dogmate de peccato originis longius progressos,[4] quum enim doceret Ecclesia "totum Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse;"[5] illi plerique hominem lapsum penitus inquinatum in omnibus facultatibus et partibus animæ et corporibus, et omni prorsus bono ineptum contendebant, et ipsam corruptionem manere etiam in renatis, et esse vere peccatum Hæc in confessionibus fidei Presbyterianorum, Baptistarum, Episcopalianorum, et Methodistarum adhuc reperiuntur.[6]

100. Peccatum originis, quod Adæ posteris commune est, longe differre a peccato actuali, quod scilicet quisque patraverit, in confesso est. De ejus

(1) Abstract of Unitarian belief, p. 19. Vol. I. Unitarian Miscellany.

(2) "The simple fact is stated that that sin was followed by the sin and ruin of all his posterity." Preface, Notes on Epistle to Romans, by Albert Barnes, Philadelphia, 1834.

(3) I understand it, therefore, as referring to the fact that men *sin in their own persons, sin themselves*,—as, indeed, how *can* they sin in any other way?—and that, therefore they die." Notes on the Epistle to the Romans, by Albert Barnes, on ch. v. v. 12.

(4) Hist. Christian Church. vol. II. per. xij. §. ix.

(5) Conc. Trid. Sess. v. Decr. de pecc. orig.

(6) Original sin * * * is the fault and corruption of the nature of every man * * * and in every person born into this world, it deserveth God's wrath and damnation. And this infection of nature doth remain, yea in them that are regenerated." Art. x. Prot. Ep. "By this sin they * * * became dead in sin, and wholly defiled in all the faculties and parts of soul and body * * * From this original corruption, whereby we are utterly indisposed, disabled, and made opposite to all good, and wholly inclined to all evil, do proceed all actual transgressions. . . . Both itself and all the motions thereof are truly and properly sin." Presbyterian Confession, ch. vi.

natura variæ sunt Theologorum sententiæ, inter quas ea nobis arridet, quæ peccatum illud in privatione justitiæ originalis constituit, hæc enim quum sit animæ vita, ejus privatio mors est. Ideo autem peccati habet rationem, quod fuerit Adæ, tamquam capiti humani generis, concessa, ad posteros, si fideles fuisset, transitura: "Dicendum," inquit S. Thomas, "quod defectus illius originalis justitiæ, quæ homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit, et sicut illud naturæ donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente: ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturæ; ad idem enim genus privatio et habitus referuntur. Et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est primi hominis, inductus est talis defectus.[1]" Hinc Bellarminus ait: "Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ a statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam naturalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit. Quæ sententia communis est doctorum Scholasticorum veterum et recentiorum."[2]

PROPOSITIO.

Adæ prævaricatio universæ ejus propagini nocuit, mors enim et peccatum inde in omne genus humanum transfusum est.

101. *Probatur, Ex Apostoli Pauli celeberrimis testimoniis.* Quum Romanos de gratuita Dei misericordia, et de salute per fidem instrueret, reconciliationem, quam per Christum consecuti sumus, extulit, eamque cum detrimento quod Adam generi humano intulit, comparavit, ut eluceret e contraria veluti parte: "sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim

(1) In II Sent. D. xxx. q. i. art 2.

(2) De gratia primi hominis c. v. Controv. t. iv. Vide et Symbolik von Möhler, l. i. c. 11. § 5.

unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi."[1] Apostolus dicit per unum hominem peccatum cœpisse, et per peccatum mortem; et hanc dat rationem quare omnes mortis legi subjaceant, quia scilicet omnes peccato adstringuntur. *διὰ της ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Hæc ratio probat universos homines peccato irretiri; quidquid sit de vocibus illis *ἐφ' ᾧ in quo*. Has ad Adamum referunt nonnulli emunctæ naris critici,[2] sicut Græci Patres Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Contendunt alii cum Rosenmüller eas vim particulæ causalis hic habere: "tantumdem valet ac *διότι quia, eo quod, quandoquidem*."[3] Quoniam igitur moriuntur plurimi in infantili ætate, nullo personali reatu adstricti, peccato tantum Adæ obnoxii haberi possunt, in quo peccaverunt, non suæ voluntatis actu, sed veluti in capite generis humani. Latior autem hæc peccandi significatio rei et contextui congruit.

102. Mortem ubique obtinuisse quavis mundi ætate, ea de causa quod peccatum obtineret, animadvertit Apostolus; quum enim nonnemini videri posset peccata nonnisi data lege Mosaica patrata fuisse, est enim peccatum legis violatio, affirmat peccatum ante legem extitisse, quamvis ejus turpitudo lege promulgata magis innotesceret: scilicet quæ fiebant legi naturali mentibus insculpatæ adversa abominationi habebantur, adjecta legis Mosaicæ prohibitione, minisque mortis intentatis. Ex eo quod mors per illud temporis in universos homines dominata fuisset, haud exceptis iis qui nullo suo actu Adæ prævaricationem fuerant imitati, infert Apostolus, hos etiam peccato fuisse adstrictos, non suo, sed alieno: secus mortis necessitati haud subjiciendos. Iterum quum legis Mosaicæ pœnæ ante eam latam haud vigerent, morte tamen mulctati sint universi homines, etiam antequam lex illa fuerit lata; legem aliam peccato violatam ab omnibus agnoscere oportebat. Præstantiam doni in Christo dati pergit ostendere. Id autem tamquam notissimum ponit principium, unius Adæ culpa plurimos, scilicet universos, esse mortuos, quod de peccato, quod mors est animæ, et de morte, qua solvitur corpore anima, licet intelligere. *Εἰ γαρ τω τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοι ἀπεθανον.* Recte adnotat Rosenmueller: '*Οι πολλοι*, cum articulo: *multitudo, totum genus humanum*.

(1) Rom. V. v. 11—19.

(2) Vide *Muratori*, De ingeniorum moderatione l. iii. c. 1, cit. a Perrone, qui etiam Græcorum recitat testimonia. Tract. de Deo p. 111. c. iv. n. 416. not. Vide etiam *Criticos Sacros*.

(3) Rosenmüller in loc.

Est Hebraismus in hac dictione, nam etiam רבים *omnes* denotat, et πολλοὶ redditur in Theodotionis versione Dan. xii. 2." Totum genus humanum igitur mortis necessitati subjacuit, propter unius Adæ delictum: mors autem, uti Apostolus jam dixit, peccati est pœna: ergo totum genus humanum peccato adstrictum tenebatur, Ada peccante. Abundantia doni non respicit majorum numerem hominum, nam eædem voces in textu occurrunt: *εἰς τοὺς πολλοὺς hominum scilicet universitatem*, cui, copia magna, divina offeruntur beneficia. In eo est Apostolus ut ostendat universis suppetere subsidia salutis, qui Christum fide illa, quæ per dilectionem operatur, amplecti velint. Ada peccante totum humanum genus noxa tenebatur, quam contrahit quisque statim ac inter Adæ posteros recensetur. Christus moriens universis hominibus omnia promeritus est subsidia ad delenda peccata, et ad assequendam salutem: quæ reapse quis obtinet, statim ac Christo adhæret, et instituta ab eo sacramenta, saltem desiderio, suscipit.

103. In eo autem maxime splendet redemptio Christi, quod damnationem, ex uno delicto ortam, non tantum solvat, sed omnia prorsus peccatorum vincula: Τὸ μὲν γαρ κρίμα, ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα· τὸ δε χάρισμα, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. Ad unum Adæ peccatum constanter recurrit Apostolus, tamquam condemnationis, qua omnes adstringuntur, causam: Εἰ γαρ τῷ τοῦ ἑνος παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ του ἑνος. * * * "Unius delicto mors regnavit per unum." δι ἑνος παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατακριμα per unum delictum, vel uti habet, Vulgata quod his quæ præcesserunt magis consonat: "per unius delictum in omnes homines in condemnationem." διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεσταθησαν ὶ πολλοι "per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi," scilicet universi. "Per quinque versus," animadvertit Rosenmueller, "quinquies idem fere repetitur, variatis quidem verbis, at re semper eadem manente." Quis non videt Apostolum hanc inculcare sententiam, Adæ peccatum toti humano generi attulisse interitum, et omnibus esse mortis causam, omnes inde constitui peccatores? Non eodem prorsus sensu, quo qui actu peccarunt, vox hæc sumitur; cæterum vim sane haud parvam habet, quum simus morti obnoxii, Deo mortui. Sententiæ totius repetitæ vim sensit Rosenmueller ipse, qui frustra ad peccata actualia confugit, ut ejus redderet rationem, de iis enim eo loci non disserit Apostolus. "Omnes nempe" inquit eruditus interpres, "post Adam peccarunt, et rei facti sunt pœnæ vi legis, quæ uni quidem Adamo data erat cum comminatione, sed ad hominum universitatem pertinebat."[1] Si de peccatis hominum ex occasione primi illi peccati admissis ageretur, nulla erat causa cur Apostolus rem tegeret involucris, toties de unico illo peccato loquendo.

104. Ad Corinthios scribit se omnesque fideles eximia erga illos Christi dilectione impelli, ut ei totos se dicent; "charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes

(1) Rosenmueller in v. 19.

mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit."[1] Ex morte quam Christus pro omnibus subiit, infert omnes mortuos fuisse, delictis utique, juxta illud principium: "vix enim pro justo quis moritur: * * commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est."[2] Universi igitur peccatores et injusti fuerunt, et delictis mortui: *εἰ εἷς ὑπερ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον.*

105. Ad Ephesios scribens, dicit eos olim mortuos fuisse delictis et peccatis, nec abnuit Judæos etiam cupiditatibus inservisse: "in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri."[3] *ἤμεν τεκνα φύσει ὀργῆς.* Vitia ex innata quadam ad peccatum proclivitate oriri, manifesto indicat, homines scilicet naturali sua conditione sunt ira digni, et ad vitia proclives. Vim verbis infert Rosenmüller aliique, *φυσει*, ad consuetudinem, quæ fit altera natura, referentes.

106. *Probatur II. ex Veteri Testamento.* Originariam noxam, quam quisque ex Adæ posteris contrahit, alte professus est Psaltes, eam ad divinam misericordiam conciliandam allegans; quippe qui in flagitium, impellente prava cupiditate inde orta, lapsus erat: "Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea." הֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי Ipse *Rosenmuller* versum hunc sic exponit: "*En! ego cum iniquitate genitus sum*, hæret in natura tota mea, jam inde ab ortu meo, est innata mihi pravitas. Quibus verbis judicem ad misericordiam flectere studet, ignoscendique peccati sui, si ex æquitate et clementia judicare velit, nonnihil adesse causæ asserit, quod infecta per originis vitium natura non mirum est, si peccata alia proferat ac germinet. * * * Præfixum ב ante עָוֹן non respicit parturientem matrem, sed sobolem partu editam, quæ cum peccato, sive peccato jam infecta in lucem editur." * * * Dicit itaque vates, se tunc etiam quum a matre conciperetur, uteroque gestaretur, peccato fuisse infectum; hinc autem æquum esse, ut non summo jure, sed clementer secum Deus agat, iniquitatemque suam, non tam admissi sceleris, quam infirmitatis innatæ habita ratione, relaxet."[4]

108. Job simili ratione Deum flectere studuit: מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד.[5] "*Quis dabit purum ex immundo*, sc. homine natum * * *

(1) II. Cor. v. 14.
(2) Rom. v. 7.
(3) Eph. ii. 3.
(4) In locum. Perrone hæc Zuingliano sensu dici putat.
(5) Job. xiv. 4.

Non unus, ne unus quidem hoc præstabit, ut mundus ex immundo nascatur." Ita Rosenmüller litteræ inhærens. Vulgatus interpres paulo liberius: "Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?" Sensum hunc non respuit interpres prius laudatus, sed explicat: "Quid, inquit, hominem punis ob peccata, ad quæ suapte natura est proclivis, et quæ ex vitiosa indole naturæ suæ, quum immundus sit origine, vitare non potest?"[1] Septuaginta paulo aliter, sed in eundem sensum: τὶς γὰρ καθαρὸς ἔςαι ἀπὸ ρυπου; ἀλλ' ȣδεὶς εαν καὶ μία ημέρα ὁ Βίος ἀυτȣ ἐπὶ της γης. "Quis enim mundus erit a sorde? Nemo, licet vita ejus unius diei fuerit super terram."

108. Constat, igitur, Job et Davidi fuisse persuasum juxta divinam traditionem, sordem peccati a quolibet contrahi etiam in utero. Hanc fuisse Judæorum communem fidem adeo liquet, ut Rosenmüller velit Paulum cum iis ex concessis agere, dum ad peccatum Adæ universa humani generis mala refert.[2]

Probatur iii, *ex Christianæ Ecclesiæ perpetua traditione.*

109. Justinus dicit Christum in Jordane baptizatum, sicut et in cruce passum, non sui, sed humani generis causa: υπερ τȣ γενȣς του των ἀνθρωπων, ὁ ἀπο τȣ Αδαμ υπο θανατον και πλανην την του Ὀφεως ἐπεπτωκει, παρα την ἰδιαν ἀιτιαν ἑκαςȣ ἀυτων πονηρευσαμενον: "pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat, præter culpam propriam cujusque improbe agentis.[3]

110. Irenæus: "Quoniam in illa plasmatione quæ secundum hominem est, in transgressione factus est homo, indigebat lavacro regenerationis."[4] * * * "Dissolvens enim eam quæ ab initio in ligno facta fuerat hominis inobedientiam, obediens factus est usque ad mortem."[5] "Quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus."[6]

111. Tertullianus, animi motus qui rationi congruunt ab iis qui repugnant discernens, dicit: "Quum dicit: 'Fuimus aliquando natura filii iræ,' irrationale indignativum suggillat, quod non sic ex ea natura quæ ex Deo est, sed ex illa quam diabolus induxit, dominus et ipse dictus sui ordinis, 'Non potestis duobus dominis servire:' pater et ipse cognominatus: 'Vos ex diabolo patre estis.' Ne timeas et illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris et adulteræ, quem legis avenarum supersemina-

(1) Ultra dogmatis Catholici limites progreditur Rosenmüller, Protestantico errore laborans.

(2) "Peccatum originis agnovisse Hebræos, testatum faciunt, qui gentis illius dogmata explicarunt data opera, refutaruntve." Ita Ziegler Theol. Dog. p. II. l. II. Not. 3, p. 17.

(3) Dial. cum Tryphone Judæo n. 89.

(4) L. v. adv. hær. c. xv.

(5) Ib. c. xvi.

(6) Ibidem.

torem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem."[1] Hoc naturæ vitium ad serpentis tentationem refert, de Ada enim dicit: "Si et malum in eo apparuit transgressionis admissum, nec hoc naturale deputandum est, quod instinctu serpentis operatus est."[2] Fidelium filios æque ac cæteros eam labem contrahere docet, Apostoli verba explicans: "Sic et omnibus Genii deputantur, quod dæmonum nomen est: adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim et Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. 'Cæterum,' inquit, 'immundi nascerentur;' quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios; ut hujus spei pignore matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis: 'Nisi quis nascetur ex aqua et spiritu, non ibit in regnum Dei,' id est, non erit sanctus. Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate."[3] Alias de diabolo dicit: "per quem homo a primordiis circumventus, ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus; exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit."[4]

112. Origenes: "Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod et Scriptura dicit: *Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus.* Hoc ipso ergo quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre et in matre contaminatus dici potest. * * * Omnis ergo homo in patre et in matre pollutus est, solus verò Jesus Dominus meus in hanc generationem mundus ingressus est, in matre non est pollutus."[5]

113. S. Cyprianus ex sententia concilii lxvi. episcoporum, Fido proponenti parvulorum baptisma ad octavum usque diem a nativitate differendum, respondens, dicit: "Porro autem si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata."[6]

114. S. Hilarius in illa Psaltis verba: "Vivet anima mea," adnotat: "Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit: 'Ecce in iniquita-

(1) Tertul. de anima c. 16.
(2) Ibid c. 21.
(3) Ibid. c. 39, 40.
(4) L. de test. animæ c. III.
(5) Hom. xii. in Leviticum n. 4.
(6) Ep. lix. ad Fidum.

tibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.' Scit sub peccati origine, et sub peccati lege se esse natum."[1]

115. S. Ambrosius: "Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa mors omnium est."[2] "Fuit Adam, et in illo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt."[3] "Antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur."[4]

Probatur IV. *Ex Baptismi necessitate et ritibus antiquissimis.*

116. Liquet ex indubitatis monumentis, quæ postea recensebimus, baptismum semper habitum esse omnibus, etiam parvulis, necessarium: eumque in peccatorum remissionem conferri. Quum igitur parvuli nullo sui actu inquinentur, reliquum est ut communi generis humani, a primo homine derivata, noxa teneantur. Insuper, uti optime suo jam tempore argumentabatur Augustinus, exorcismi in Baptismo semper adhiberi consueverunt, qui eo diriguntur ut Satanæ potestate eripiantur baptizandi: cui certe nonnisi ob originis labem infantes subjacere possunt. "Id tu commemorare timuisti, (exprobrabat Juliano), tamquam ipse a toto orbe exsufflandus esses, si huic insufflationi, qua princeps hujus mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses."[5]

117. Probatur V. *Ex Pontificum et Conciliorum, quinto ineunte sæculo, decretis in causa pelagiana.* Quum enim Pelagio et Cœlestio labem originis negantibus, totus commotus sit orbis christianus, et decreta in eos sint lata a conciliis Carthaginensibus et Milevitano, et ab Innocentio I., toto probante episcoporum cœtu, liquet vetustam fuisse et exploratam dogmatis illius fidem. Concilii Ephesini Œcumenici[6] et concilii Arausicani II., anno 529, licet adjicere auctoritatem.

118. *Obj.* 1. Lex Adæ data nihil de posteris annuntiabat: Ergo Adam non poterat suspicari eos ea comprehendi. Ex tota narratione liquet Deum etiam post culpam nihil de iis protulisse. Ita Albertus Barnesius, qui animadvertit Mosen haud dicere Adam de legum et pœnarum vi fuisse instructum; nec tantam scientiam homini recens condito convenire contendit.[7]

119. *Resp.* Ipse Barnesius fere eodem spiritu, fatetur absurdum esse, ut quis exigat omnia, quæ ex delicto secutura sint, mala prænosci, ad justitiam legis et pœnæ vindicandam. Magnam fuisse cœlitus datam primis parentibus scientiam affirmat Ecclesiasticus, quod suadet Dei erga homi-

(1) Tract. in Ps. cxviii. sub finem.
(2) L. 4, n. 67 ad Luc. c. 4. v. 38.
(3) L. 7, n. 234 ad Luc. c. 15, v. 24.
(4) Apologia David c. 11. Ps. 50, 7.
(5) L. II. contra Julian. c. II.
(6) Can. iv. apud Harduin. t. I. col. 1623.
(7) In c. v. ad Rom.

nem, ad sui similitudinem factum, bonitas: nec Œdipo opus erat, ut intelligeret se donis spoliandum, si deliquisset; posteros iis etiam carituros. Quod Moses non referat Deum pœnas posterorum, et eorum reatum explicuisse, non obstat: nec enim disserentis more Numen exhibetur: mala autem plurima inde derivata, constat, nam "jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ, in matrem omnium."[1] Cæterum juxta sententiam, quæ peccatum in privatione justitiæ originalis statuit, opus non erat ut Adam nosceret posteros lege sibi data comprehendi, poterat enim Deus, solo suo arbitrio, et arcano decreto, facere ut dona illa gratuita denegarentur generi humano, capite ea sua culpa amittente.

120. *Objicitur* 2. Lex nequit obligare eos qui nondum existunt. Peccare nequit quis antequam nascatur.

121. *Resp.* Nemo certe vel lege ligari, vel peccare potest antequam existat, directe, scilicet, et suo actu. Sed legis datæ capiti humani generis sequelæ possunt ad omnes ejus posteros pertingere, ipsa vi sua et ordinatione divina. Peccare idcirco hi dicuntur latiori sensu, nec enim suo peccarunt actu, et voluntate: sed noxa communi, quam unus admisit, omnium pater, tenentur.

122. *Objicitur* 3. De Ada tamquam capite humani generis *fœderativo* omnes homines *repræsentante*, non loquitur scriptura, imo nec loqui potuit, quum consensum eorum quorum vices gerit repræsentatio supponat. Ita Barnesius.

123. *Resp.* Simpliciter, pro sacrorum scriptorum more, refert Moses legem Adæ datam, quem primum fuisse hominum, omnium patrem, etiam narrat. De fœdere et de repræsentatione silet, sicut etiam explicare omittit quæ ad posteros fluxerint ex Adæ actu mala. Cæterum innotuerat jam ex pristina traditione et tristi experientia hæreditaria noxa, quam plorat Job, David, Ecclesiasticus, et quam Apostolus lucide declarat. De vocibus non est lis, sed de re ipsa quam certe scriptura testatur. Non eo sensu profecto repræsentavit Adam genus humanum, quo delegatus a populo ut ejus consulat utilitatibus; sed tamquam pater, fons et origo. Nullo fœdere opus erat, nullo aliorum consensu; sed quæ libere tribuit Deus, posteris communicanda, ex conditione ab Ada servanda pendere voluit; qua violata ipse gradu dejectus est, et ita factum ut posteri ejus, humiliori loco nati, a Deo haberentur alieni.

124. *Objicitur* 4. Apostolus ad Romanos in eo totus erat, ut ostenderet, tum Judæos, tum Gentes, indigere salvatore, quippe qui omnes plurimis se inquinaverant delictis, illi quidem legis Mosaicæ præcepta violando, hi legem naturalem. Adamum autem ostium peccato aperuisse dicit: eum scilicet omnes quotquot peccarunt secuti sunt. *Factum* notissimum testatur: *modum* non explicat, nec enim de imputatione, pravitate totali, vel imitatione loquitur. Ita Barnesius.

(1) Eccl. xl. 1.

125. *Resp.* Utique ostendit Apostolus ex flagitiis quibus Judæi et Ethnici inquinati fuerant, opus esse Salvatore; sed in argumento progressus, aliam affert rationem ex noxa omnibus, "etiam qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adam," communi, deductam. Quotquot moriuntur pœnas luere peccati affirmat, eosque omnes peccato idcirco teneri. *Factum* utique testatur, omnes scilicet peccasse; *unius delicto* omnes mortuos esse; *illud* in omnes permeasse homines in condemnationem. Vis vocum toties repetitarum ea plane est, ut omnes homines peccasse censendi sint, ex eo ipso quod Adam illud unum delictum admiserit. Verbis ludunt qui dicunt Apostolum difficultatem metaphysicam haud evolvere, et nullam theoriam præbere; dicit enim, et iterum, iterumque inculcat, ipso unico Adæ delicto omnes constitutos esse peccatores, reosque mortis. Si de *facto* statuendo, quod omnes rationis compotes sua culpa deliquerint, hic ageretur, non opus erat Adæ unum peccatum toties in medium afferre. Si de occasione peccati esset sermo, non deerant Apostolo verba quibus suam explicaret mentem, nam de concupiscentia postea agens, dicit peccatum occasione accepta, omnem in se operatum esse concupiscentiam.[1] Quod de imitatione, pravitate totali, vel imputatione Apostolus non loquatur, nil obstat, quum dicat plane unius peccato omnes homines in condemnationem venisse: δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εις κατακριμα.

126. *Obj.* 5. Apostolus dicendo mortem ante legem mosaicam regnasse etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adam, manifestò ostendit omnes eo reatu haud teneri: omnes quippe ante legem datam rei tenebantur ob violationem legis naturæ; sed illi tantum Adæ peccanti adsimilabantur, qui præcepta divina exterius sibi data transgrediebantur. Mens igitur Apostoli est; quotquot ante legem mosaicam vixerunt, Adæ prævaricationem haud sunt imitati: attamen in eos dominata est mors, quæ peccati est pœna: ergo peccati rei erant, ob legem naturalem violatam.

127. *Resp.* Non eo loci laborat Apostolus ut legem naturalem statuat, quam secundo capite præclare jam demonstraverat.[2] Omnes hic peccati reos dicit, utpote mortis lege adstrictos; quæ in homines universos semper dominata est, etiam ante datam legem, in eos ipsos qui Adæ prævaricationem nullo suo actu fuerant imitati. Profectò si ad adultos sua voluntate peccantes verba Apostoli restringantur, deficiet argumentum quod ex mortis universalitate ad universalitatem peccati demonstrandam desumpsit, magnus enim est eorum qui ante usum rationis moriuntur numerus, qui ea in hypothesi peccato omni carerent. Ergo vel peccatum originis admittendum, vel Apostoli demonstratio infirma agnoscenda erit. Perrone post Toletum Apostolum ita explicat, ut peccatum ante datam legem mosaicam haud imputatum intelligatur, quatenus pœnas quas ferebat lex illa haud secum ferebat. Quod igitur mors hominibus dominaretur factum est ob

(1) Rom. vii. 8, 11. (2) v. 14.

peccatum a primo homine admissum, quod toti humano generi commune habebatur.

128. *Obj.* 6. Inter Adamum et Christum oppositio potius quam similitudo reperitur: in eo autem comparatio ab Apostolo instituta continetur, quod Adam, primus homo et peccator, toti humano generi exemplo suo et culpa fuerit peccandi occasio: Christus autem universis illi credentibus sit gratiæ et salutis auctor.[1]

129. *Resp.* Re quidem vera si Adam nobis nonnisi exemplo nocuerit, deerat fundamentum comparationi quam adeo diligenter persecutus est Apostolus: quapropter mirum non est eos qui originis peccatum negant, nullam fere similitudinem, vel *levissimam*,[2] agnoscere. Disputationem idcirco satis obscuram dicit Rosenmüller, Apostolum ad mentem Judæorum loqui intelligens. Cæterum lux fulget clarissima, et similitudo patet, dogmate hæreditariæ noxæ admisso; sicut enim Adam unico suo actu se totumque genus humanum omni dono præclaro gratiæ spoliatum reliquit, unde fit, ut quotquot ab eo sunt progeniti, ejus teneantur delicto; ita et Christus semel se oblato humanæ suæ naturæ gloriam promeritus est, humano verò generi gratiam et salutem, cujus sunt participes quotquot illi in baptismo renascuntur, et fide et dilectione adhærent. Juxta Ermeniæ leges ea certe est præferenda interpretatio, quæ seriei orationis convenit, et qua posita scriptor sacer inania verba protulisse non videbitur.

130. *Obj.* 7. Sicut Christus salutem non attulit, nisi iis qui eum salvatorem agnoscunt et fide amplectuntur, ita nec Adam interitus fuit causa, nisi iis qui eum peccando imitantur. Æque extenditur salus et interitus: "Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur."[3]

131. *Resp.* Comparatio non exigit ut singula ad amussim ex utraque parte conveniant: satis est enim insignem aliquam existere similitudinem. Profectò Christus omnes suo sanguine redemit, quos Adam suo inquinaverat peccato, copiosamque dedit redemptionem, cujus fiunt participes quotquot in eo renascuntur: sed quum spiritualis nativitas a naturali differat, requiritur in adultis fides, una cum aliis animi dispositionibus, ut filii Dei sint. Cæterum vi illius mortis factum est ut universi prorsus homines, ne reprobis ipsis exceptis, resurrecturi sint, adeo ut hic effectus æque pateat ac mors, quæ, Ada peccante, totum genus humanum obstrinxit; quod Apostolus objecto loco tradit: "Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur."

132. *Obj.* 8. Quum Julianus Cassianus nuptias malas prædicaret, et execrandam generationem, Clemens Alexandrinus ei, testimonia quæ labem

(1) Vide Barnesium in loc.
(4) Rosenmüller in loc.
(3) 1 Cor. xv. 22.

naturæ adstruere videntur objicienti, respondit: "*Nullus est a sorde mundus*, ait Job, *nec si sit quidem una dies vita ejus*. Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam esse generationem, non solum corporis, sed etiam animæ, per quam existit corpus. Et quando dixit David: *in peccatis conceptus sum, et in iniquitatibus concepit me mater mea;* dicit prophetice quidem matrem Evam: sed Eva quidem fuit *mater viventium;* et si *in peccatis fuit conceptus*, at non ipse in peccato, neque verò ipse peccatum."[1]

133. *Resp.* Locus ille non caret obscuritate; nec enim facile distinguuntur quæ objicit Julianus, ab iis quæ ex sua sententia dicit Clemens. Cæterum testimonia Scripturæ quibus peccatum originis adstruitur, objecta videntur a Juliano ut ipsa generatio inquinata haberetur. Quum reponerent Catholici sordem illam ab Ada derivari, Julianus provocat ut demonstrent, quomodo infans, nihil per se operatus, ea inquinari potuisset? πως ὑπο την του Αδαμ υποπεπτωκεν ἀραν το μηδεν ἐνεργησαν; Utrinque conveniebat infantem esse inquinatum; Catholicis dicentibus eum sub execrationem Adæ cecidisse: Juliano respondente execrationem generationi ipsi, utpote in se malæ, adnecti, idque Davidis testimonio firmante. Ne igitur conceptui ipsi sordem inesse fateretur, visum est Clementi matris nomine Evam intelligere, veluti *prophetice* Davidis matrem, quæ, quum viventium mater vocetur, posteros suos vivere contendit, nec esse ipsos peccata, imo non esse in peccato, eo sensu quod non generationis vi constituantur peccatores, quamvis procul dubio peccatum geniti contrahant. Profectò Clemens agnovit Baptismum esse lavacrum quo sordes peccati absterguntur: λουτρον μεν, δι ὑ τας ἁμαρτιας ἀπορῥυπτομεθα.[2] De Clementis sententia nulla lis mota est a Pelagianis, quamvis vel invitos suffragatores magna industria quæsiverint.

134. *Obj.* 9. Chrysostomus in verba Apostoli dicit: "At verò ex illius (*Adæ*) inobedientia alterum peccatorem extitisse; id verò quam (obsecro) congruentiam, consequentiamque habeat? Invenietur enim nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, si quidem non ex se ipse peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc, *peccatores* significat? mihi videtur tantumdem significare, quantum illud, supplicio obnoxii, ac mortis rei?"[3] "Infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint."[4]

135. *Resp.* Chrysostomus intelligit S. Paulum eo loci cum Judæo certare, qui salutem ex Christi morte universis hominibus offerri mirabatur;

(1) Strom l. iii. n. xvi.
(2) L. 1. Pædagog. c. vi. sub initium.
(3) Hom. x. in ep. ad Rom.
(5) Hom. ad Neophytos.

quum non magis ultra fidem esset, quam interitum ex unius delicto omnibus provenire, prout Judæis persuasum erat. Putat autem eum in morte, quæ supplicium erat peccati, præcipue insistere, utpote notissima, quin de peccato ipso quo unusquisque tenebatur, disertius loqueretur, quamvis ipsum mortis esset omnibus causa: "invenietur enim nec pœnas quidem debere * * * si quidem non ex se ipse peccator extiterit." Igitur peccatores latiori sumit sensu, quod censeat Apostolum nondum rem plenius pandere; "quod autem in quæstionem cadit, est, qua id de causa factum est? sed nondum hoc addit: neque enim ipsi ad præsens conducit, nam adversum Judæum constituta pugna est ambigentem ac deridentem, quem per unum justitiam factam esse vult."[1] Quidquid sit de hac ratione explicandi mentem Apostoli, constat Chrysostomo adeo fuisse persuasum peccato unumquemque inquinari, ut mortem omnino ejus pœnam haberet: "liquet quod non ipsum peccatum quod a legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam inobedientia: ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat; et quænam rei hujus probatio fuerit? nempe quod omnes ante legem interirent."[2] Altero in loco objecto Chrysostomus effectus baptismi effert, quum præter remissionem peccatorum, quæ quis adultus patraverit, plurima tribuat dona et privilegia. Id parvulorum baptismate illustrat, nec enim ad suorum peccatorum remissionem baptizantur, quamvis procul dubio baptismus illis ad remittendam noxam originis conferatur. Cæterum Pelagiani perperam reddiderunt textum, uti illis olim exprobravit Augustinus: διὰ τοντο και τα παιδια βαπτίζομεν καίτοι ἁμαρτήματα ἐκ ἐχοντα. "Vides certe non ab eo dictum esse *parvulos non coinquinatos esse peccato*, sive *peccatis;* sed *non habere peccata:* intellige propria, et nulla contentio est. At, inquies, Cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur."[3] Profectò Chrysostomus alias dicit: "Deus in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit."[4] "Quando Adam peccavit illud grande peccatum, et omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat."[5] Alia plura ejusdem sancti doctoris testimonia laudat Augustinus, eumque ostendit concordem cæteris patribus in hoc dogmate, quod meritò habet præcipuum: "Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est, 'Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, sicut

(1) Hom. x. in ep. ad Rom.
(2) Ibidem.
(3) Aug. contra Julianum Pelag. l. 1. n. 22, tom. 10.
(4) Chrys. hom. iv. in 1 ad Cor.
(5) Ep. ad Olympiam.

enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur:' totum quod in Christum credimus auferre molitur."[1]

136. *Obj.* 10. Abhorret ab omni humanitatis sensu ut totum humanum genus, uno Ada peccante, damnatum censeatur.

137. *Resp.* Latiori sensu damnatio est illa humani generis conditio, qua donis supernaturalibus spoliatum est, et gloriæ cælestis fruendæ spe. Nihil nos cogit ut posteros Adæ ob unicum illud peccatum suppliciis inferorum cruciandos existimemus. Rationi autem certe non repugnat, ut Deus homini rebelli dona gratis concessa subducat, ejusque posteros iis carere velit, quæ nullo suo jure possent sibi vindicare. Cæterum si quid durum nimis ex peccati originis dogmate sequi videatur, judicia Dei æqua esse credendum est, gratoque animo remedium donumque, in Christo oblata, sunt excipienda.

138. *Obj.* 11. Si nascamur peccato inquinati, quod nullatenus a nostra pendet voluntate, Deus duræ illius conditionis auctor habendus erit, qua filii sumus iræ, divinæ ultioni obnoxii.[2]

139. *Resp.* Deus naturæ est auctor: quod autem hæc labe peccati inquinetur, Adæ culpa contigit, non Dei decreto: in eam scilicet conditionem ipse lapsus in causa fuit, cur posteri ejus ei subjacerent. Ordinatione divina æquissima factum est, ut totius generis humani sors felix vel infausta ex obedientia Adæ penderet: nec enim illis denegabantur debita, sed quæ gratis concessa sunt, ex summa donantis munificentia. Filii quidem iræ nascimur, iis donis spoliati, quæ filiis dilectionis concessurum se decreverat Pater beneficus: sed non constat ultionem aliquam eos manere qui decesserint solo peccato originis maculati.[3]

140. *Obj.* 12. Absurdum est homines reos teneri ob Adæ culpam ante sex millia annorum admissam.[4] Quod si dicantur aliàs rei, quam vere ac proprie, frustra, imo perniciose vox illa adhibetur.

141. *Resp* Manifestum est discrimen inter reatum peccati personalis, et eum quo quis ratione originis tenetur. Verus tamen est uterque, nam anima hæreditaria noxa adstricta Deo est mortua, omni jure ad regnum cæleste carens. Hujusmodi reatum contrahi ab iis qui per sæculorum seriem ab Ada nascuntur, absurdum non est; nascendo enim inter ejus posteros recensentur, noxa idcirco gravati, quam ipse, caput generis humani, admisit.[5] Quod si quis velit labem hanc originis cum labe peccati person-

(1) Aug. contra Julian. l. 1. n. 22.

(2) Unitarian Miscellany, Vol. I, p. 154.

(3) Dura illa placita Presbyterianis arriserunt: "All mankind, by their fall, lost communion with God, are under his wrath and curse, and so made liable to all the miseries of this life, to death itself, and to the pains of hell for ever." Assembly's Shorter Catechism, 2, 19.

(4) Unitarian Miscellany. p. 163.

(5) "That their condition may be affected by the conduct of Adam, has nothing in it impossible or unreasonable."—Ibidem.

alis confundere, ut facilius dogma impugnet, nobis ignoscendum, qui, dogmate admisso, discrimen manifestum agnoscunt. Nec ideo frustra, vel perniciose rei dicimur, et credimur.

142. *Obj.* 13. Omnis morum regula tollitur, innata et totali hominis pravitate admissa.

143. *Resp.* Non docet Ecclesia tantam naturæ depravationem, qua boni moralis tollitur facultas, vel libertas a malo abstinendi; quamvis homo lapsus nil quod ad salutem conducat aggredi possit absque gratiæ auxilio. Manet igitur morum regula, quia ipsa labes originis peccatum actuale non inducit, nisi libero voluntatis consensu. Quæ Presbyteriani, Episcopaliani, aliique Sectarii de totali hominis pravitate tradunt, a dogmate Catholico de labe ipsa originis sunt omnino distinguenda.

Animadversio de B. M. V. conceptione.

144. Decreto de peccato originali subjunxit Concilium Tridentinum hanc declarationem: "Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones f. r. Xysti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis quas innovat."[1] Priore constitutione Pontifex celebrantibus festum conceptionis indulgentias concessit; posteriore excommunicationi subjecit qui assererent sequentes sententiam de conceptione immaculata, vel contrariam tenentes, in hæresis crimen, vel peccatum mortale incurrere.

145. Quum nobis dogmatum defensioni intentis, propositum sit quæstiones omnes, quatenus liceat, declinare, piam sententiam, quam animo fovemus, argumentis propugnare non juvat. Excelsa Dei Matris dignitas, cum Christi Domini honore intime conjuncta, est quidem præcipua ratio sentiendi eam nulla quacumque peccati macula ullatenus inquinatam: ideoque quæ Scripturæ et Patres de hominum genere universo tradunt, ad singularem illam Virginem non esse referenda. Sic Augustinus olim de peccatis agens, quibus omnes subjacere contendit, subjunxit: "Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum."[2]

146. D. Bernardus reprehendit Canonicos Lugdunenses qui festum conceptionis celebrare cœperunt.[3] D. Thomas Aquinas Virginem labe originis haud immunem censuit.[4] Plerique Patres non eam attigerunt quæstionem; sed omnes prorsus homines peccato originis adstrictos dixerunt, solo Christo

(1) Sess. 5. ad calcem Canonum.
(2) L. de nat et grat. c. xxxvi.
(3) Ep. ad can Lug. 174.
(4) In 3. Sent. dist. 3. art. 2.

excepto, ratione supernaturalis conceptionis. E contra ea protulerunt Matris Dei elogia quæ celsissimam sanctitatem, omni macula immunem, indicant. Hæc conciliant qui dicunt Virginem macula originis caruisse, privilegio dignitatis ad quam evehenda erat, non vi ipsius conceptionis, quæ juxta naturæ leges contigit.

CAPUT IV. DE HOMINE LAPSO.

147. Universum genus humanum originis labe infici ostendimus: cui tamen dilucide explicandæ nos impares profiteri cum Augustino haud gravati sumus: nec mirum rem certò divina revelatione constare, quamvis ejus natura non plene innotescat. Effectus ejus facile quidem dignoscuntur, inde enim fit, ut infirmi nascamur, ærumnis mortique obnoxii, fomite etiam vitiorum, quem concupiscentiam vocant, in nobis accenso. Sunt ex Theologis qui, Augustini prætexentes auctoritatem, concupiscentiam cum reatu mortis æternæ peccatum originis esse censent; aliis, e S. Thomæ schola, eam *materialem* peccati hujus partem, privationem verò justitiæ originalis *formalem* designantibus. Lutherani et Calviniani ipsam esse peccatum originis contendebant, adeo ut vere et proprie, etiam in renatis, peccati haberet rationem, omnesque ejus motus peccata forent. Hunc errorem, sententiis scholarum illæsis, anathemate damnaverunt Tridentini Patres: "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari anathema sit. In renatis enim nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, et sentit. . . . Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit."[1]

148. Quæ allegarunt Protestantes Scripturæ testimonia ut probarent concupiscentiam ipsam, etiam in renatis, peccatum esse, eam quam tribuit Concilium Tridentinum excipiunt explicationem; scilicet proclivitas ad peccandum peccatum aliquando dicitur, quum ex peccato sit. Eam quam justi ipsi in se experiuntur pugnam descripsit Paulus, verbis vehementioribus usus, ut tentationum exprimeret molestias; satis tamen indicans peccatum nullum repugnantibus viriliter esse, nam "nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim

(1) Sess. v. c. 5.

spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis."[1] Quod autem ploret se peccato subjici, sicut servum venundatum domino, motuum libidinis vehementiam exprimit; sed plane significat se repugnantem haud esse reum: "Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum."[2] Profectò S. Jacobus, sicut et Paulus, concupiscentiam peccati causam declarat: "Unusquisque verò tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum."[3]

149. Amissam esse penitus primi hominis peccato humanæ voluntatis liberum arbitrium asseruerunt Lutherus, Calvinus, et deinceps Jansenius. Celebris est Lutheri liber "de servo arbitrio," quem adversus Erasmum arbitrii vindicem edidit: quo duriora contineri fatetur Walchius, adeo ut visus sit, ac si "homini plane omne liberum arbitrium denegaverit, non alienus ab eorum sententia, qui inevitabilem quamdam necessitatem inducant."[4] Calvinus passim eam tradit, verborum ambagibus nonnumquam tamen usus.[5] Equidem, uti adnotat Walchius, "qui sane ex decretis divinis absolutis cuncta derivant, non possunt non inevitabilem necessitatem admittere, hominemque omni privare libertate."[6] Nec tamen gravabatur Calvinus hominem a coactione, seu vi externa, qua voluntas invita moveretur, liberum fateri: "Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione. Optime id quidem: sed quorsum attinebat rem tantulam adeo superbo titulo insignire? Egregia vero libertas, si homo quidem non cogitur ad serviendum peccato: si tamen est ἐλεύθερος, ut vincta teneatur peccati compedibus ejus voluntas."[7] Jansenius verbis aliis idem docuit, voluntatem enim agi delectatione terrena necessariò, nisi prævaleret delectatio cœlestis, dixit; coactionem, haud verò necessitatem libertati repugnare asserens cum Bajo. Presbyteriani hodierni idem sentire videntur:[8] quamvis naturalem necessitatem, scilicet quæ ex naturæ constitutione provenit, etiam excludant.

150. Concilium Tridentinum libertatem humanam vindicavit, hoc edito canone: "Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum

(1) Rom. viii. 1.

(2) Rom. vii. 17.

(3) Jac. i. 14.

(4) Introd. ad libros Lutheranæ Ecclesiæ Symbolicos l. 1. c. vii. p. 780. Vide ipsa Lutheri verba relata a Mohler Symbolik l. i. c. i. § 2. p. 11. not.

(5) Instit. l. ii. c. ii.

(6) Introd. l. 1. c. vii. p. 780.

(7) Inst. l. ii. c. ii. n. 7.

(8) "Nor is violence offered to the will of the creatures." Confession of faith, c. iii. n. 1. Vide etiam c. ix. 1. "God hath endued the will of man with that natural liberty, that is neither forced, nor by any absolute necessity of nature determined, to good or evil."

et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit."[1] Quum nomen retineret Jansenius, re negata, contendens scilicet libertatem a necessitate qua delectatur voluntas non requiri in præsenti hominis conditione, ut reus habeatur, Innocentius X. hæreticam declaravit propositionem: "Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione."[2] Inepte quidem prædicatur voluntatis a coactione immunitas, nam coactio, quum sit vis externa adversa, in voluntatem nullatenus cadere potest, repugnat quippe velle simul et nolle: "Etenim violentia proprie dicta, quæ voluntatem ipsam perimit, fictum est aliquid, neque extat uspiam; neque facit, aut operatur aliquid, quia nihil est, uti nec illa omnia quæ ad contradictionem implicata dicuntur." Ita præclare Petavius.[3] Ipsi qui fato omnia regi contendebant Stoici; vel qui homines, brutorum animantium instar, instinctu quodam et naturæ impulsu dicebant agi; vel qui Dei decreto et prædestinatione singulos actus definiri putabant Calviniani, non eam sustulerunt libertatem, quæ est a coactione, fatebantur enim hominem velle, et sibi volendo complacere: in eo errantes quod arbitrium voluntatis et electionem negarent. Hanc agnoscat necesse est quicumque liberum hominem ex animo prædicat.

PROPOSITIO.

Liberum hominis arbitrium Adæ peccato amissum vel extinctum non est: sed homo lapsus vere liber est a necessitate.

151. *Probatur I.° ex Scriptura.* Per Isaiam dixit Deus: "Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos."[4] Hæc, quorum simillima testimonia passim occurrunt, indicant volendi vel nolendi facultatem penes homines esse, adeo ut pro suo arbitrio velint, vel nolint, ad voluntatis exercitium nulla causa necessariò determinati. Illuderet sane Deus hominibus, eos vocibus hujusmodi alloquendo; et haud absque injuria minaretur pœnas se irrogaturum, ipsis suo arbitrio haud utentibus, sed subjacentibus necessitati.

152. Ecclesiasticus dicit: "Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei,

(1) Sess. vi. can. 5.
(2) III. prop. Jans.
(3) De opere sex dierum l. iii. c. iii. n. ix.
(4) Isaiæ I.° 19.

dabitur illi."[1] Quum sacer scriptor legentem alloquatur, liquet hominem lapsum ea pro arbitrio agendi facultate frui : quod illusorie et falso diceretur, si necessitate quacumque determinaretur.

153. Caino cædis reo dixit Deus : "Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius." וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ[2] Ipsæ voces adhibitæ sunt ut mulieris viro subjectio declareretur.[3] Dominatur igitur homo lapsus peccato, illudque pro arbitrio complectitur, vel respuit.

Probatur II.[0] *Patrum auctoritate.*

154. Cyrillus Alexandrinus : "Sui juris est, et ad id quod sibi visum est, soluta cujusvis hominis est mens. Quare licet malis legibus quidam ad id quod rectum non est, instituti sint, ad meliora facile se transferent et utilia, si velint, cum naturæ legibus ad turpia non sint allegati, neque necessariis quibusdam attractionibus præter voluntatem cogantur. Sed, ut dixi, licet ipsis libere transferri ad id quod melius est."[4]

155. Chrysostomus : "Propterea te Deus liberi arbitrii fecit, ut ne postmodum expostules cum ipso, tamquam necessitate constrictus."[5]

156. Basilius : "Unicuique nostrum intus inest statera quædam a conditore nostro fabricata, in qua rerum natura discerni potest *Posuit*, inquit Deut. 30, 15, *ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum*, naturas duas invicem oppositas. Eas tu ex adverso privato in judicio tuo et examine ponderato. Expende diligenter quid tibi magis expediat, utrumnam temporariam eligere voluptatem, et per ipsam mortem consequi sempiternam, an laborem et perpessionem, quæ inest in exercitatione virtutis eligentem eam adhibere conciliatricem æternæ vitæ."[6]

157. Optatus Milevitanus : "Denique voluntas habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus, dum nemo cogit, potest et facere, potest et non facere. Adulterium mœchus, dum deforis nemo compellit, potest admittere, potest et non admittere ; et cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium."[7]

158. Epiphanius, Isaiæ testimonio recitato, animadvertit : "Ex quo perspicue illud, ac citra dubitationem efficitur, liberum arbitrium homini a Deo esse concessum, cum ita per se dixit : 'Si volueritis, et si nolueritis ;' adeo ut bene agere, vel malas res concupiscere in illius arbitrio sit relictum."[8]

159. Cyrillus Hierosolymitanus : "Liberi arbitrii est anima. Et diabolus suggerere quidem potest ; necessitatem verò afferre non potest. Proponit tibi stupri cogitationem. Si vis, eam admisisti, si non vis, non

(1) Eccl. xv. 14.
(2) Gen. iv. 7.
(3) Gen. iii. 16.
(4) L. viii. contra Julianum.
(5) Hom. xiv. in 1. ad Cor.
(6) In hom. ad Ps. lxi.
(7) L. vii. de Schismate Donatistarum.
(8) Hær. xvi.

admisisti. Si enim necessitate impulsus, stuprum faceres, cur gehennam pararet Deus ?"[1]

160. Hieronymus: "Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est."[2] Quum his verbis abuterentur Pelagiani, ea se toto corde amplecti significavit Augustinus, gratiæ auxilio opus esse animadvertens: "Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?"[3] Alibi dicit: "Revelavit autem nobis *(Deus)* per Scripturas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium."[4]

161. S. Prosper: "Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit . . . . non est Catholicus."[5]

162. S. Thomas Aquinas: "Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum; non tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra, unde et motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti; . . . . Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actionibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, et punitio, et laus et vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit."[6] Et alias: "Absque omni dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet. Ad hoc enim fides adstringit, cum sine libero arbitrio non possit esse meritum, vel demeritum, justa pœna, vel præmium."[7]

163. *Probatur III. ex humani generis consensu:* quamvis enim sint qui pravis principiis imbuti, libertatem negent, universi fere homines eam agnoscunt: sentiunt quippe absque ea peccari non posse: "Etiam-ne hi libri obscuri (inquiebat Augustinus, Manichæis respondens) mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum?"[8]

(1) Cathechesi iv.
(2) L. adv. Jovinian. n. 3. ed. Vall.
(3) L. de nat et grat. c. lxv. n. 78.
(4) L. de grat. et lib. arb. c. ii.
(5) In resp. ad cap. Gall. Sent. 6.
(6) Quæst vi. *de malo*, art. unic.
(7) Qu. 24 *de verit.* art. 1.
(8) Aug. l. de duabus animabus c. xi. n. 15.

164. *Probatur IV. ex intimo cujuscumque sensu*, unusquisque quippe sentit se nulla necessitate impelli, sed sui actus esse dominum, adeo ut agere vel non agere possit, vel contrarium elicere actum. Intimo hoc sensu discernuntur motus *indeliberati*, quos cohibere non possumus, ab iis qui *deliberate* fiunt. Nec intimius certiusve novimus et sentimus nos esse, quam hac pollere facultate agendi vel non agendi.[1] Item quisque intime sentit meritum culpamve in iis non reperiri quæ ex naturæ necessitate contingunt: par autem est ratio undecumque necessitas oriatur, et quæcumque sit animi delectatio, si et ipsa ex necessitate proveniat. Quum igitur homines peccantes mordeat conscientia, bene agentes verò probet, liquet unumquemque intimius sentire se liberum esse ab omni absoluta necessitate.

165. *Obj.* 1.° Apostolus se necessitate premi queritur: "Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. * * * Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis."[2]

166. *Resp.* Pugnam carnem inter et spiritum Apostolus describit, de qua alias dicit: "caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem."[3] De motibus *indeliberatis*, uti aiunt, concupiscentiæ loquitur, quibus voluntatem repugnare declarat: proinde non favet Jansenianis aliisve voluntatem necessario complacentem sibi in malo statuentibus.

167. *Obj.* 2. De iis qui resistunt veritati dicit: "resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem."[4] Id de lapsis hominibus universe dicere licet.

168. *Resp.* Specialis fuit Apostolo ratio de iis id asserendi, quippe repugnando veritati sese mendaciorum patri manciparunt: de quibus proinde vere cum Bernardo dicimus: "Voluntas est, quæ se, cum esset libera, servam fecit peccati peccato assentiendo."[5]

169. *Obj.* 3. Augustinus ait: "Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum."[6] "Postquam libera autem ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus."[7] "Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas."[8] "Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse pec-

(1) "C'est ma propre volonté, je le sai, je le sens, et je le connais aussi certainement, que je suis convaincu de mon existence." Jacquelot sur l'existence de Dieu dis. II. c. viii.

(2) Rom. vii. 23.

(3) Gal. v. 17.

(4) ii. Tim. II. 26.

(5) Serm. 81. in cant. n. 7.

(6) In Enchiridio c. 30, t. vi.

(7) Disp. II. contra Fortunatum n. 22.

(8) L. de perfect. just. c. 4.

candi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est."[1]

170. *Resp.* Augustinus liberi arbitrii nomine aliquando intelligebat libertatis illam perfectionem, qua voluntas adhuc integra, nullo irretita impedimento, ad Deum facile ferebatur. Illud plorat amissum: "cum libero peccatur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium."[2] "Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus."[3] "Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, seu illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia dicente Domino: '*Si vos Filius liberaverit, tunc vero liberi eritis:*' utique liberi ad bene justeque vivendum."[4] Necessitas peccatum habendi, de qua Augustinus loquitur, orta ex peccato Adæ, est ipsa noxa hæreditaria, quæ etiam necessitatem quandam moralem, vagam quidem et indeterminatam, in culpam aliquam incidendi secum fert. Cæterum sæpissime dixit, "nos non necessitate, sed voluntate peccare."[5] Illud quod contra Fortunatum Manichæum disputans dixit, nos Ada peccante in necessitatem præcipitatos, illustrat consuetudinis pravæ exemplo; hæc scilicet libere contrahitur, sed vim quamdam, quæ necessitatis instar est, secum fert. Subjungit ideirco statim post verba objecta: "Potest autem unusquisque nostrum, mediocri consideratione, invenire verum esse quod dico. Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, et facti ipsius tenuerit animum perniciosa dulcedo et voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est."[6]

171. *Obj.* 4. Homo lapsus innatæ cupiditati obsequens voluntarie agit, ideoque libere, quamvis non valeat voluntatis delectionem cohibere.

172. *Resp.* Qui cupiditati obsequitur voluntarie et libere agit; sed non ideo libere, quia voluntatis quæcumque delectatio sentitur, nam si consensum denegare haud potuisset, libere non ageret: libertas quippe voluntatis electionem, et dominium sui actus exigit. Accurate Nemesius, Syrus sæculo quarto exeunte scriptor, animadvertit: "Quod si appetitio quoque necessitate sequitur, ubi tandem liberum erit arbitrium? Etenim liberum sit oportet quod sui juris est arbitrium. Esset autem liberum, si iisdem circumstantibus, in nostra esset potestate aliquando appetere, aliquando

(1) L. 1, op. imperf. c. 105.
(2) In Ench. c. 30.
(3) In Ep. ad Vitalem, 217, c. 4.
(4) L. 1, contra duas epist. Pelag, c. 2.
(5) L. 3, de lib. arb. c. 3.
(6) Disp. II. contra Fortunatum Manich. n. 22.

non appetere. Quod si necessitate quadam sequitur appetitio, perspicuum est etiam fato appetitionem fieri, tametsi a nobis fiat, ac secundum naturam nostram, et impulsionem, ac judicium nostrum."[1] Verbis ludunt qui voluntarie et libere aliquando confundunt, aliquando distinguunt, ut vocum ambiguitate abutentes, veterum patrum testimonia ad novitias opiniones tuendas adhibeant. Populari usu *voluntarie* et *libere* idem sonant, prout etiam ante ortam Jansenianam hæresim plerumque absque discrimine usurpabantur: sed quum hujus patronis placuerit post Bajum asserere: "Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit;"[2] voces accurate distinguendæ sunt, et voluntatis dominium, quo "in utrumque potest,"[3] omnino exigendum est ut libere dicatur fieri, quod voluntate fit.[4]

173. *Obj.* 5. Experientia constat hominem lapsum peccandi subjici necessitati, sæpius enim quis sibi complacet in malo, et præceps fertur in peccatum, judicio et proposito mentis obstantibus.

174. *Resp.* Ipsa experientia constat hominem libere suæ voluntatis consensum, quem retinere posset, præstare. Quod autem prius derelinquat propositum, et invitus fere labatur, voluntatis infirmitatem et vehementiam concupiscentiæ probat.

ANIMADVERSIO DE OPERIBUS HOMINIS LAPSI.

175. Calvino docente, homo adeo est corruptus, ut nihil nisi damnabile ab eo possit prodire.[5] "Stet ergo nobis indubia ista veritas, quæ nullis machinamentis quatefieri potest, Mentem hominis sic alienatam prorsus a Dei justitia, ut nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitiosum concipiat, concupiscat, moliatur: cor peccati veneno ita penitus delibutum ut nihil quam corruptum fœtorem efflare queat."[6] Episcopaliani non satis recedunt a tristi hoc et horrendo principio.[7] Cæterum quum nulla absoluta necessitate homo lapsus ad peccandum feratur, sed libero potius præstet arbitrio, pronum est deducere non omnes ejus actus peccato infici. Equidem ratione pollet, viresque habet naturales, quibus bene uti valeat:

(1) De Natura hominis c. xxxv.

(2) 39 prop. damn. a Gregorio xiii.

(3) S. Thomas. 1. 2. q. 6. a. 2, ad. 2.

(4) "Mais parce qu' ici le mot de *vouloir* est équivoque, il faut remarquer, que suivant leurs pensées, *vouloir* ne signifie, à proprement parler, autre chose, que *consentir a l' action qui se fait*, et ne s'y opposer pas, en un mot c'est la faire sans contrainte. * * * Si une pierre qui tombe, si une rivière qui coule, avait la connaissance de son mouvement elle serait libre suivant ces philosophes." Jacquelot, Diss. iii. c. viii.

(5) Inst. l. II. c. III.

(6) Ibidem c. v. sub finem.

(7) "Works done before the grace of Christ and the inspiration of his Spirit, are not pleasant to God * * * yea rather, for that they are not done as God hath willed and commanded them to be done, we doubt not but they have the nature of sin." Art. xiii.

quamvis nonnisi ex gratiæ cælestis motu aliquid quod ad vitam æternam ducat, cogitare possit, vel inchoare. Quæ viribus naturæ facit rationi congrua, nec ullo pravo fine vitiata, bona sunt, licet, sublimioris finis defectu, merito et præmio supernaturali careant. Augustiniani etiam ea hac de causa culpa inquinari contendunt, quam fatentur non esse gravem. Cæteri plerique Theologi culpam et meritum pariter abesse putant. Hinc non dubitant Ethnicos aliquos virtutes *morales* exercuisse, et peccatores opera vitio vacua aliquando peragere. Profectò Bajana propositio damnata est: "Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia."[1] Concilium Tridentinum etiam censuit: "Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit."[2] Equidem nulla ratio sinit ut quæ congrua sunt morum regulis peccatis accenseantur eo quod a peccatore fiant, qui tamen nullum pravum finem sibi proponit, sed legis cordi insculptæ dictamini obsequitur. Apostolus ait: "Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus."[3] Quod autem dicit: "Omne quod non est ex fide peccatum est;"[4] intelligendum plane est de conscientia, seu certa quadam persuasione rem licere; agit enim de idolothytorum esu, quem peccatum inducere affirmat, quoties quis discernens ea, manducat, putans id non licere: ideo damnatur, "quia non ex fide," scilicet quia mentis judicium actui non respondet.

176. Id igitur certò tenendum est hominis lapsi opera non necessariò esse peccata; quamvis haud negandum tantam esse infirmitatem humanam, ut facile ad peccandum labatur: vel enim in vetita nititur, vel quæ permissa sunt pravo fine prosequitur, vel alias plurimum deficit.

177. De pœnis peccati originis, præter mortem et vitæ ærumnas, et amissionem donorum supernaturalium, quæ alias fuissent data, de fide tenendum est vitam æternam, beatitudinem scilicet supernaturalem amissam fuisse, Ada peccante. "Pœna originalis peccati," inquit Innocentius III., "est carentia visionis Dei: actualis verò peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus."[5] Cæterum quæ hac in re definita sunt recensebimus in tractatu de Baptismo.

(1) Prop. 25.
(2) Sess. vi. c. vii.
(3) Sess. vi. c. vii.
(4) Rom. 11, 14.
(5) Decr. l. iii. t. 42, de. Bapt.

PARS. IV. PNEUMATOLOGIA.

CAPUT I. DE ANGELORUM NATURA ET DOTIBUS.

178. "Angelorum vocabulum," uti recte animadvertit S. Gregorius M. "nomen est officii, non naturæ."[1] Ἄγγελος Græce, מַלְאָךְ Hebraice *nuntius* dicitur, quo nomine præcipue designati sunt cælestes spiritus, qui divinas res hominibus nuntiabant.[2] Extitit apud Judæos secta Sadducæorum, qui angelos, spiritusve aliquos existere negabant: "Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum:[3] Novissime haud defuerunt inter Rationalistas Germanos, qui angelos existere inficiarentur; quæ de iis sunt dicta ad poeticum ornatum et allegorias referentes. Cæterum in libris historicis veteris novique testamenti angelorum fit mentio nec allegoriæ locus est in plerisque. De iis sæpius locutus est Christus Dominus.[4] Tota Scriptura locupletia præbet testimonia, quæ recensere non vacat. Vehementer igitur erravit Hobbesius, asserens "angelum, vel nuntium a Deo esse omne id, per quod Deus supernaturaliter præsentiam sive potentiam suam extraordinariam manifestam facit, præcipue verò in somniis et visionibus."[5] Liquet enim haud mera phantasmata, sed veros nuntios divinitus missos, spiritus utique cælestes, angelorum nomine apud sacros scriptores designari. Equidem quum Apostolus comparationem instituat inter Christum et angelos,[6] ut illius præstantiam ostendat, quis poterit suspicare hæc mera esse phantasmata? In somniis nonnumquam visi sunt; sed et vigilantibus etiam sese exhibuerunt præsentes, quod in Abrahæ, Lot, et Tobiæ historia videre est. Hinc Augustinus non dubitavit dicere: "esse angelos novimus ex fide."[7] Scriptores omnes Ecclesiastici per omnia sæcula fidem hanc testatam faciunt.

179. De creatione angelorum Moyses tacuit, ea verosimiliter de causa, quod mundi spectabilis originem, et generis humani res gestas præcipuas referre sibi proposuerit; de angelis cæteroquin, quos Israelitæ, ex veteri traditione, agnoscebant, mentionem data occasione facturus. Angelos autem, sicut et cætera quæcumque existunt, Deum habere auctorem et ratio suadet, et fides docet, Apostolo de Filio Dei dicente: "In ipso condita sunt univer-

(1) Hom. xxxiv. in Evang.
(2) Homines nuntii αγγελοι vocantur Num. xx. 14. Jos. ii. 7. Jac. ii. 25.
(3) Act. xxiii. 8.
(4) Mat. xviii. 10, xxii. 30.
(5) In Leviathan. c. 34. cit. a Ziegler l. 1. de Angelis § 71. not. 1.
(6) Heb. i. 7.
(7) In Ps. ciii. Serm. i. n. 15.

sa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt'"[1] Meritò igitur inter opera Domini in cantico trium puerorum recensentur: "Benedicite omnia opera Domini Domino . . . . Benedicite angeli Domini Domino."[2]

180. Angelos diu ante spectabilem mundum conditos Græci plerique Patres sentiebant, nonnullis ex Latinis suffragantibus. Hieronymus dicit: "Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, et quantas prius æternitates, quanta tempora fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteraeque virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterint?"[3] Cæteri plerique eos simul cum mundo creatos crediderunt;[4] quæ sententia jam invaluit, favente concilii Lateranensis sub Innocentio III. decreto, in quo dicitur "Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, et spiritualem, et corporalem, angelicam, videlicet, et humanam." Vox autem "simul" *pariter* aliquando significat: ideoque insignes Theologi recentiores, post S. Thomam Aquinatem, fatentur Græcorum opinationem non esse damnatam, præsertim quum constet mentem concilii fuisse Origenis rejicere errorem, qui putabat res corporatas conditas eo consilio ut iis Spiritus delinquentes, veluti carceribus, in pœnam admissorum includerentur. Tradiderunt idcirco patres Lateranenses homines angelosque pariter creatos, ex primario Dei consilio, quin de tempore aliquid definirent.

181. In cœlo ipso *empyreo*, ubi jam gaudent mentes beatæ, angeli conditi nonnullis videntur. Id affirmat S. Thomas,[5] cui præivit Bernardus: "In cœlo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis."[6] Constat autem eos non statim Deum vidisse; quapropter rex Babylonis, cœlum conscensurus exhibetur, imagine mutuata a Lucifero gloriam cœlestem suis viribus ambiente: "In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum . . . similis ero Altissimo."[7]

182. Angelos spiritus esse πνεύματα tradit manifestò Scriptura, semperque credidit Ecclesia: Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα "Nonne omnes sunt administratorii spiritus?"[8] Cæterum fuerunt qui eos existimarent haud omnino corporis expertes, aerea enim et ignea illis tribuebant. Hæc tamen opinatio nonnullorum jam ab omnibus derelicta est, qui Angelos puros esse spiritus, nulla materiei conjunctione gravatos, cum præclaris auctori-

(1) Col. i. 16.
(2) Dan. iii. 57.
(3) In. c. i. ep. ad Titum.
(4) Epiph. hær. 65. n. 4. 5.
(5) Sum. i. par. qu. 61. art. 4.
(6) Serm. de ligno, fœno, et stipula, modo serm. 30 de divers.
(7) Isaiæ xiv. 13.
(8) Heb. i. 14.

bus docent. "Natura hominis," inquiebat olim Gregorius Nyssenus, "ex anima et corpore est complexa; angelica verò incorpoream naturam sortita est."[1] Nullo supremo judicio res adhuc constat: quod enim a concilio Lateranensi IV. decretum est, ad Manichæorum errorem evellendum est directum, ut corporalium et spiritualium Deus agnosceretur auctor.[2] Equidem lecto libro Joannis Thessalonicensis in concilio Nicæno dixit Tharasius: "Ostendit Pater quod et Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt multis. Sancta Synodus dixit: Etiam Domine:" ἐπειδὴ περιγραπτοι εισι καὶ ὡς ἀνθρωποι ἐνεφανιζησαν πολλοῖς[3] Hæc ostendunt quidem patribus visum esse angelos esse pingendos; sed quum de ratione, quam liber urgebat, nullum maturum examen institutum sit, nulla prolata definitio, opus non est ut eam probemus; nec enim a concilio probata ostenditur.[4] Dæmones "spiritus" sæpius in scripturis vocantur.[5] Et contra eos luctantes contra carnem et sanguinem haud luctari dicimur, sed, "contra spiritualia nequitiæ in cælestibus."[6] Eadem sententiarum varietas de iis, ac de Angelis beatis olim obtinuit, quippe ejusdem sunt naturæ; sed Augustino judice: "non est de hac re, aut laborandum operosa inquisitione, aut contentione certandum."[7] Illa tamen incertitudo sublata jam est, et pro re explorata habetur, eos carere corpore.

183. Quæ nonnulli Patres excogitarunt de angelis cum mulieribus concumbentibus,[8] ex male intellectis Mosis verbis de filiis Dei ad filias hominum ingredientibus, ortum habuerunt: sed pace virorum aliàs doctrinæ et sanctitatis laudibus insignium, jam ab omnibus rejiciuntur.

184. Ingens est angelorum multitudo, nam Danieli visus est antiquus dierum throno insidens: "millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei."[9] Paulus monet fideles eos accessisse ad "Jerusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam."[10] In novem choros consueverunt distribui, nominibus a sacris litteris desumptis: Cherubim, Seraphim, Throni, Dominationes, Principatus, et Potestates, Virtutes, Archangeli et Angeli.[11] Cæterum de ordinibus illis nonnisi conjectando disseritur; ideoque præstat ad sobrietatem sapere.[12]

185. Quomodo angeli inter se discernantur se ignorare fatetur Augus-

(1) Ep. ad Eustathiam.
(2) Estius in 2 sent. dist. 8.
(3) Col. Hard. t. iv. col. 293.
(4) Vide Petavium, de Angelis l. 1. c. ii. n. v. vi.
(5) Matt. viii. 16. x. i.
(6) Eph. vi. 12.
(7) De civ. Dei l. xxi. c. 10.
(8) Justin. Apol. i. Athenag. in leg. pro Christ. Minutius Felix in Octavio.
(9) Dan. vii. 10.
(10) Heb. xii. 22.
(11) L. de cæl. hierarchia.
(12) Vide Petavium, de Angelis. l. ii. ciii.

tinus: "Esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus, firmissime credo; et differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant nescio."[1]

186. Angelos immortales esse constat, simplicis enim et spiritualis naturæ sunt. Eorum felix conditio nobis in præmium proponitur; de resurrecturis hominibus quippe dicit Christus: "Neque enim ultra mori poterunt, æquales enim Angelis sunt."[2]

187. Relatio angelorum ad locum a nobis haud satis intelligitur: sed de iis advenientibus et recedentibus passim loquitur scriptura: "Apparuit autem illi angelus de cœlo."[3] "Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem . . . . et ingressus ad eam . . . . et discessit ab ea."[4]

188. Quanta polleant cognitione nos concipere non possumus, sunt enim spiritus nobis præstantiores. Plurima quæ inter homines contingunt illis patere liquet, gaudent enim peccatore ad meliorem frugem redacto: "gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente."[5] Nec tamen cordis arcana, nisi Deo, cujus id proprium prædicatur, pandente, norunt.

189. Angeli boni semper δια παντος Patris in cœlis vident faciem, quod de pusillorum custodibus affirmat Christus.[6] Beatitudine igitur fruuntur, quam numquam possunt amittere, quibus justi homines adsimilabuntur: ἰσαγγελοι γάρ εἰσι[7] Eos a veritate, et ideo a beatitudine, decidere posse immeritò intulit *Episcopius* ex Apostoli hypothesi de angelo evangelizante contra ac ipse prædicaverat:[8] nam insuetum non est *ab impossibili* ducere argumentum, ut rei certitudo magis declaretur.

190. Custodes dantur angeli hominibus, uti semper Dei cultoribus est persuasum. Jacob, filiis Joseph benedicens, dixit: "Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis."[9] Judith, incolumis, angeli agnoscit tutelam: "Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me angelus ejus."[10] Christus monuit ne temnerentur pusilli, pueri scilicet, vel ut aliis placet, fideles quicumque: "Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est."[11] Id adeo insederat fidelium mentibus, quod Petri audita voce, angelum ejus adesse, ipsum sonum vocis referentem, existimaverint: "angelus ejus est."[12] Eam fuisse vulgatam Ju-

(1) L. ad Oros. contra Priscil. c. i.
(2) Luc. xx. 36.
(3) Luc. xxii. 43.
(4) Luc. i. 26.
(5) Luc. xv. 10.
(6) Matt. xviii. 10.
(7) Luc. xx. 36.
(8) Gal. i. 8.
(9) Gen. xlviii. 16.
(10) Judith xiii. 20.
(11) Matt. xviii. 10.
(12) Act. xii. 15.

dæorum sententiam testantur Rabbini, et fatentur eruditi.[1] Sic et veteres crediderunt Christiani. S. Basilius scribit: "Quod singulis fidelium adsit angelus, ut pædagogus quidam et pastor ad vitam dirigendam, non contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis . . . . Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est."[2]

191. Angelos custodes agnoverunt inter Protestantes Calovius, Gerhardus, Zanchius, Vossius, alique.[3] Hic eos præesse populis integris censuit,[4] quod et Catholicis pluribus visum est, nixis Danielis de principibus Persarum et Græcorum testimonio. Cæterum sunt qui Cyrum principem Persarum illic designari existiment.[5]

192. Constat, ex innumeris Scripturæ locis, Deum uti Angelorum ministerio in suis pandendis et exequendis consiliis: "Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo."[6] Hæc de angelo qui populum Israeliticum Dei nomine regebat, dicta sunt. Angelorum ministerio preces hominum porriguntur Deo: nam Tobiam angelus certiorem fecit se orationes, inter pietatis erga defunctos officia, fusas, Deo obtulisse: "Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino."[7] Sic angelus ex aureo thuribulo incensum, orationes scilicet sanctorum, Deo fundere dicitur in Apocalypsi.[8] Morientibus justis adsunt angeli: "Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ."[9]

193. De cultu angelis præstando agemus, quando de sanctorum cultu unà agendum erit. Hic tantum adnotabimus eos hominum obsequia in veteri testamento exegisse, uti patet exemplo angeli qui Josue occurrit; in novo autem legimus angelum Joanni Evangelistæ visum ea modeste recusasse, quod ob apostolatus dignitatem, et humanæ naturæ in Christo exaltationem contigisse videtur. Pulchre Gregorius Magnus ait: "Angeli quos prius infirmos abjectosque despexerant, jam socios venerantur. Hinc est enim quod Loth et Josue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Joannes verò in Apocalypsi sua adorare angelum voluit; sed tamen idem hunc angelus ne se debeat adorare compescuit."[10] Sed de his aliàs.

(1) Vide Rosenmüller in locum Mat. xviii. 10.
(2) L. iii. contra Eunomium.
(3) Vide apud Ziegler Theol. l. i. de Angelis § 71. not. 2.
(4) L. i. de Theol. gent. c. 7.
(5) Vide Calmet. in Dan. c. x. v. 12. 13.
(6) Exod. xxiii. 20.
(7) Tobiæ xii. 12.
(8) Apoc. viii. 3.
(9) Luc. xvi. 22.
(10) Hom. 8. in Ev.

CAPUT II. DE DÆMONIBUS.

194. Angeli omnes integri et boni conditi sunt, omni vitio carentes, nihil enim mali fecit Deus: "cum fides vera, quæ est Catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium, bonam profiteatur esse substantiam, et mali nullam esse naturam: quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret."[1] Meritò igitur *Manes*, malum principium statuens, et *Priscillianus*, diabolum malum ab initio fuisse affirmans, rejecti sunt. Equidem "ille erat homicida ab initio," et "mendax est, et pater ejus,"[2] "quoniam ab initio diabolus peccat."[3] Sed voces illæ non ipsum creationis momentum respiciunt: conditus est quidem bonus, sed brevi lapsus est. "Spiritus qui ad vindictam creati sunt,"[4] intelliguntur venti vehementiores aliaque Dei flagella: "ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt."[5] Quod autem *Behemoth* creatum dicatur ad illudendum ei,[6] intelligendum est de ceti, vel ingenti quodam pisce.

195. Gratiam, scilicet supernum auxilium quo possent Deum diligere, angelis tributam, jure meritoque dicit Augustinus: nec enim naturæ viribus poterant demereri Deum. Bonos angelos ei obsequentes a malis, qui repugnabant, discretos docet: "Simul ut facti sunt, ei a quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhæserunt. Eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod a bono defecerunt." * * * "Et istam (*bonam voluntatem*) quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam?"[7]

196. Lapsus Angelorum a nullo sacro scriptore enucleatius relatus est, sed sæpius de eo obiter plura sunt dicta. Ex vetustissima traditione innotuit angelos quosdam a Deo defecisse, et iram meruisse. Eam ex Judæ epistola colligimus: "angelos verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit."[8] Id etiam testatur Divus Petrus: "Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari."[9] Unum cæteris defectionis ducem fuisse ex pluribus locis colligitur. Ad eum referri solent, quæ ad litteram de rege Babylonio vates dicit: "detracta est ad inferos superbia tua * * * Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oric-

(1) S. Leo ep. 93, c. 6.
(2) Joan. viii. 44.
(3) 1 Joan. iii. 8.
(4) Eccl. xxxix. 33.
(5) Ibid. v. 35.
(6) Job xl. 10. Ps. ciii. 26.
(7) L. xii. de civ. Dei c. 9.
(8) Judæ v. 6.
(9) ii. Pet. ii. 4.

baris ? Qui dicebas in corde tuo : in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci."[1] Sic etiam rex Tyri apud Ezechielem describitur : " ejeci te de monte Dei, et perdidi te, O cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Et elevatum est cor tuum in decore tuo."[2] Cæterum ex allegoriis non certum derivatur argumentum. Aliunde verò obtinuit sententia dæmonem illum fuisse ante lapsum cæteris præstantiorem.[3]

197. Superbia peccasse dæmones ex mox citatis testimoniis colligunt plerique, quibus favere videtur Apostolus,[4] quapropter S. Gregorius in Christi verba de Satana cadente dicit : " ut in discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit : ut in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent."[5] Cæterum non facile intelligimus qualis fuerit, tanto enim lumine angeli illustrati sunt, ut errore laborasse censendi non sint. S. Thomas Aquinas censet angelum non appetiisse omnimodam cum Deo æqualitatem, " quia scivit hoc esse impossibile."[6] " Sed in hoc appetiit esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei."[7] Petavius post Guillelmum Parisiensem in eo statuit angeli peccatum " quod summæ majestatis proprium in creatas res dominatum, ac nulli subjectum imperium, affectu saltem ac voto concupivit."[8] Quidquid sit, de lapsu constat, licet ejus adjuncta non admodum pateant.

198. Quot lapsi sint angeli nemo mortalium novit, sicut nec totius angelici chori numerum. Tertiam quidem partem ducem superbum secutam conjiciunt nonnulli ex Apocalypsis verbis : " cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum :"[9] sed non constat ea de lapsis angelis esse intelligenda.

199. Naturæ suæ dotes, quibus hominibus longe præcellunt, retinent dæmones, donis cæteroquin gratiæ spoliati. Ideo pollent intellectu, et vires habent humanis longe majores. Mysteria fidei, quæ ex revelatione Dei pendent, non norunt nisi " per aliqua temporalia suæ virtutis effecta,"[10] vel quatenus Deus alias ea siverit innotescere ob altissima sua consilia.

200. Angeli rebelles pœnas suæ culpæ luunt, inferorum carceribus mancipati.[11] Cæterum spiritus nequam in aere versari innuit Apostolus, eos adversantes nobis exhibens : " Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare

(1) Is. xiv. 12.
(2) Ezech. xxviii. 16.
(3) Petav. de Angelis. l. iii. c. 3. § vii.
(4) 1 Tim. III. 6.
(5) L. xxiii. Mor. c. vii. modo 6.
(6) 1 p. Sum. qu. 63, ant. 3, *Sed.*
(7) Ib. *Et hoc modo.*
(8) De Angelis l. III. c. II. § xxiv.
(9) Apoc. xii. 4.
(10) Aug. l. 9. de civ. Dei c. 21.
(11) Judæ v. 6. II. Pet. II. 4.

adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus."[1] πρὸς τὰ πνευματικὰ της πονηρίας, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Fuit veterum scriptorum sententia satis communis dæmones, nonnisi post ultimum hominum judicium, pœnam ignis passuros, interimque libere vagari per aerem, et hominibus insidiari: cæterum Apostolorum laudata testimonia de iis ad tartarum, et inferos detrusis exigunt, ut plerosque carcere inferorum censeamus detineri, quamvis nonnullos illinc aliquando emergere, et in aere ad tempus versari alia suadeant testimonia.[2] Hos non omni supplicio carere constat, quum et visionis beatæ privatio sit præcipua poena, quam cruciatuum expectatio certa auget. Cæterum dæmonum omnium supplicia augenda esse post judicium non est inverosimile.[3] Quod ad pœnæ genus attinet, quum ignis diabolo et angelis ejus paratus dicatur, theologi omnes consentiunt verum et corporeum ignem, quamvis ab eo quo utimur longe diversum, eos cruciare, quod tamen nullo Ecclesiæ decreto adhuc obsignatum esse Petavius post Vasquesium notat.[4] Fieri autem posse ut spiritus igne corporeo crucietur suadet quod in hac vita inter animam et corpus intercedit commercium. Augustinus idcirco, dubius licet utrum dæmones incorporei prorsus forent, eos igne cruciari posse fassus est: "Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si nulla sunt eis corpora, spiritus dæmonum, imò spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi."[5] Porro supplicia illa æterna fore ex Christi verbis constat: sed de iis fusius disseremus postea, quando de impiorum pœnis apud inferos tractandum erit.

201. Dæmones esse negarunt plures, Scripturarum palam spreta auctoritate: alii ea in tuto, si ipsis credas, posita. Sunt enim qui Scripturarum locutiones de diabolo, Satana, dæmonibus, adhibitas dicunt ut notio abstracta mali et calamitatis vividius exprimeretur. Alii dicunt popularem fuisse Judæorum errorem de malis geniis, quos auctores suarum ærumnarum habuerunt, Babyloniorum imbuti superstitione, ex quo exules degebant: eumque Christo Domino haud probatum, sed toleratum, occasione inde sumpta ut homines ad pietatem, et divinæ virtutis admirationem traducerentur.[6] Frustra plane sunt qui allegoriarum, troporum, vel aliorum styli ornatuum, apud Orientales, ope, sperant se posse ad res et eventus re-

(1) Eph. vi. 11.
(2) Vide Petavium de Angelis l. iii. c. iv. § viii.
(3) Ibid. § xxii.
(4) Ibid. c. v. § vii.
(5) L. xxi. de civ. Dei c. x. Vide et Petavium de Angelis l. iii. c. v. § xiv.
(6) Thom. Bartholinus lib. de morbis bibl. art. 19. Wetstenius ad c. iv. 24, Matthæi.

ferre, quae plane de spiritu nequam homines impugnante passim in Scripturis traduntur. Frustra etiam popularis appellatur error, Christus enim manifestò de dæmonibus locutus est, sicut et Apostoli non ex vulgi sententia, sed ex rei veritate: "Vos," exprobrabat Judæis Christus Dominus, "ex patre diabolo estis . . . ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit."[1] In judicio extremo dicturus est reprobis: "Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus."[2] Abhorret autem omnino a Christi veracitate et sapientia, ut popularem errorem suum faciat, vocibus adhibitis quibus sanciretur et confirmaretur.

202. Dæmon δαίμων δαιμονίον apud Ethnicos deos inferiores sæpius significabat, Lares scilicet, Manes, Lemures, aliosque: κακοδαιμων autem malus genius hominibus infestus vocabatur. Hos habebant veluti morborum graviorum, vel aliarum calamitatum auctores: quæ superstitio utrum Babyloniorum mentes imbuerit non constat. Dii gentium aliquando in scripturis designantur iis vocabulis: אֱלִילִים δαιμονια:[3] sæpius autem spiritus nequam. "In nomine meo dæmonia ejicient." Dæmonum præcipuus *diabolus* plerumque vocatur, veluti *calumniator* servorum Dei διαβολος. הַשָּׂטָן *adversarius*, hostis, scilicet, humani generis etiam audit.

203. Dæmoniacos, seu obsessos a dæmone, scilicet in quorum corporibus insidebat dæmon, ea variis modis agitans, unquam vere extitisse negant passim *Rationalistæ*, qui ad vulgi præjudicium referunt, quod de iis in novo testamento dicitur. Ægrotos, lunaticosque præsertim a malo genio possideri Judæi censebant, mutuata a Babyloniis, inter quos degerant, notione, si novis his Bibliorum interpretibus credamus. Opinioni vigenti Christus et Apostoli sese accommodasse, haud sine blasphemia, dicuntur. Impietatem hanc ut evellamus, Patris Perrone haud gravabimur premere vestigia.

PROPOSITIO.

Impium est denegare veros dari dæmoniacos.

204. *Probatur I.° ex scriptura.* De dæmoniacis passim in novo testamento fit mentio; et ea quidem ratione ut non quid existimaverint Judæi, sed scriptorum sacrorum sententia, et ipsius Christi Domini auctoritas tradatur. Equidem dæmonem sæpius alloquitur Christus: "Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ne amplius introeas in eum."[4] De dæmonibus *ejectis* et *exeuntibus* ex hominibus passim fit mentio, Christo ipso dicente de quodam: "hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio."[5] Quod non in sola vulgi opinione sed reipsa adessent, no-

(1) Joan. viii. 44.
(2) Matt. xxv. 41.
(3) Vide Rosenmüller ad c. iv. 24. Matthæi.
(4) Marc. ix. 24.
(5) Ibidem. v. 28.

cendi artifices, liquet ex facultate iis facta porcos ingrediendi, quibus in flumen præcipitibus actis, Geraseni eum rogarunt ut discederet.[1] Dæmones ejiciendi potestatem dedit ipse verbis perspicuis, et monuit Apostolos ne de ea gloriarentur: "in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur."[2] Liquet igitur eum sua auctoritate comprobasse sententiam de dæmoniacis.

205. Præterea distinguunt manifestò sacri scriptores infirmos et lunaticos a dæmoniacis: "Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos."[3] *δαιμονιζομένους καὶ σεληνιαζομένους.* Ergo nulla est ratio suspicandi ægrotos omnes, vel lunaticos, fuisse inter dæmoniacos recensitos. Imo quidquid sit de Ethnicorum persuasione morbos vel amentiam a malo genio provenire, nullum proferri potest testimonium cujuscumque auctoris profani, in quo ægrotus vel amens demoniacus dicatur. Sibi igitur aliisque illudunt eruditi Rationalistæ!

206. *Probatur II. ex totius antiquitatis Christianæ sensu.* Ex omnibus scriptis Patrum omnium sæculorum liquet id omnibus Christianis fuisse firmissime persuasum, dæmoniacos extitisse, Christi Domini et Apostolorum ætate: imo eos sequiori sæculo adhuc dari plures testantur, ipsos religionis hostes ad rei experimentum provocando. Irenæus dicit de quibusdam Christi discipulis: "Alii enim dæmones excludunt firmissime et vere, ut etiam sæpissime credant ipsi *(qui)* emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sunt in Ecclesia."[4] Tertulliani celebris est locus ad antistites Ethnicos directus: "Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui, spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso."[5]

207. *Objiciunt Rationalistæ I.* Epilepsis indicia habentur in juvene qui apud Marcum a dæmone obsessus dicitur.[6] Hinc *sanati* dicuntur dæmoniaci, quia inter ægrotos recensebantur.

208. *Resp.* Licet quædam epilepsis indiciis haud absimilia in casu illo speciali animadvertere sit, adjuncta tamen ostendunt veram fuisse dæmoniacam obsessionem. Mutus et surdus erat juvenis, et ita correptus epilepsi, ut eam a dæmone provenire pater plane intelligeret; quod confirmat Evangelista dicens: "cum vidisset eum, *(Jesum)* statim spiritus conturbavit illum."[6] Fidem patris ut curaretur puer exegit Christus, et comminatus est spiritui immundo, et oratione et jejunio opus esse dixit ut ejice-

(1) Luc. viii. 27. Optime Lieberman animadvertit: "An forsan morbus viri illius totum subitò porcorum gregem corripuit? Sed et illa Christi, cum dæmone sermocinatio quam insulsa esset et ridicula sublato dæmone!" Theol. t. 1. De Angelis malis prop. iii.

(2) Luc. x. 18.

(3) Vide et Mat. ix. 33. 34. x. 8.

(4) Adv. hær. l. ii. c. lvii. aliàs xxxii.

(5) In Apolog. c. xxiii. ed Rig.

(6) Mar. ix. 17.

(6) v. 19.

retur. Hæc certe ostendunt non agi de epilepsis consuetæ curatione, quamvis nil vetet credere epilepsim fuisse cum obsessione conjunctam, et inde ortam. Liquet etiam Christum et Evangelistam dæmonis operam in juvenis afflictione agnovisse: quapropter eorum salva veracitate ad meram epilepsim naturalem reduci nequit. Præterea singularis ille casus non potest instar omnium haberi, quum plerique sint prorsus dissimiles, nullumque epilepsis præbeant indicium. Quod ad sanationis verbum pertinet, aliquando quidem usurpatur, uti Matthæi duodecimo capite,[1] ἐθεράπευσεν αὐτόν; sed sensus vocis translatus patet ex re de qua agitur, nam dæmoniacus cæcus et surdus dicitur; qui curatus est ita ut loqui et videre posset. Accurate distinguit Christus ægrotorum curationem a dæmonum ejectione: Ἀσθενοῦντας θεραπεύετε, ... δαιμόνια ἐκβάλλετε.[2]

209. *Objiciunt II.*° Amentes et furiosi plane plerique erant qui dæmoniaci habebantur. Hinc nudi circumibant, in sepulchris morabantur, concidebant se lapidibus, ferociebant in transeuntes.[3] Dæmoniacum idcirco curatum *sanæ mentis* σωφρονοῦντα dicunt Evangelistæ inventum a Gadaræ incolis.[4] Muti dicebantur melancholici, qui loqui detrectabant.

210. *Resp.* Amentiam et furorem ab obsessione dæmoniaca aliquando provenisse haud dubitamus: adfuisse autem perspicua indicia quibus a mera amentia distingueretur pariter nobis persuasum est. Equidem sævi illi homines de monumentis prodeuntes, qui nemini transitum consueverunt permittere, Jesu potentiam adeo experti sunt, ut eum aggredi haud audentes, clamaverint: "Quid nobis, et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos."[5] Hic profectò dementium non est sermo, sed dæmonum quos Christus ipsa sui præsentia coercebat. Quod licentiam porcos ingrediendi petierint, eosque egerint præcipites, non amentiam, sed nocendi libidinem probat. Recte autem dæmoniaci postquam curati fuerant sane sapere dicuntur, quia antea, dæmone agitante, minus recte sapiebant, quamvis haud prorsus amentes forent. Quod melancholici pro mutis dæmoniacis haberentur, ingeniose fingitur, nullo suffragante documento.

211. *Objiciunt III.* Inverosimile prorsus est tot homines a dæmone obsessos Christi ætate; neminem vel rarissimos postea. Ergo dicendum ægrotos, præsertim eos quos furor mentis agitabat, vel singularis affligebat morbus, dæmoniacos tunc habitos fuisse.

212. *Respondeo.* Quod dæmoniaci adeo multi fuerint Christi ætate, ex certis Evangelistarum testimoniis patet: nec ideo in quæstionem vocari potest salva eorum auctoritate. Non nostro arbitrio fingenda est hypothesis, quæ cum dictis et rebus gestis plane confligit. Nec nostrum interest reddere rationem cur obsessiones non adeo fuerint frequentes sequioribus sæculis, quamvis in promptu sit, quod scilicet dæmonum potestas Christi

(1) v. 22.
(2) Matt. x. 8.
(3) Matt. viii. 28. Marc. v. 1.
(4) Marc. v. 15. Luc. viii. 35.
(5) Matt. viii. 29.

adventu coercita sit, et vinculis veluti adstricta: satanas enim mille annos ligatus in Apocalypsi dicitur.[1] Cæterum temere negant Rationalistæ omnes posterioris ætatis obsessiones, quum ex Irenæi, Tertulliani, Cypriani, aliorumque, omni exceptione majorum, testimoniis plurimas extitisse constet. Quod autem ante Christi ætatem dæmoniacæ possessiones frequentes non noscantur, non officit relationi Evangelicæ, quum divinæ sapientiæ congrueret sinere ut majores fierent dæmonum conatus, ad illustriorem Christi triumphum: "In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli."[2]

213. Non corpora tantum obsidere, sed animabus insidiari consuevit dæmon, et quidem longe frequentius, et majori nostri detrimento. Tentationes ejus ægri animi somnia habent Rationalistæ, nil credere volentes præter id quod oculis subjacet, et rerum noscitur experimento. Cæterum Scripturæ manifesto nos docent satanam corda aggredi, ut ad peccandum nos illiciat: aliquando quidem serpentis instar, insidiantem ut mordeat, aliquando leonis rugientis, vi et potentia hostium manifestorum usum. Hinc Apostolus hortatur: "Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus."[3] Qua autem ratione nos tentent non est facile explicatu, quum illorum vires non noverimus, nec quæ sit spiritus incorporei in spiritum corpore inclusum influxus. Cæterum ipsa quæ ex Adæ peccato nobis provenit cupiditas plurimarum quibus pulsamur tentationum fons est: "unusquisque verò tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus."[4]

214. Dæmonum rebus humanis interventus plurimum olim jactabatur et credebatur, non sine aliquibus ex Scriptura desumptis exemplis. Qui eorum opem implorabant, ut arcana detegerent, vel detrimentum aliis inferrent, *Magiam* exercere dicebantur, quod superstitionis genus cultui veri Dei adversum, et in populorum fraudem cessurum, Deo jubente, mortis pœna in veteri lege mulctatum est.[5] Id optimo quidem jure, utrum illud cum dæmone commercium falso jactaretur, vel rei veritate niteretur: qui enim in *theocratia*, quàlis erat Judaicæ reipublicæ conditio, quolibet pacto homines a divino cultu abducit, reus fit læsæ majestatis divinæ. Pleraque Europæ regna infestum illud *sagarum* genus, eadem pœna proposita, eliminare olim studebant: sed quum levissimis ducti rationibus judices magiæ, vel alterius superstitionis affinis, reos damnarent, P. Spee e S. I. opere edito anno 1631 modum tantæ legum severitati adhibendum efficacibus argumentis persuasit.[6] Inde factum ut recentius ipsa magia veluti res ficta a plerisque

(1) Apoc. xx. 2.
(2) I. Joan. iii. 8.
(3) Eph. vi. 11.
(4) Jacob. i. 14.
(5) Exod. xxii. 18.
(6) Cautio criminalis, seu de processibus contra sagas.

habeatur; quamvis gravissimi auctores contendant eam aliquando exerceri dæmonis opera, rarius licet, nec facile credendam.[1] In hanc ut transeamus sententiam, quæ in scripturis tradita sunt, et quæ sæculorum veluti usu et judicio sunt trita, faciunt. In *magnetismo animali*, quo quis eorum quæ procul sunt conscius fieri dicitur, spiritu illuc nescio quo pacto se transferente, et uti dicitur, imaginatione operante extra proprium corpus, nullam dæmoniacam operam interesse suspicamur, sed vel artem quandam, vel illusionem,[2] quamvis recentissime in hac ipsa regione, plura miraque relata sint, quibus homines Acatholici judicio graves adhibuerunt fidem. Cæterum superstitionis genus illud certò habendum est, quod *fatidici* cujusque fata vel ex astrorum situ, vel arcanis quibusdam modis annuntiare aggrediantur, temere quidem et falso, ut plurimum, quamvis nonnumquam dæmonis, ut ipsi fingunt, interventu. Dolendum vanam illam artem et superstitionem patronos nancisci plurimos in urbibus ipsis præcipuis, et in ipsa religionis ac sæculi clarissima luce.

(1) Consule Perrone, Tract. de Deo Creatore c. v.

(2) Plerique nunc rejiciunt veluti nugas magnetismi miracula, et Mesmer, celebrem ejus propagatorem, ut circulatorem habent. Alii censent magnetismum obnoxium esse dæmonis artibus. Vide Perrone de Vera Rel. c. iii. 189. 194.

TRACTATUS V.

DE CHRISTO DEO.

PRÆNOTANDA.

1. De Deo antea disseruimus, quatenus se a primordiis mundi hominibus revelavit. Ens unicum et perfectissimum Moses cæterique omnes sacri scriptores nobis colendum docent: in quo tamen tres personas, quibus eadem natura sit communis, Patrem, scilicet, Filium, et Spiritum Sanctum, christiana fides agnoscit. De hoc mysterio, quod *Trinitas* dicitur, agemus, si prius de Filii divinitate tractaverimus: quum enim eo in carne manifestato, mysterium illud clarius propositum sit, ea etiam præcipue de causa, ut redemptoris dignitas et officia innotescerent, rerum ordo et claritas exigere videtur, ut quæ ad ipsum spectant prius discutiantur.

HÆRESUM DE CHRISTO BREVIS RECENSIO.

2. Cerinthus ipsis christianæ rei exordiis, Jesum a Christo distinguebat, illum dicens filium fabricatoris mundi, quem summo Deo longe inferiorem putabat; Christum verò de superioribus descendisse in Jesum, et impassibilem perseverasse. "Logon autem verum filium Unigeniti" habebat.[1] "Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem,"[2] de Verbo divino τῷ Λόγῳ sublimia tradidit. Ebionitæ Jesum merum esse hominem docuerunt. Theodotus, Byzantinus coriarius, anno 190, idem docens, a Victore episcopo Romano anathemate percussus est.[3]

3. Paulus, Samosata oriundus, qui antiochenæ Ecclesiæ præfectus est, sæculo tertio medio, docuit Verbum in Jesu habitare, indeque dici Filium, quum antea nulla esset hujus distinctionis in divina natura ratio: videtur scilicet divinam quandam virtutem Verbi nomine intellexisse. Simili fuerunt Sabellii placita. Antiochena synodus, an. 265, Pauli errorem dam

(1) Irenæus l. iii. adv. hær. c. xi.
(2) Ibidem.
(3) Euseb. hist. l. v. c. 28.

navit, sicut Alexandrina an. 261 Sabellii dogma. Is videtur fuisse plerisque communis error, quod Jesum merum hominem prædicarent, et divinam in eum descendisse virtutem, qua mire auctus est. Ab hujusmodi placitis abhorruerunt Christi Dei cultores, utpote divinæ ejus naturæ manifesto adversis.

4. Arius, Presbyter Alexandrinus, anno circiter 317, veterum hæreticorum errorem nova induit forma: nam Verbum a Jesu non separabat, nec creaturis cæteris æquabat, sed præstantissimum prædicabat Dei opus, ante sæcula productum, quo usus est Deus ut cætera omnia e nihilo educeret. Ei et nomen Dei et cultum tribuere non renuebat, quamvis Summo Deo, Patre scilicet, minori. Venenum hæreseos hac ratione propinatum plurimi hauserunt, adeo ut ab initio septem presbyteri, et totidem diaconi, ei suffragati sint. Ab Alexandro, suo episcopo, in synodo damnatus, patronos nactus est Eusebium nicomediensem aliosque. Nicææ tandem anno 325 habitum est concilium œcumenicum, in quo 318 episcopi symbolum fidei iis auxerunt explicationibus, quæ Christum Jesum Filium Dei ejusdem ac Pater substantiæ, verum Deum de vero Deo declarabant. Ομοσιος *consubstantialis*, quæ vox in symbolo adhibita est ad omnes arianorum cavillationes eludendas, iis maxime displicuit; et tot dissidiis dedit ansam, ut etiam ex orthodoxis nonnulli censuerint præstare ut omitteretur. Cæterum qui fraudes hæreticas habuerunt exploratas, in ea magnum veritatis præsidium meritò posuerunt, quippe quæ eandem Patris ac Filii naturam omnino esse enuntiabat, quam discernere cupiebat Arius.

5. Plures ab Arii sectatoribus habitæ sunt synodi, et fidei formulæ editæ, omissa voce Ομοσιος. Nonnumquam dogma ipsum Christi divinitatis visi sunt agnoscere, verbis in specie Catholicis usi: sed errorem celare studuerunt. Aetius et Eunomius, Filium Patri similem esse negantes, *Anomœorum* sectæ principes extiterunt: Acacius, Cæsareæ episcopus, eum similem dicebat, sed voluntate, potius quam natura: Basilius Ancyranus naturæ similitudinem dicitur admisisse, et Semiarianorum antesignanus habetur. Nomen hoc aliquando tributum est aliis Catholice sentientibus, qui a voce Ομοσιος abstinebant, inter quos S. Cyrillus Hierosolymitanus plerumque recensetur. Ut invidiam declinarent, sæpius damnarunt Ariani eos qui ultra progressi Verbum in tempore prodiisse, vel non esse Deum affirmabant, quamvis et ipsi id aliis verbis exprimerent. Imperatoris Constantii opera viguit maxime secta Ariana; et plurimis expulsis episcopis catholicis, Ariani eorum occuparunt sedes. Extiterunt tamen fortissimi fidei vindices, inter quos Athanasius eminuit. Post turbas quamplurimas, quæ ad sæculum facile durarunt, ne quidem tunc extincta labe, sensim sine sensu cessit error, victrixque mansit veritas a patribus nicænis vindicata.

6. Socinus Christum Deum negans, Arii impietatem resuscitavit; quem aliquatenus imitatus est, eum colendum fatens, utpote præstantissimum, Dei etiam nomine dignatum. Qui recentius Christi divinitatem impugnant, pleraque illa hæreseos pallia abjecerunt, omnemque cultum ei abjudica-

runt; quamvis et ipsi divinitatem ejus se agnoscere aliquando profiteantur, eo tamen sensu quod divinitus missus sit, divina quadam indutus virtute; merus alioquin homo, antequam ex Maria nasceretur nullatenus existens.[1] Aliqui quidem Christo aliqualem deferunt cultum; imo sunt qui Arii placita de verbi *præ-existentia*, et præstantia sequuntur.[2] Hinc distinguuntur *Ariani* et *Humanitarii*.

7. Barnesius, commentationibus in Pauli ad Romanos epistolam plura de Christo Deo inseruit; adjunxit tamen eum Filium designari ex tempore quo humana indutus carne apparuit, et scripturas prorsus silere de ulla ejus processione antequam homo factus sit.[3] Liquet hac ratione distinctionem personarum tolli, et veterem hæresim sub involucris renovari. Equidem constat Arianos et Humanitarios in Presbyterianorum et Baptistarum sectis plurimos reperiri.

CAPUT I. DE ÆTERNA VERBI GENERATIONE.

8. Quum S. Joannes præsertim de Christo, tamquam de VERBO O Λογος loquatur, eumque sacri scriptores passim Filium Dei designent, de æterna ipsius generatione imprimis erit agendum, ut personarum constet distinctio, eo a Patre semper procedente, et divina, quam in eo agnoscit Ecclesia, natura vindicetur: docet enim eum a Patre genitum ab æterno, non actu quodam transeunte, sed ipsa divinæ naturæ necessitate, ideoque esse verum Deum, ipsum Deum, qui et Pater est, sed personam a Patre distinctam, in naturæ tamen unitate.

PROPOSITIO.

Verbum divinum ὁ λογος *apud Deum semper fuit, estque Filius a Patre genitus ineffabili ratione, ex divinæ naturæ necessitate et essentia, et proinde verus Deus.*

9. *Probatur I. Ex Scripturis.* Psaltes Filium inducit loquentem: "Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te."[4] Ipse Psaltes refert: Dixit Dominus Domino meo * * * * ex utero ante luciferum genui te.[5] מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ *ex utero ante luciferum*

(1) Unitarian Miscellany, vol. I. p. 202.

(2) Ibidem, vol. vi. p. 277. *Arianism and Humanitarianism.*

(3) It is not affirmed that this title was given to the second person of the Trinity *before* he became *incarnate;* or to suggest the idea of any *derivation* or *extraction* before he was made flesh. There is no instance in which the appellation is not conferred to express his relation after he assumed human flesh. Of any derivation from God, or emanation from him in eternity, the Scriptures are silent. Barnes' Notes on Epistle to the Romans, c. I. v. 4.

(4) Ps. II. 7.

(5) Ps. cix. Heb. cx.

tibi ros juventutis tuæ. Michæas Dei nomine loquitur: "Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis."[1] Hæc testimonia ad Christum, qua Verbum est, referri ex novo Testamento constat:[2] ex iis autem generatio ejus plane adstruitur, et quidem ante auroram seu luciferum, ab initio, a diebus sæculi, מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם. Ipsa generationis vox denotat eum a Patre procedere, longe alias ac creaturæ, quæ nequaquam genitæ a Deo prædicantur. Necessariò proinde, et divinæ naturæ vi ea fit, nam nihil in Deo *accidentale* licet cogitare.

10. Consonat S. Joannes: "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum."[3] Igitur in ipso rerum initio erat Verbum; nec tunc primum prodiit; sed semper erat; et proinde Deus erat. "Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est." Verbum ipsum factum non est, quum sine ipso nihil sit factum. Omnia per ipsum facta dicuntur, non veluti ejus opera et ministerio, sed ex potentia communi, quum Pater sine ipso nihil faciat. Aptissime tamen dicitur *per ipsum*, potius quam *ab ipso*, ut relatio personalis insinuetur.

11. *Probatur II. Ex Patribus Ante-Nicænis.* Hermas, seu liber *Pastoris*, ab Irenæo tamquam scriptura laudatus, qui proinde antiquissimus est, et magni ponderis, dicit: "Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patris sui adfuerit ad condendam creaturam."[4] Non est igitur creatura, sed Patri semper adfuit, et una secum omnia condidit.

12. S. Ignatius M. ad Magnesios scribit de Christo: ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ Πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη: "qui ante sæcula apud Patrem erat, et in fine apparuit."[5] "Unus Deus est qui seipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum; qui est verbum ipsius æternum, non a silentio progrediens."[6] Censetur sanctus scriptor Gnosticos perstringere, qui Σιγὴ *silentium* æonis instar habuerunt, ex quo processit Verbum: ideo Filium æternum affirmat, nullo præeunte æone. Quod si placeat illud de silentio simpliciter explicare, æterna Verbi subsistentia æque constat.

13. S. Irenæus, contra Gnosticos, seu Valentinianos, scribens, qui Christum a Jesu distinguebant, et objiciebant Catholicis absonum esse, ut Christus, seu Verbum esse cœperit, quando Jesus est natus, ostendit ex dogmate Catholico, Verbum scilicet carnem factum, non sequi illud existere tunc cœpisse: "Ostenso manifestè quod in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati passibilem hominem factum, exclusa est omnis

(1) Mich. v. 2.
(2) Act. xiii. 33. Heb. 1, 4. Mat. xxii. 44, II. 6.
(3) Joan. i. 1.
(4) L. 3. simil. ix. § xii.
(5) Magnes. § vi.
(6) Ib. § viii.

contradictio dicentium: 'Si ergo tunc natus est, non erat ante Christus' Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est, et homo factus, longam hominum expositionem in seipso recapitulavit,[1] in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus."[2] Totus in eo est Irenæus, ut ostendat distinctionem inter Verbum et Jesum, qualem statuebant Gnostici, non subsistere, sed Verbum hominem factum, esse Christum Jesum, qui, qua Verbum, Filius est Dei unigenitus, ante sæcula, semperque apud Patrem.

14. Tertullianus fidem quam in Ecclesia de Christo didicerat, et quam apud Montanistas retinuit, sic exponit: "Nos verò et semper et nunc magis, ut instructiores per Paracletum, deductorem scilicet omnis veritatis, unicum quidem Deum credimus: sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit et filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil."[3] In *Apologetico* quem scripsit adhuc Catholicus: "Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ, nam et Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, modulo altero, non numero, gradu non statu fecit, et a matrice non recessit, sed excessit."[4] Etsi comparationes deficiant, nec enim in rerum natura divinæ essentiæ perfecta habetur similitudo; sensus tamen Catholicus verbis tribuendus est, nam mentem suam, eadem adhibita imagine, clare explicat in jam citato libro. Objecerat Praxeas, ut distinctionem personarum elevaret, plures deos dicendos, si Filius et Spiritus Sanctus nomine illo dignarentur; respondit Tertullianus non plures dicendos, quamvis unusquisque, si solus nominetur, Deus vocandus sit: "Cæterum, si ex conscientia qua scimus Dei nomen, et Domini, et Patri, et Filio, et Spiritui convenire, deos et dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per deos et dominos, ut quidam hæretici, quorum dii plures. Itaque deos omnino non dicam, nec dominos; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: 'Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne!' Nam et radium solis solem seorsim vocabo; solem autem nominans cujus est radius, non

(1) "*Recapitulare*" ἀνακεφαλαιώσασθαι apud Apostolum Eph. i. 10. *reparare* apud Irenæum significat.

(2) L. iii. adv. hær. c. xx. ed. col. Ag. an. 1596. alias c. xviii.

(3) L. adv. Praxeam paulo post initium.

(4) Apolog. c. xxi.

statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen et solem et radium ejus tam duas res et duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum et sermonem ejus, quam Patrem et Filium."[1] Alias: "Primogenitus est, ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius."[2] Liquet igitur, docente Tertulliano, Filium a Patre sic genitum, ut et ipse sit Deus super omnia benedictus in ævum omne. "Sermo ergo et in Patre semper, sicut dicit: 'Ego in Patre.' Et apud Deum semper, sicut scriptum est, 'Et sermo erat apud Deum.' Et numquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia 'Ego et Pater unum sumus.' Hæc erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum."[3]

15. Clemens Alexandrinus Logon orat ut suis discipulis det: εὐχαριζοντας αἰνειν, αἰνουντας εὐχαριζειν, τω μονῳ πατρι και υἱῳ, υἱῳ και πατρι, παιδαγωγῳ, και διδασκαλω υἱῳ, συν και τω ἁγιῳ Πνευματι. παντα τῳ ἑνι, ἐν ᾧ τα παντα· δι' ὃν τα παντα ἑν· δι' ὃν το ἀει.[4] "ut gratias agamus, et gratias agentes laudemus unum Patrem et Filium, Filium et Patrem, pædagogum et magistrum Filium, una cum Sancto Spiritu; omnia, uni, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem æternitas." Hæc aliaque plurima Patrum Ante-nicænorum testimonia ostendunt ab initio rei christianæ Verbum agnitum fuisse Patris potentiæ consortem, gloriaque et cultu pariter dignum, eundem scilicet Deum.

OBJECTIONES.

16. *Objiciunt Unitarii* 1. Christus dicitur *Filius* ob specialem erga eum Dei dilectionem, quapropter *proprius Filius*, *genitus*, *primo-genitus*, *unigenitus* vocatur, specialiter scilicet dilectus quo sensu populus Israeliticus primogenitus Dei dicebatur: "Filius meus primogenitus Israel."[5]

17. *Resp.* Plurima obstant ne tot testimonia de sola dilectione speciali interpretemur. Ea quidem est optima interpretandi regula, ut verba obvio sensu accipiantur, nisi ex adjunctis pateat ea translata esse: adjuncta autem, quandocumque de Verbo seu Christo agitur, plane postulant nativam verborum significationem. Psaltes exhibet Deum Patrem veluti explicantem quo sensu Filium appellet: "Filius meus es tu, ego hodie genui te." Quod autem *hodie* eum genitum declaret, aptissime indicat æternitatem, quæ præsens semper est, nullis temporum vicibus distincta. Quod Israel primogenitus filius Dei dictus fuerit, facile intelligebatur specialem Dei erga populum electum dilectionem indicare, qui instar primogeniti habebatur: consueverunt quippe Hebræi comparationes instituere, particula quæ similitudinem enuntiat omissa, sicut in libro *Proverbiorum* passim videre est. In locis autem quæ Verbum respiciunt omnis comparationis species deest, et vera adstruitur significatio: "ex utero ante luciferum genui te."

18. *Obj.* 2. Christus dicitur Filius Dei eo quod in utero Virginis divini-

(1) Adv. Praxeam, c. xiii.
(2) Apolog. c. vii.
(3) L. adv. Praxeam c. vii.
(4) Pædagog. l. iii. sub finem.
(5) Exod. iv. 22.

tus sit formatus, absque viri opera: Mariæ enim ab angelo dictum est: "Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei."[1]

19. *Resp.* Utique Filius Dei vocatus est Christus eo etiam sensu quod divinitus conceptus sit in Virginis utero: sed altius repetenda est illius tituli origo; nam ideo naturam humanam assumens Verbum, e Virgine prodire elegit, quod "ex utero ante luciferum" a Patre prodierit, nec deceret communi ratione nasci. Profectò si Filii Dei appellatio virgineo partu tantum niteretur, potiori jure Adam eo insigniretur titulo, utpote patre et matre carens, solo Deo auctore.[2] *Abbadie* concedit ideo Christum vocari Filium Dei, quod Spiritus Sanctus opera conceptus sit: inde enim factum ut humana natura *hypostatice* Verbo conjungeretur.[3]

20. *Obj.* 3. Ob specialem sanctificationem et missionem, se Filium Dei dici ipse Christus docet: "quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?"[4]

21. *Resp.* Eam sanctificationem missionemque meritò allegavit Christus, ut ostenderet Judæis se titulum illum sibi vindicare potiori quam judices et sacerdotes jure. Insinuavit simul suam, quam jam affirmaverat, unitatem et conjunctionem cum Patre, operibus quæ patrabat in testimonium adductis: "Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere."[5] Liquet ipsos optime intellexisse eum se, sublimiori longe sensu, sanctificatum et missum dicere.

22. *Obj.* 4. Paulus de resurrectione verba Psaltis interpretatur: "Nos vobis annuntiamus eam quæ ad Patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te."[6]

23. *Resp.* In resurrectione Christus manifestatus est Filius Dei, uti Apostolus, ad Romanos scribens, docet: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρων.[7] "qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri." Non tunc cœpit esse Filius, sed mundo veluti exhibitus est, illustri suæ originis indicio.

24. *Obj.* 5. Filius dictus est Christus, quia Deus eum constituit hæredem universorum, et super Angelos ipsos exaltavit.[8]

(1) Luc. i. 35.

(2) Vide Bullum, *Judicium Eccl. Catholicæ* c. v. § v.

(3) Abbadie *de divinitate Christi.* § 6. c. 6. cit. a De la Hogue, *Tract. de Trinitate*, art ii. prop. ii. obj. 3.

(4) Joan. x. 36.

(5) Ib. 38.

(6) Act. xiii. 32.

(7) Rom. i. 4.

(8) Heb. i.

25. *Resp.* Humana Christi natura summi honoris facta est particeps; sed Verbum divinum fuit semper splendor majestatis divinæ, substantiæque viva et perfecta imago. Nihil est quod indicet exaltationem Filii super angelos præmii habuisse rationem; quum Pater per eum omnia condidisse dicatur, angelos utique ac cæteras creaturas: quapropter quum hæredem universorum eum dixisset Apostolus, statim adjunxit: δι ὃν καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.

26. *Obj.* 6. "Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus:"[1] præcipuus scilicet inter justos, nam "prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri."[2] Hinc "primogenitus ex mortuis"[3] dicitur, et "imago Dei invisilis, primogenitus omnis creaturæ,"[4] princeps veluti novæ creationis, seu cœlestis instituti. Major autem exhibetur angelis, nuntiis, scilicet, a Deo missis, non spiritibus cœlestibus.[5]

27. *Resp.* Recte dicitur primogenitus in multis fratribus, quia, humana assumpta natura, sibi adscivit quotquot gratia sanctificantur: "decebat enim, propter quem omnia, et per quem omnia: qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: 'Nuntiabo nomen tuum fratribus meis."[6] Longe alias prædestinati sunt justi ut filii Dei habeantur, imaginem Filii sui præseferentes, ab ipso qui designatus est et agnitus Filius,[7] et demonstratus resurrectione sua gloriosa. Accepimus "spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba;"[8] sed ipse a Patre declaratur ex utero genitus. Primogenitus est ex mortuis, quia primus resurrexit; primogenitus omnis creaturæ, quia ante omnem rem creatam extitit; fuit quippe semper apud Patrem: "quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso, creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant."[9] Hæc plane designant res omnes creatas, non novam illam et mysticam creationem ad quam Apostoli verba detorquent Unitarii. Imago est Dei invisibilis, Patris scilicet, "cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus;" ὢν ἀπαύγασμα τῆς

(1) Rom. viii. 29.
(2) Rom. i. 4.
(3) Col. i. 12.
(4) Ibid. v. 15.
(5) Unitarian Miscellany, vol. 6, p. 285.
(6) Heb. II. 10,
(7) τοῦ ὁρισθέντος Υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει. Supra resp. ad obj. 4.
(8) Rom. viii. 15.
(9) Col. i. 16.

δοξης και χαρακτηρ της ὑποστάσεως αὐτοῦ:[1] in ipso quippe eædem perfectiones relucent, ipseque, invisibilis licet in divina natura, in humana sese præbuit videndum. Angelis est præstantior, nam spiritus, qui throni, dominationes, principatus, vel alio quovis nomine vocantur, ab ipso sunt conditi: de quibus manifestò agit Apostolus; nec enim homines divinitus electi ad aliquid nuntiandum simpliciter et absolute τῶν ἀγγέλων nomine designantur.[2] Ideo et Deus agnoscitur: "Ad filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi."[3]

28. *Obj.* 7. Genitus idem valet ac conditus, quapropter illud Proverbiorum: "Dominus possedit me in initio viarum suarum,"[4] creandi voce redditur a Septuaginta ἐκτισε et in paraphrasi Chaldaica: בַּרְאָנִי: illudque de Verbo Veteres intellexerunt. Igitur Verbum creatum agnoscendum est, sive ante cæteras creaturas, uti textus plures videntur insinuare; sive ex speciali consilio, uti magis placet iis qui ejus præexistentiam negant.

29. *Resp.* Verbi generatio ex voce ambigua non pendet, sed ex perspicuis omnino testimoniis, quibus Filius unigenitus declaratur, eaque ei tribuuntur, quæ veram generationem indicant: scilicet ipsum apud Patrem extitisse, gloriæ ejusdem participem, et Deum, æque ac Pater. Post cœnam ultimam, inter preces Jesus dixit: "Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus esset apud te."[5] Suam existentiam iisdem vocibus aliàs designavit quibus Deus Mosi se revelavit: "Antequam Abraham fieret, ego sum."[6] In objecto Proverbiorum loco Hebraicus textus habet קָנָנִי, eandem scilicet vocem qua Eva nato filio se a Deo eum *possidere* confessa est. Si placeat quæ de Sapientia dicta sunt, ad Verbum referre, prout consueverunt veteres, testimonia necessariò explicanda sunt juxta alia in quibus de Verbo manifestò agitur: ideoque Dominus censendus est genuisse Filium initio, scilicet ab æterno.

30. *Obj.* 8. ὁ Λόγος de quo Joannes disserit ipse est de quo Paraphrastæ Chaldaici sub nomine מימרא דיי, et *Sapientiæ* libri auctore utraque voce Λογω et σοφια,[7] agunt. Eum vocat Philo τὸν πρωτόγονον θεοῦ λογον,[8] "primogenitum Dei Verbum." Hi autem omnes divinam sapientiam veluti *personificarunt*, vel ad summum, Verbum habuerunt veluti "divinam quandam ὑπόστασιν, a Deo genitam, eique proximam atque

(1) Heb. 1, 8.

(2) Rosenmüller animadvertit in hunc locum: ex "*dignitate* Christi comprobat, eum infinitis modis majorem esse Angelis."

(3) Ibidem v. 8.

(4) Prov. viii. 22.

(5) Joan. xvii. 5.

(6) Joan. viii. 58.

(7) Sap. ix. 1, 2.

(8) De conf. Linguarum, p. 354, B. cit. a Rosenmüller in c. 1 Joan.

simillimam."[1] Nemo autem suspicatus est ipsum esse Deum vere et proprie, quamvis Philo lato quodam sensu eum ita appellaverit.[2]

31. *Resp.* Quæ objiciuntur ostendunt Judæis non prorsus ignotum fuisse Dei Verbum, cujus operam in mundo condendo divinitus afflatus auctor *Sapientiæ* testatus est: ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου: "qui fecisti omnia verbo tuo."[3] Mirum non est Philonem aliosque tanto lumine haud illustratos non plene intellexisse Verbi naturam, quam Joannes adeo luculenter declaravit: cæterum non hos habuit ipse doctores; sed "Unigenitus filius qui est, in sinu Patris ipse enarravit."[4] Quidquid igitur sit de sensu quo Philo verbum appellaverit Deum, constat Joannem eum sic designasse, eo quod rerum omnium conditor foret, vitæ et lucis auctor, et Patri intime conjunctus. Hæc certe Numen designant, nec creaturæ, absque divinæ majestatis dispendio, tribui possunt.

32. *Obj.* 9. ὁ λόγος Deus quidem est, scilicet ipsa Dei ratio, et sapientia, qua omnia constant: sed minime est a Deo distincta persona: "Ratio illa," inquit Joannes Clericus, "quam apud Deum, ab initio, imo Deum ipsum fuisse, in qua vitam, in qua verum lumen, hominum fuisse contendimus, non semper oculos nostros fugit, sed per hominem, in qua erat, conspicua facta est, atque inter nos aliquamdiu commorata."[5]

33. *Resp.* De Verbo loquitur Joannes, tamquam de persona subsistente; illudque apud Deum fuisse ab initio πρὸς τὸν θεὸν dicit, et per illud omnia condita, et in eo vitam esse, quæ hominibus lumen est, quo singuli illustrantur. Illud venisse in mundum, et carne assumpta habitasse inter homines affirmat, quod de Dei ratione et sapientia, seu attributo quocumque divino, dici non posset, nisi verbis minus proprie acceptis. Quum gloria ejus, hominibus videnda exhibita, Unigeniti a Patre dicatur, et ὁ λόγος plenus gratiæ et veritatis, liquet illum a Patre distingui, esse personam ab ipso genitam, divinæ substantiæ consortem; παρα πάτρος, scilicet, uti recte advertit Bullus, "ita Dei Patris unicum filium esse, ut solus revera *ab* atque *ex* ipso Patre genitus fuerit."[6] Illa igitur Clerici interpretatio omnino aliena est a verborum vi, et contextu: nec enim ὁ λόγος in homine Jesu commoratus dicitur, sed *caro*, scilicet homo, *factus*, et inter nos commoratus, ortus sui a Patre præclaris datis indiciis. Hinc ipse Rosenmüller in Joannem scribens, animadvertit: "Sunt etiam apud Nostrum, quæ ostendant ex ejus sententia λόγον esse naturam quamdam subsis-

(1) Rosenmüller in loc. mox cit. dicit hanc Judæorum fuisse sententiam, prout "egregie demonstravit ex chaldaicis potissimum V. T. paraphrasibus *Car. Aug. Theoph. Keil de doctoribus veteris ecclesiæ culpa corruptæ per Platonicas sententias Theologiæ liberandis* Comment II. *in opusc. academ.* t. II. p. 483.

(2) L. de Somniis.

(3) Sap. ix. 1, 2.

(4) Joan. 1, 18.

(5) In c. 1 Joannis.

(6) Judic. Eccl. Cath. p. 56, cit a Bloomfield in locum.

tentem, sive subjectum quoddam, atque hunc λόγον arctissime cum Deo conjunctum, se extra eum exseruisse ita, ut non modo omnes res procrearet, sed doctores etiam institueret, quos Deus hominibus mittere constituisset."[1]

34. *Obj.* 10. θεος ἦν ὁ Λογος. Non ὁ θεος, sed θεος dicitur, uti ab Origene olim animadversum: articulus, scilicet, eum qui vere est Deus, denotat: αὐτοθεος.[2] "Quomodo λόγος dicatur θεὸς a Joanne non definitur; tribuitur tantum τῷ λόγῳ summa vis ac dignitas."[3]

35. *Resp.* Obvia ratio cur articulus omissus sit, est quod θεος prædicati habeat rationem. Origenes quidem censuit eum omissum ut personarum innueretur distinctio, Filii a Patre, indeque refelli "negantes proprietatem Filii esse aliam a Patris proprietate; confitentes Deum esse cum nomine tantum qui apud ipsos Filius appellatur; vel negantes Filii divinitatem, et ponentes ipsius proprietatem et essentiam per circumscriptionem existere aliam a Patre." Quamvis autem deorum nomen lato quodam sensu creaturis præstantissimis dari dicat, Filium omnino ab iis distingui, eorumque habendum esse Deum affirmat, utpote qui in se attrahit divinitatem: σπασας της θεοτητος εις ἑαυτον, et est "apud Deum in principio existens, quia sit apud Deum semper manens Deus, haudquaquam id habiturus, nisi apud Deum esset, et haudquaquam Deus mansurus, nisi perpetuò permansisset in contemplatione paternæ profunditatis:[4] ὁς ἐν ἀρχῃ ἦν τῳ εἶναι προς τον θεον ἀει μειων θεος, ἐκ ἂν δ'αυτο ἐσχηκως, εἰ μη προς τον θεον ἦν, και ἐκ ἂν μεινας θεος εἰ μη παρεμενε τῃ αδιαλειπτῳ θεα τυ πατρικυ βαθεσς. Igitur, ex Origenis sententia, Deus Pater ὁ θεος appellatur, Filius θεος, cæteri Angeli vel sancti θεοι,[5] sed Filius semper extitit, omni carens initio, quamvis divina natura sit illi a Patre communicata. Quod affirmat Rosenmüller Joannem haud definire quomodo λόγος dicatur θεὸς, refellitur perspicuis testimoniis Evangelistæ, qui rerum omnium creatarum originem ei tribuit. Equidem quis cogitare poterit Joannem Verbum Deum dicere vago quodam sensu, cum manifesto erroris perniciosissimi periculo?

36. *Obj.* 11. Tertullianus: "Ut primum Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat, intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas, Rationem et Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, immo et facta jam, quantum in Dei sensu."[6] Et alibi: "Quia et Pater Deus est, et judex Deus est, non tamen ideo et pater et judex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante

(1) Rosenmüller in c. 1. Joan.
(2) In Joan. tom. II. n. 2.
(3) Rosenmüller in Joan. c. i. 1, 2.
(4) In. Joan. tom. II. n. 2.
(5) Ibid n. 3, p. 238, ed Wir.
(6) Adv. Praxeam c. vi.

filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus cum et delictum et filius non fuit, quod judicem, et qui patrem Dominum faceret."[1]

37. *Resp.* Priori loco adversus Praxeam scribit Tertullianus, ut personarum distinctionem tueatur. Contendit igitur Filium a Patre revera distingui, et semper apud Patrem extitisse; sed ante conditum mundum eum *Rationem* maluit designare, *Sermonem* condito mundo, Græca voce ὁ λόγος utrique respondente. Praxeas objiciebat Deum solum fuisse "ante mundi constitutionem, adusque filii generationem. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia." Respondet Tertullianus: "Solus autem quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium; et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat." Prolatio igitur *sermonis*, juxta Tertulliani mentem, est manifestatio *Rationis* per mundi creationem: idem tamen λογος semper. Si quid in iis obscurum videatur, scopus auctoris præ oculis habendus est, nempe personarum ut vindicet distinctionem, et unitatem naturæ divinæ ea non tolli ostendat: "quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio, et in Spiritu Sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris?"[3] "Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris."[4] "Eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est, primogenitus ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius."[5] Praxea objiciente sermonem esse rem inanem, quam id absurdum sit de divino Verbo cogitare ostendit Tertullianus: "Fecit enim et ipse quæ facta sunt per ipsum. Quale est ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est? * * * Vacua et inanis res est sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est: 'Et sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo?"[6]

38. Alio in loco objecto Hermogenem refellit dicentem materiam semper extitisse, quum Deus alioquin Dominus dicendus non foret, quippe qui nihil haberet in quod exerceret potestatem. Fatetur Tertullianus nomen

(1) Adversus Hermogenem c. iii.
(2) Adv. Praxeam c. v.
(3) C. iii.
(4) C. iv.
(5) C. vii.
(6) Ibidem.

Domini eo sensu ei tribui non posse: "Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis et factus et dictus est Dominus;" idque patris et judicis vocabulis illustrat. Placet igitur hæc ad creaturas referri, et Deum eo sensu denegari Patrem, quo denegatur Dominus, scilicet quod actu non extiterint filii. Cæterum Filius ὁ λογος in Deo fuit semper. Fatemur Tertullianum hoc libro dicere Sophiam natam et conditam; quapropter Petavius eum Platonicis figmentis dogma Christianum corrupisse censet; sed duriora licet sint quæ protulit, benignam eorum explicationem dandam censemus, quum alias Verbum verum Deum agnoscat. Quæ igitur de Sermonis initio dicit, de manifestato per creationem λογω intelligimus; quæ verò de Sophiæ, seu Rationis, in Deo initio affirmat, de principio quo a Patre procedit ο λογος: "Filius enim sermo, et Deus sermo: et Ego et Pater unum sumus."[1]

39. *Obj.* 12. Generatio vel nullam certam ideam præbet; vel eam quæ simplicitati et puritati divinæ naturæ repugnat, et initium, mutationem, minoremque gradum infert.

40. *Resp.* Certa quidem vis ei voci inhæret, quæ Patris ad Filium relationem indicat, quamvis nemo mortalium valeat eam plene et accurate intelligere. Satis est ut noscamus personas divinas inter se ita discerni, ratione tamen simplicitati et perfectioni Dei congrua. "Non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda. Incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater; et tamen ex se generavit, et ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum verum."[2]

41. Ambrosio concinit S. Petrus Chrysologus: "Sed dicit hæreticus: Quomodo Pater, si non præcedit? quomodo Filius, si non sequitur? Quomodo dat initium qui generat? Quomodo quod generatur, principium a generante non sumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras hæretice: hoc habet humana ratio; non hoc habet diuina: hoc accipit natura mundi; Deitatis non recipit hoc natura."[3] Igitur supra omnem rem creatam elevanda est mens, eaque cogitanda est relatio, quæ divinæ naturæ insit, qua Filius semper a Patre procedit, nullo initio, nulla mutatione, sed *immanente* quadam, uti dicunt Theologi, ratione. Ex ipsius Dei revelatione nobis innotescit, ideoque fide excipienda, et humili animi obsequio adoranda est.

42. Mirum est virum Protestanticum *Stuart* Christum Deum vindicare voluisse contra *Channing*, rejecta generationis notione, Filiique voce ad humanam naturam restricta: sed et *Clarkius* in commentariis, aliique, humanitus sapientes pariter exorbitaverunt.[4] Satis feliciter Augustinus gene-

(1) Adv. Hermog. c. xviii.

(2) Ambros. l. i. de fide c. v.

(3) Serm. lx.

(4) Vide "Letters to the Rev. Wm. E. Channing by Moses Stuart, Andover," et Unitarianism examined by Rev. Anthony Kohlmann, S. J. vol. ii. p. 17.

rationem perpetuam illustravit, Arium arguens qui dicebat: 'si natus est, erat tempus quando non erat filius:' "non intelligens etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus."[1] ORIGENES etiam ἀεὶ γεννᾶται ὁ σωτὴρ ὑπὸ τοῦ Πατρός.[2] "Salvator noster Sapientia est Dei. Est autem Sapientia splendor lucis æternæ . . . . semper gignitur Salvator a Patre."

43. Quum agatur de mysterio prorsus sublimi mirum non est veteres Patres de Verbo divino loquentes aliqua proferre quæ obscura sunt, et ambigui sensus, vix enim potest homo de eo prout decet cogitare vel loqui. Cæterum quæ ubique occurrunt testimonia de Dei unitate, quæque passim Verbum Deum prædicant, nullum locum dubitationi de vera Patrum mente relinquunt, qui plane catholice senserunt, licet quædam minus accurate a quibusdam sint prolata. Acrior Petavii in illos censura ab ipso mitigata admodum est, et veluti revocata.

44. Liceat Irenæi verba subjungere quibus increpat eos qui mysterium generationis divinæ scrutari et explicare ausi sunt, vel fideles hac tentatione pulsabant. "Irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis. . . . . Si quis igitur nobis dixerit: Quomodo ergo filius prolatus a Patre est? Dicimus ei quia prolationem istam, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem existentem nemo novit, non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque angeli, neque archangeli, nec principes, neque potestates, nisi solus qui generavit Pater, et qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit, quicumque nituntur generationes et prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes."[3]

CAPUT II. DE JESU CHRISTI DIVINITATE.

45. VERBUM, Filium Dei, ejusdem ac Pater substantiæ, verumque Deum probavimus. Humanam naturam ab eo assumptam in hominum salutem fides docet: quapropter Verbum caro factum dicitur JESUS *salvator* a voce Hebraica salutem denotante יְשׁוּעָה. Consuevit etiam appellari CHRISTUS Χριστος, seu מְשִׁיחַ *unctus*, qua ratione reges Judaici vocabantur, oleo in regnum inuncti. Servator autem oleo non est unctus, sed Spiritus Sancti, cujus oleum est symbolum, copia intus repletus.

(1) L. vi. de Trin. c. i.
(2) Hom. ix. in Jerem.
(3) L. iii. adv. hær. c. xlviii.

46. Celsissimam Filii dignitatem quum Ariani faterentur, eum Deum appellare haud renuebant, sensu tamen minus stricto. Nicæni concilii Patres ad omne tollendum effugium eum ομοουσιον, scilicet *consubstantialem*, Patri declaraverunt, ουσια enim *substantia*, seu, *natura* explicatur. Symbolo igitur professi sunt se credere, "in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt." Ad Arianos penitus conterendos adjecerunt: "Illos verò qui dicunt: *Fuit aliquando cum non esset:* et: *Antequam genitus est non erat*, et *Ex non existentibus, sive ex nihilo, factus est;* vel qui Dei Filium ex alia hypostasi vel substantia esse, aut creatum esse, aut mutari, vel converti posse sentiunt, anathemate ferit catholica Ecclesia."[1]

47. υποςασις pro substantia aliquando usurpabatur, uti in mox laudatis verbis videre licet, sed postea usus obtinuit ut *personam* designaret, ουσια pro natura, essentia, seu substantia, adhibita. Vocum ambiguitas gravia nonnumquam peperit dissidia.[2] *Persona* seu υποστασις a substantia distinguitur in eo tantum quod persona sit substantia intelligens completa et sui juris. Igitur in rebus creatis *personalitas* est mera negatio unionis cum alia substantia a qua pendeat: in Deo autem est quidem aliqua perfectio, non re, sed virtute, ab essentia divina distincta. *Subsistentia* et *personalitas* idem sonant, quamvis illa ad entia ratione carentia, quæ *suppositum*, non personam, habere dicuntur, designanda plerumque adhibeatur. Hæc, ad tractatum de Trinitate pertinentia, breviter adnotanda hic visa sunt, ut quæ de Verbo humanam naturam assumente dicuntur, clarius intelligantur.

48. Ὁ Λογος ab Ario intelligebatur creatura quædam præstantissima Angelos hominesque longe superans, qua usus est Deus veluti ministro et instrumento ad cæteras res creatas condendas.[3] Hunc, quem ab interiore Dei Λογῳ seu sapientia, distinguebat, in humana natura opus redemptionis generis humani perfecisse dicebat. A Rosenmüller, inter Rationalistas, dicitur Ὁ Λογος Deus vocari "ob naturam Deo proximam et simillimam."

49. Unitariis plerisque placuit ab Arii sententia longe discedere, quam affinem esse Platonicis placitis constat. Dicunt nonnulli, post Grotium, S. Joanni propositum fuisse errorem de Æone a Deo distincto tollere, et ad ipsam referre sapientiam et potentiam divinam quæ perperam de creatura prædicabantur. Τον Λογον igitur interpretantur ipsam Dei sapien-

(1) Apud. Socrat. hist. Eccl. l. i. c. 8.

(2) Inter Meletium et Paulinum, utrumque sane sentientem, de tribus hypostasibus vehementer disputatum est, Oriente et Occidente toto ea occasione commotis. Vide Montagnum qu. 10. art. 1. cit. dissert. 1. prævia de Stma Trinitate t. 8. Theologiæ cursus completus.

(3) Vide Petavium de Trinitate l. 1. c. viii.

tiam, quæ ab initio apud Deum erat, imo Deus erat, et quæ caro facta est, manifestata scilicet et oculis veluti objecta in homine Jesu, in quo sapientia et potentia divina documentis sublimioribus et miris operibus effulserunt. Joannes Clericus in hac sententia explicanda adeo laborat, ut quam ægre respondeat Joannis et cæterorum sacrorum auctorum dictis invitus prodat. "Deus," inquit, "erat ea Ratio, ut Λογον, quem postea inter homines versatum esse narrat, Deum illum unicum et proprie dictum fuisse doceat." Λογον carnem esse factum existimat, "quatenus carne Jesu veluti indutus conspicuus evasit, ... inhabitatione Dei ineffabili, qua Jesu humanitas facta est humanitas Rationis divinæ, singulari prorsus modo, ut ipsa divina Ratio facta est Jesu divinitas unione illa arcana. Ab illo tempore Deus potuit dici caro, et vice versa carni, seu homini, Dei vocabulum tribuere licuit. Propter hanc duarum naturarum conjunctionem in Christo, Apostoli de eo modò loquuntur ut Deo, modo ut homine; nec ea tantum tribuunt Christo, quæ Jesum facientem viderant, sed etiam quæ ante Deum natum fecerat divina Ratio."[1] Huic interpretandi rationi consonat Rationalistarum plerorumque sententia, qui "intellexerunt sapientiam, sive rationem Dei, eamque personificatam."[2]

50. Socini explicatio, qui Λογον intelligit divinum præconem, ab omnibus fere derelicta est. Perabsurde quidem "in principio" retulit ad exordium rei christianæ, et cætera pari ratione exposuit: "Deus erat Verbum, id est, operandi potestate et exactissima rerum divinarum scientia præditus erat Christus. Omnia per ipsum facta sunt, id est, quidquid ad novam creationem, et mundum spiritualem pertinet."[3] Jure optimo Rosenmüller hanc explodit sententiam: "Valde errant, qui ἐν ἀρχῇ interpretantur de *initio Evangelii*, s. rei christianæ; huic enim sententiæ consilium Joannis et sequens oratio aperte repugnat."[4]

51. Quantum verbis Joannis torqueantur Unitarii, et quo infelici successu in iis explicandis laborent, ex sententiarum varietate, et absurditate manifestum est. E contra Ecclesia catholica arcanum divinæ generationis venerata, Verbum a Patre distinguens, Jesum Christum, ipsum Verbum hominem factum, agnoscit et colit, omniaque feliciter congrueque interpretatur.

PROPOSITIO.

Jesus Nazarenus, qui dicitur Christus, verus est Deus, Patri consubstantialis.

Probatur I. ex Scripturis, quæ Dei nomen ei passim tribuunt, nullo dato indicio illud ei haud stricte convenire.

(1) Cit. in opere de div. D. N. J. C. a Marano l. 1. p. ii. p. 90. Vide et Unitarian Miscellany, vol. i. p. 300.

(2) Rosenmüller schol. in Joannem. c. 1.

(3) Socinus in c. 1. Joan.

(4) Rosenmüller scholia in. loc.

52. Isaias de puero ex virgine nascituro dixit: "Vocabitur nomen ejus Emmanuel,"[1] quod in Jesu impletum refert Matthæus, explicatione adjecta a Græco interprete: "quod est interpretatum, Nobiscum Deus."[2] Clarius Vates de eo deinceps locutus est: "parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum."[3] De Jesu agi constat ex ipso elogio, quod nonnisi ei convenit, et ex verbis angeli, quibus eum super solium David sessurum annuntiavit Mariæ, regno sine fine potiturum. Quod autem Hebraice legatur יִקְרָא *vocabit*, difficultatem facere non potest; nam totus est vates in pueri elogio prædicando, adeo ut vel puncta subjicienda sint, quibus, in conjugatione *Niphal*, legatur *vocabitur*, vel אִישׁ *quis* subintelligendus sit, vel "קֹרֵא *vocans:* i. e. appellabitur, impersonaliter, ut Genes. xi. 9. xvi. 14. Jos. vii. 26. Jud. xv. 17."[4]

53. Jeremias de Messiæ regno vaticinans, eum JEHOVAM vocandum dicit: "Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster."[5] יְהוָה צִדְקֵנוּ Hoc nomen ipsum est quod sui proprium esse Deus ipse Moysi declaravit.

54. Joannes: *θεὸς ἦν ὁ λόγος . . . . καὶ ὁ λόγος σαρξ ἐγενετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.*[6] Ipsum Verbum Deum vocat, et carnem dicit factum, in qua, veluti in tentorio, peregrinus inter homines versatus et commoratus est. Profectò Deus homo factus Jesus Christus hoc loco manifeste prædicatur, qui et unigenitus a Patre dicitur,[7] Deus apud Deum initio semperque existens, quatenus Verbum est.

55. Postquam se Thomæ videndum redivivus Jesus exhibuerat, Thomas "dixit ei: Dominus meus, et Deus meus." *ὁ Κυριὸς μȣ καὶ ὁ θεος μου.* Agnovit igitur eum Dominum et Deum esse, fide illustratus, et rerum evidentia veluti coactus: nec enim exclamationis instar, sed affirmationis verba, prout in græco textu sunt, exponi possunt: nominativus scilicet est casus, non vocativus. Christus autem Thomæ confessionem

(1) Isaias vii. 14.
(2) Matt. i. 23.
(3) Isaias ix. 6.
(4) Rosenmüller in loc.
(5) Jer. xxiii. 6.
(6) Joan. i. 14.
(7) Recte monet Rosenmüller: ' ὡς ante *μονογενοῦς* non est particula similitudinis, sed ut Hebræorum, כִּי indicat, rei certitudinem et veritatem; Chrysostomus nominat particulam *βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβήτου διορισμοῦ confirmationis* et indubitatæ definitionis."

confirmavit, mansuete eum reprehendens, quod antea credere dubitasset. "Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt."[1]

56. Οἴδαμεν, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν· καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ιησου Χριστῳ. Ουτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος.[2] "Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna." Græcus textus plane postulat ut Jesus Christus verus Deus agnoscatur; pronomen enim ad eum necessariò refertur. Sive *τον αληθινον* intelligamus *Deum*, prout explicat Vulgatus interpres, vel verum Messiam, qui et ipse veritas est, quod magis receptæ lectioni congruit, Filius certe verus Deus dicitur.

57. Apostolus Paulus ad Romanos scribens extulit privilegia Israelitarum: "ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula." ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατα σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τους ἀιῶνας. ἀμην.[3] Christus, qui quod ad carnem attinet, ex Israelitis ortus est, ipse super res omnes creatas verè dicitur Deus benedictus in æternum. Suprema ejus divinitas verbis clarioribus enuntiari non potuit, quippe qui "DEUS SUPER OMNIA" vocatur, sicut et Pater, ὁ ἐπι παντων.[4] Quod autem velint sociniani *doxologiam* hic inseri, nulla ratione probatur, nec contextui congruit, ex serie enim sermonis nihil apparet cur Apostolus eam edat: sed scopo maxime convenit verba de Christo accipere, Israelitas scilicet maximis privilegiis auctos, inde præsertim liquet quod ex iis Christus sit, quatenus est homo, qui simul est Deus supremus. Hinc Wolzogenius ad aliam explicationem confugit, sed infelici plane successu.[5]

58. "Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi."[6] προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ελπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγαλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Constat hic agi de gloriosa manifestatione Christi; nec enim ullibi in Scripturis, uti bene adnotavit Erasmus, ἐπιφάνεια de Deo Patre dicitur: articuli autem usus, juxta linguæ proprietatem,[7] postulat ut Jesus Christus magnus Deus et Servator noster intelligatur, vel saltem ut magnus ille, Deus et Servator noster, Jesus Christus agnoscatur. Meritò igitur S. Cyrillus Alexandrinus ait:

(1) Joan. xx. 28. Non negat Wolzogenius Christum Deum expresse appellari hoc loco, et Joan. i. 1. Rom. ix. 5. Vide compendium Rel. chr. n. 28.

(2) Joan. v. 20.

(3) Rom. ix. 5.

(4) Eph. iv. 6.

(5) Wolzogenius locum illum de Christo explicat: "Tunc constitutus est *Deus super omnia*, cum super omnia imperandi divinam potestatem ex gratia et dono Dei Phil 2. 9, consecutus est." Præp. ad lect. lib. N. T. c. xiv.

(6) Tit. ii. 13.

(7) Glassius in *Philologia sacra*, animadvertit: "Quandoque articulus emphatice primæ voci additus, reliqua omnia epitheta adjecta includit, et de eodem subjecto sermo-

"Si Christus est omnium spes, et magnus Deus, et Salvator, quomodo non vehementer impii et dementes sunt, qui Filium dicunt esse creaturam?"[1]

59. Apostolus etiam de impuro quoque et avaro dicit: οὐκ ἐχει κληρονομίαν ἐν τῃ βασιλεια τοῦ Χριϛοῦ καὶ Θεοῦ non habet hæreditatem in regno illius qui Christus et Deus est.[2] Sic et Deus noster et Salvator prædicatur a Petro: τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ.[3] Ex textu patet Jesum Christum Deum et Salvatorem nostrum pariter dici. A Juda etiam: "καὶ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ιησουν Χριϛὸν ἀρνέμενοι. "Hic articulus, (animadvertente Glassios) omnibus his epithetis communis, ostendit Christum hic vocari *unicum herum, Deum ac Dominum.*"

60. Isaias vidit "Dominum sedentem super solium excelsum" et Seraphim ei adstantes: "et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus."[4] קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ יְחוָֹה צְבָאוֹת מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ Vati se mittendum offerenti dixit Dominus: "Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava," etc. De supremo Deo agi constat, quum Jehovæ nomen ei tantum competat, et ipse ter sanctus a Seraphim celebretur. Jam verò Joannes, posteriora citans verba de Judæis incredulis, et excæcatis, animadvertit: "Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo."[5] Jesus igitur vere est Jehova, Dominus exercituum.

61. Adventum Messiæ summis laudibus celebrat Isaias: "ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri." הֲמָה יִרְאוּ כְּבוֹד־יְחוָֹה הֲדַר אֱלֹהֵינוּ. Consolatur pusillanimes ea spe: "Confortamini et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum."[6] Gloria Jehovæ, adveniente Messia, exhibenda erat, quia ipse est Deus sal-

nem esse ostendit." Additur tamen, a Dathio, ut videtur, in sua scilicet editione operis invenitur, "non esse καλὸν hanc observationem," "contrarium enim ex Matt. 21. 12. Marc. 11. 15. Luc. 19. 45. apparet, ubi οἱ πωλοῦντες καὶ ἀγοράζοντες conjunguntur." Sed pace Philologi eruditissimi dixerim exemplum illud non obstare, nam de iisdem agitur, qui sibi invicem vendebant et emebant, ideoque communi ratione designabantur. Certe longe diversa sunt exempla a nobis et a Glassio adducta. "Sic de Deo Patre, 2. Cor. 1. 3. εὐγολητος ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τὸ κυρίὸ ἡμῶν Ιησύ Χριϛου, ὁ πατὴρ τῶν ὀικτιρμων, καὶ Θεὸς πασης παρακλήσεως." Addam illud I. Thess. 1. 3. ἐμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν. De usu Græci articuli plura disseruit Middleton. Vide et Bloomfield in notis ad loca supra adducta.

(1) S. Cyrill. Thesaur. c. xi.
(2) Eph. v. 5.
(3) II. Petri. i. 1.
(4) Isai. vi. 1. 3. 9.
(5) Joan. xii. 41.
(6) Isæiæ xxxv. 2. 4.

vator: ex parallelismo enim liquet ELOHIM et JEHOVAM idem apud prophetam sonare. Huc manifesto respexit Christus, Joannis discipulis se Messiam probans, miraculis patratis quæ Isaias recensuerat: "Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur."[1]

Probatur II., ex Judæorum sensu, quem Christus, quin correxerit, plane confirmavit.

62. Ea equidem est æquissima ratio Christi dicta explicandi, ut sensus ab audientibus iis tributus genuinus agnoscatur, nisi ipse eum rejecerit. In iis præsertim quæ summi sunt momenti, si error gravissimus, Deo injuriosus, et hominibus æternum afferens exitium, ex verbis ejus male intellectis ortus fuerit, oportuit omnino eum corrigere, et mentem clarissimis verbis, quæ eum penitus tollerent, aperire. Jam verò Christus ita locutus est ut Judæi eum se Deum facere intelligerent: ipse autem sensum illum non rejecit, sed potius confirmavit.

63. De fidelibus, sub ovium figura, loquens, se vitam æternam iis daturum dixit, quippe eadem qua Pater potestate gaudentem, quam nemo vincere posset: "Ego vitam æternam do eis: et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus."[2] ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Vitæ æternæ largitio, et potentia nulla vi superanda, et unitas naturæ satis clare Deum ostendunt: quare mirum non est Judæos intellexisse eum se Deum dicere. "Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum." Blasphemiæ eum arguerunt: "quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum." Id negare, si Deum non se dixisset, facillimum erat, et ad placandos hostes maxime opportunum, imo sinceritatis et probitatis legibus omnino necessarium.[3] Attamen negationis nullum est indicium; sed quod dixerat tueri pergit, exemplo a Scripturis desumpto. Argumentum ex latiori vocabuli hujus usu, qui prophetas Dei complectebatur, adhibet; ostendens se *a fortiori* ita vocari posse, Filius quippe Dei erat, a Patre sanctificatus, in splendore sanctitatis ante auroram genitus,[4] et in mundum missus, quum antea apud Patrem esset. Quamvis divinam suam naturam hisce verbis obscure tantum indi-

(1) Mat xi. 4. Confer etiam Isaiæ xlv. 21. Rom. xiv. 21. Vide Petavium de Trinit. l. iii. c. iii. § xv.

(2) Græcus textus habet: Ὁ Πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μειζων πάντων ἐστι. "Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est." Vetustissima est lectio quam sequitur Vulgata, uti apud Tertullianum videre licet. Adversus Praxeam. c. xxii.

(3) Optime animadvertit Bloomfield *in locum*: "Indeed had he been aught but God, one with the Father, common honour and ingenuousness would have required him to disavow the interpretation they had put upon his words." Utinam sic ratiocinatus fuisset interpres doctissimus, dum sextum caput Joannis explicaret.

(4) Maldonatus intelligit eum separatum et destinatum muneri, juxta illud Jeremiæ: "antequam exires de vulva sanctificavi te, et, prophetam in gentibus dedi te." Jer. i. 5.

caverit, intimam tamen conjunctionem cum Patre affirmavit, miraculis etiam in testimonium allegatis: "Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre."[1] Tantum abest ut Judaicam interpretationem suorum verborum rejecerit, eam manifestò confirmavit, quapropter Judæi, nihil a sententia deducti, ei vim inferre *idcirco* parabant: "quærebant ergo eum apprehendere."[2] Ἐζήτουν οὖν πάλιν αὐτὸν πιασαι. Profectò nisi Christus esset verus Deus, blasphemiæ arguendus erat, quia ita loquebatur ut se Deum facere videretur: nec objectum crimen verbis clarissimis refellit, adeo ut audientes necessariò falleret, cum majestatis divinæ dispendio.

64. Aliàs etiam eidem accusationi dedit locum; sanato enim homine, qui triginta octo annos infirmitate laboraverat, quum Judæi quererentur, sabbatum eo opere violatum, illud Patris et sui potentia factum docuit: "Pater meus usque modo operatur: et ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æquàlem se faciens Deo.[3] Oportuit statim hanc veluti atrocem calumniam repellere, si veritate non niteretur; attamen Jesus vocibus usus est asseverandi, quibus in sententia firmarentur, et opera sui et Patris communia et paria affirmare perrexit. "Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit: et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat: neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum."[4] Quamvis nihil a se Filium posse dicat, ut ostendat opera ejus Patris etiam esse, ob potentiæ et naturæ unitatem, omnia Patris opera sua esse perspicuò affirmat, adeo ut Filius quoscumque velit a mortuis etiam revocet, sicut et Pater una secum; quod illustre est divinæ potentiæ argumentum. Parem igitur honorem Filio et Patri tribuendum, juxta Patris ipsius consilium, docet. In omnibus adstruit consensum voluntatis et potentiæ conjunctionem, seu potius naturæ unitatem, servata tamen Patris et Filii relatione. Jure optimo animadvertit Chrysostomus: "si potentia eadem sit, manifestum est naturam eandem esse."[5]

65. Liquet Judæos Christum intellexisse Filium Dei adeo se prædicare, ut Deo esset æqualis, ipse etiam Deus. Gravissimi igitur criminis loco id

(1) v. 38.
(2) v. 39.
(3) Joan. v. 17.
(4) v. 19.
(5) *ει δὲ ἡ δύναμις ἡ αὐτὴ, ἐνδηλον ὅτι καὶ ἐτία.* S. Chrys. hom. lxi. in Joannem.

habebant, morte puniendi, turba zelo legis flagrante, vel certe a publico tribunali. Hinc a sacerdote summo interrogatus est Dei nomine: "Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei."[1] Ipso id fatente, seque prædicente venturum in nubibus cœli ut orbem judicet, quod sane scientiæ summæ et potentiæ indicio erat, scidit Sacerdos suas vestes, veluti blasphemiam exhorrescens: "Blasphemavit;" omnesque sibi in judicio adsistentes eum mortis reum pronuntiarunt. Jam verò nullus fuit locus accusationi, interrogationi, vel judicio, si filium latiori sensu se dixisset; Judæi enim omnes, saltem quotquot justi videbantur, filii Dei habebantur. Jesus etiam temere se objecit discrimini, mentem suam celando, in solemni judicio, quum vocis ambiguitate sublata, omnem accusationis speciem sustulisset. Ergo ex regula æquissima interpretationis, qua voces ea ratione intelligendæ sunt, qua ab audientibus necessariò intelligebantur, Jesus Filius Dei agnoscendus est, Deo æqualis.[2]

Probatur III. ex Dei Patris testimonio pluries dato.

66. Baptizato Jesu, ecce vox de cœlis dicens: "Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui."[3] In monte gloria circumdatus visus est, "et vox facta est de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite."[4] Gentilibus præsentibus, qui eum cognoscere cupiebant, Patrem invocavit: "Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificavi, et iterum clarificabo."[5] Nequaquam credi potest eum Dei Filium tanta cum solemnitate cœlitus declaratum, nisi vere esset a Deo Patre genitus: nec enim latum quendam sensum, qui hyperbolem redolet, in vocibus ita emissis quærere licet.

67. *Probatur IV. ex testimoniis quæ divinam naturam Christo Jesu adsignant.* "Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris."[6] ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. In forma, seu natura, Dei substitit Verbum, formam enim pro natura hic sumi constat ex forma servi, quæ assumpta dicitur, qua ratione natura humana certe exprimitur, uti recte animadvertit Gregorius Nazianzenus: "forma autem Dei idem est omnino ac natura, nam sicut in

(1) Matt. xxvi. 63. Confer et Marcum xiv. 61.

(2) Vide de hoc argumento opus supra laudatum: "Divinitas D. N. Jesu Christi," p. ii. c. iii. et iii.

(3) Mat. iii. 17.

(4) Luc. ix. 35.

(5) Joan. xii. 38.

(6) Phil. II. 6.

forma servi factus, naturam servi induit, non meram speciem sibi assumens, nec a natura disjunctam, sed natura forma obsignatur, ita omnino et dicens eum in forma Dei esse, naturam per formam indicavit."[1] Ideo nullam æstimavit rapinam, sed certissime novit sui esse paria Patris, seque ei parem omnino esse. Esset verò rapina et blasphemia paria Deo adfectare, nisi ipse Deus esset. Tantum inter majestatem divinam et humanam naturam intercedit intervallum, ut hujus assumptio, nulla licet cum naturæ divinæ mutatione, nulloque cum majestatis dispendio, exinanitio habeatur. Cæterum humana natura Jesu, in obedientiæ et humilitatis præmium, summo honore aucta est, cultus qui divinæ naturæ tribuitur particeps facta. Nomen Jesu et dignitas Salvatoris omne nomen et dignitatem hominum vel angelorum excellit, eique supremi cultus testimonia dant homines omnes et angeli, vel certe qui illud in terris negligunt, in ævum luent pœnas, ipsum Dominum et judicem inviti experturi. Quod autem Unitarii et Rationalistæ formam Dei explicare velint de divina quadam auctoritate et majestate, quæ tamen a suprema Dei natura distinguatur, et formam servi de conditione mancipii, vel hominis e vulgo, opprobriis et ærumnis objecti, frustra fit, quum Apostolus de natura divina, qua absque injuria aliqua Filius Deo foret æqualis, loquatur, et de natura humana, qua contigit ut pati morique posset.

68. Apostolus *ad Colossenses* scribens, postquam omnem creaturam a Filio ortam declaraverat, de ipso, tamquam homine, perrexit loqui: "ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare."[2] Altissimum hoc mysterium cupit fidelibus plene innotescere: "instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi."[3] * * * In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter."[4] Hæc sane totam plenitudinem divinitatis, non portionem quandam, Christo vindicant; vere enim et substantialiter Verbum, quod Deus est, in humana natura habitavit, caro factum: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

Probatur V. ex testimoniis quæ Dei perfectiones et opera divina Jesu Christo tribuunt.

69. Ipse sibi vindicat omnia quæ sunt Patris, quod sane impia foret usurpatio in creatura quamvis præstantissima: "Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt."[5] "Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt."[6] Creatio mundi ei sæpissime adscribitur: et quamvis S. Joannes plerumque dicat per eum δι' αὐτοῦ omnia creata, vis tamen hujus vocis ea non est, ut minis-

(1) L. 3. contra Eunom.
(2) Col. i. 18.
(3) Ib. II. 2.
(4) v. 9.
(5) Joan xvi. 15.
(6) Joan. xvii. 10.

terium vel instrumentum indicet, sed relationem quam habet ad Patrem."[1] Pater omnia condidit, sed *per eum*, utroque, una cum Sancto Spiritu, ad creationem concurrente. Equidem creatio, quum sit eductio e nihilo, infinitam exigit potestatem; et proinde concipi nequit creaturæ veluti concessa: quapropter Psalmista ea utitur in divinæ potentiæ argumentum: "laudent nomen Domini quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit."[2] Jehovæ ipsi rerum creatio et conservatio perpetua hic tribuitur: יְהַלְלוּ אֶת־שֵׁם יְהוָה כִּי הוּא צִוָּה וְנִבְרָאוּ Jam verò Apostolus utramque Christo tribuit, conservationem quidem: "portansque omnia verbo virtutis suæ"[3] φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ: creationem verò, de Filio Psalmistæ verba interpretans: "Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli."[4] De Jehova Psalmistam loqui constat:[5] ideoque, ex mente Apostoli, Christus Jehova est.[6]

70. Immutabilis et æternus etiam Christus ab Apostolo prædicatur, pergit enim Psalmistæ verba de Jehova ei applicare: "Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient." Consonat quod postea suo veluti nomine dicit: "Jesus Christus heri et hodie; ipse et in sæcula."[8] Melchisedech ejus typum gessisse docet: "neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum."[9]

71. Omnium scientia, etiam cordis arcanorum, ei passim tribuitur: "cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine."[10] Sæpissime dicitur nosse cogitationes Pharisæorum et discipulo-

(1) "Præpos. διὰ adhibetur de *causa*, et *instrumento*, ita ut causam *efficientem* indicet, et sæpe idem valeat, quod ἐκ et ἀπὸ. Igitur δι' αὐτοῦ est i. q. ἀπ' αὐτου ὁ ἐξ αὐτοῦ. Hac significatione διὰ de Deo omnium rerum creatore, legitur Rom. xi. 46. Hebr. ii. 10." Ita Rosenmüller in loc.

(2) Ps. cxlviii. 5.

(3) Heb. i. 3.

(4) Heb. i. 10.

(5) Ps. ci. 26. Heb. cii.

(6) Wegscheider hæc habet: "Verum enim vero quin attributa divinis simillima cum denominatione ista filii Dei conjuncta et dignitatem divinæ proximam Christus et ipse sibi, ut Dei filio, in dictis nonnullis ei attributis, et apostoli Christo vindicaverint, dubitari nequit." § 83. cit. a Perrone Tract. de Trinitate, n. 164.

(7) Heb. i. 11.

(8) Heb. xiii. 8.

(9) Heb. vii. 1.

(10) Joan. ii. 23.

rum; et Petrus eum omnium cognitione præditum agnovit: "Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te."[1] Hæc autem cordis arcanorum scientia Deo veluti singularis in scripturis passim prædicatur.

72. Omnipotens etiam vocatur, sicut et rerum omnium principium et finis: "Ego sum A et Ω principium et finis, dicit Dominus Deus; qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens."[2] Animantia quæ thronum circumdare Apostolo visa sunt, clamabant indesinenter: "Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est."[3] ὁ ἐρχομενος non potest alium præter Filium designare, quod Ruffinus olim animadvertit: "Quis est alius qui venturus est, nisi Christus Filius Dei?"[4]

73. Innumeris in locis se præsentem declarat, et una cum Patre in anima justi sedem habere: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum."[5] "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus."[6] Per omnia sæcula se præconibus ubique adfuturum pollicetur: "Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi."[7] Hæc certe decent eum qui Deus est, ubique et semper præsens: nec mero homini, nec sublimissimæ cuicumque creaturæ possunt convenire.

Probatur VI. Ex Petri et fidelium omnium professione Christum esse Filium Dei, quæ de filio naturali et consubstantiali necessario est intelligenda.

74. Quum Jesus de hominum sententiis variis quæsiisset, deinceps quid ipsi Apostoli de se sentirent, interrogavit: "Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est."[8] Divinitus revelata Petri fides præcipue respexit Jesum esse filium Dei; ideo enim a Patre dicitur provenisse. Ea nititur etiam Petrus, de Eucharistiæ mysterio interrogatus: "verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.[9]" S. Joannes eum in finem suum exaravit Evangelium: "Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus."[10] Eunuchus, a Philippo inter-

(1) Joan. xxi. 17.
(2) Apoc. i. 8.
(3) Apoc. iv. 8.
(4) Lib. de Symbol. Vide Petavium de Trinitate l. ii. c. x. § vii.
(5) Matt. xviii. 20.
(6) Joan. xiv. 23.
(7) Matt. xxviii. 20.
(8) Matt. xvi. 16.
(9) Joan. vi. 69.
(10) Joan xx. 31.

rogatus, idem professus est; "credo Filium Dei esse Jesum Christum."[1] Quum omnes Dei cultores et famuli filii Dei dicerentur, nulla speciali revelatione opus fuit ut Petrus Jesum filium Dei haberet, vel alii eum sic appellarent: sublimiori igitur sensu, proprio et stricto, Jesus Filius Dei dictus est, naturalis et consubstantialis, vere a Deo Patre genitus. Si pro præstantissimo tantum vate divinitus misso vox sumeretur, ea adjungenda necessariò erant quæ ambiguitatem tollerent, et latiorem illum sensum retineri ostenderent; quum e contra veluti mysterium altissimum a sæculis absconditum, et nonnisi ex revelatione innotescens, proponatur.

75. Fides hæc in Unigenitum Filium Dei tamquam necessaria ad salutem conditio exigebatur: "Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei."[2] "Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum."[3] Christus fidem a cæco sanato exegit: "Tu credis in Filium Dei?" . . . "Credo, Domine, et procidens adoravit eum."[4]

Probatur VII. testimoniis quæ Jesum Christum adorandum commendant.

76. Ideo judicium a Patre ei commissum dicitur, "ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem:" ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν Υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν Πατέρα.[5] Ei omnes homines et angelos cultum præstare dicit Apostolus: ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων.[6] Creaturæ quantumvis præstanti cultum ab omnibus cælestibus spiritibus, et terræ, et inferorum incolis, dandum nemo facile credet, quum Deus dicat: "gloriam meam alteri non dabo:"[7] Cultum autem summum genu flectendi phrasi in Scripturis designari norunt omnes; nam qui "non curvaverunt genua ante Baal" idololatria immunes intelliguntur.[8] Quod autem ob humiliationem colendus dicatur, intelligendum est de supremo cultu humanæ Christi naturæ, quatenus in divina Verbi persona subsistit, tribuendo, qua veluti compensatio fieret propter ærumnas et mortem: quatenus autem Verbum erat, fuit antea, estque semper, in forma Dei, æquali honore dignatus, et gloriam apud Patrem ante conditum orbem habens.

77. Cultus ille ab angelis speciatim præstandus dicitur: "Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes

(1) Act. viii. 37.
(2) Joan. iii. 18.
(3) Joan. iii. 36.
(4) Joan. ix. 35. 38. Vide Petavium de Trinitate l. II. c. xii. § xii.
(5) Joan. v. 22.
(6) Phil. ii. 10.
(7) Isaiæ xlii. 8.
(8) Καμπτειν γόνυ *genu flectere*, summæ subjectionis et reverentiæ signum, h. l. est: *subjectum esse tamquam domino*, eum adorare et colere, ut statim v. ii. explicatur." Rosenmuller in loc.

Angeli Dei."[1] προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. De supremo cultu verbum plerumque usurpatur, quem Angelos ipsos præstituros annuntiavit vates: הִשְׁתַּחֲווּ־לוֹ כָּל־אֱלֹהִים[2] De Jehova agi ex Psalmo constat, quem ipsum esse Jesum Apostolus, hoc utens testimonio, demonstrat.[3]

78. Una cum Patre, eodem prorsus cultu eum prosequi Angelos et omnes creaturas testatur S. Joannes in Apocalypsi: "Et omnem creaturam, quæ in cælo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum."[4] Ergo idem est Deus, Pater et Filius, eodem cultu omnino dignus.

Probatur VIII. miraculis Jesu Christi, quæ et multitudine, et splendore, et ratione simplicissima, qua patrata sunt, rerum Dominum, propria potestate et arbitrio agentem, plane denotant.

79. Ea Patri quidem adscripsit, sed et sua esse sæpe affirmavit; ita ut naturæ divinæ unitas et personarum relatio insinuaretur. Iis usus est ad doctrinam quam tradebat firmandam, dum doceret summa cum auctoritate, et fidem in eum, sicut et in Patrem, exigeret; imo se Filium Dei alte prædiceret, et Patrem et se unum esse diceret. Præterea Apostolis communicabat miracula faciendi potestatem, suo veluti jure.[5]

80. *Probatur IX. titulis quos Christus sibi vindicavit*, qui creaturæ præstantissimæ haud aptari possunt: "Ego sum via, et veritas, et vita."[6] "Ego sum lux mundi."[7] "Ego sum resurrectio et vita."[8] Quod Apostolos lucem mundi designaverit ipse, ex adjunctis sensum translatum habere facile intelligebatur.

81. *Probatur X. ex jure quo se vitam æternam largiturum dicit:* "Ego vitam æternam do eis:"[9] "resuscitabo eum in novissimo die."[10] Ipse igitur, proprio veluti jure, mortis dominum, vitæque æternæ largitorem se exhibet. Sic Apostoli eum salutis ducem et auctorem prædicant: "Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri."[11]

82. Probatur igitur Christi divinitas innumeris textibus qui eum Filium Dei prædicant, τον Υιον, tanta cum emphasi et solemnitate, ut nequaquam cum filiis adoptivis possit confundi. Ipsius Christi de se Filio Dei affir-

(1) Heb i. 6.
(2) Ps. xcvii. 8. Heb.
(3) Septuaginta addiderunt θεου, veluti explicationis gratia,
(4) Apoc. v. 13.
(5) Matt. x. 1.
(6) Joan. xiv. 6.
(7) Joan viii. 12.
(8) Joan xi. 25.
(9) Joan x. 28.
(10) Joan. vi. 55.
(11) Act. iv. 12.

mationi toties repetitæ consonat Judæorum intelligentia, quam non correxit, discipulorum etiam fides. Voces "genitus" "unigenitus" eam confirmant: omnia scilicet congruunt, si verus et naturalis Filius Dei intelligatur: sed nonnisi ingeniose et arte quadam, imo vi manifesta illata, ad adoptivum Filium, etiam præstantissimum, traducuntur. Ea igitur ratio loquendi usurpata dicenda foret cum periculo certo funestum errorem insinuandi. Accedunt plurima quæ Verbum Deum prædicant, eique divina tribuunt opera, creationem et conservationem rerum, divinasque omnes perfectiones. Miracula plane divina ei unum se cum Patre prædicanti ferunt testimonium.[1]

83. Equidem si Christus merus homo fuerit, licet divinis auctus donis, et amplissima ornatus auctoritate, vel si fuerit Ens naturam divinæ proximam habens, liquet eum haud satis cavisse, ne homines ei summum tribuerent cultum; sed potius ita se gessisse et locutum ut paria cum Deo affectare videretur. Repugnat autem omni veræ sanctitatis notioni, ut Dei ad homines legatus ita suam efferat auctoritatem, et studeat gloriæ, cum detrimento cultus Deo unice debiti. Quidquid igitur sit de uno alterove dicto in quo Patris potiora jura agnoscere a Socianis censeatur, constat eum iis ipsis in locis verba ita componere, ut sibi etiam consulat; et plerumque, tamquam rerum Dominum, summam libere exercere potestatem, et vindicare auctoritatem.

OBJECTIONES.

84. *Obj.* 1. Christus se et Patrem unum esse ἓν dixit, ob consensum voluntatis, agebat enim ex Patris jussione, ei perfecte obtemperans: "Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam. Hoc mandatum accepi a Patre meo."[2] Opera sua in nomine Patris fieri professus est, et oves sibi a Patre datas; quam rationem adsignabat quare ei auferri non possent, quia Pater major est omnibus. Judæos, verba ejus maligne interpretantes de divinis usurpatis honoribus, monuit, judices, sacerdotes, vates vocari deos, seque idcirco eo nomine nuncupari posse ob sanctificationem et missionem a Patre derivatam. Liquet igitur ex contextu eum haud sibi vindicasse divinam naturam.

85. *Resp.* Se Christus dixit unum cum Patre, ob potentiam communem, quæ cum natura necessariò conjungitur, uti supra ex Chrysostomo animadvertimus; ideo quippe nemo oves sibi rapere poterat, quia nemo Patri eas rapere valebat; et ipse et Pater unum sunt, quia Pater in ipso, et ipse in Patre. Opera in nomine Patris patravit, quæ tamen et sua dicebat, eandem ob causam, quia scilicet potestas erat communis: relatio autem Filii ad Patrem, tamquam principium, postulabat ut Patri præcipue tribu-

(1) Vide Unitarianism examined by Rev. Anthony Kohlman S. J. Vol. II..et Bullum, Judicium Eccl. Cath. c. i. n. 13.

(2) Joan. x. 17, 18.

erentur; quamvis et Filio et Spiritui Sancto quoque tribuantur. Quæ de potestate sibi a Patre data dicit, ut opera illa faceret, ad humanam naturam referenda sunt, sicut et cætera de datis ovibus, de missione et sanctificatione: sed de unitate naturæ divinæ in Patre et Filio quod semel affirmaveret numquam retractavit; quamvis argumento usus sit Judæis accommodato, quo minueretur eorum furor, et animi disponerentur ad mysterium excipiendum, quod iterum insinuavit: "Pater in me est, et ego in Patre."

86. *Obj.* 2. Parallela loca ostendunt unitatem voluntatis, non naturæ, designari. Post cœnam ultimam pro discipulis precatus est Patrem; "ut sint unum, sicut et nos."[1] ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς. Et Apostolus ad Corinthios: "qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt."[2] Ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἓν εἰσιν. Nec unquam ἓν ad personam, seu Ens, designandum usurpatur.[3]

87. *Resp.* Loca adducta non sunt parallela, nec enim prior eandem præsefert formam absolutam: "Ego et Pater unum sumus;" sed oratio fit ut discipulorum unitas similis sit Patris et Filii unitati; similitudo autem æqualitatem non necessariò secum fert. Alter locus satis ex contextu determinatur ad unitatem finis. Sed in Christi de se et Patre verbis affirmatur unitas ad probandum potentiam servandi oves, lupis licet ferocissimis invadentibus gregem; quæ potentia a Patre derivatur, cum quo unum se dicit. Potentia igitur eadem est utrique, quia uterque unum est, natura scilicet et essentia. Quod autem asserunt *Unitarii* de vocis vi, non obstat, quum enim significet rem unam, vel substantiam, apte usurpatur ad substantiam divinam designandam: de persona eam non intelligimus.

88. *Obj.* 3. Christus in forma Dei dictus est ob gloriam divinam qua circumdari visus est, miracula patrandi præditus potestate: ad formam servi se demisit, flagra et crucem, mancipii vilissimi instar, passus.[4]

89. *Resp.* "Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:" τὸ εἶναι ἴσα θεῷ.[5] Miracula patrandi potestas, vel aliud quodcumque donum divinitus datum, non poterat efficere, ut Christus se Deo parem haberet, absque impietate et usurpatione sacrilega, nisi Deus vere esset. Præterea ex contextu patet eum in forma Dei esse, antequam in similitudinem hominum factus sit; et in eo exinanitionem ponit Aposto-

(1) Joan. xvii. 11.

(2) I Cor. iii. 8.

(3) Unitarian Miscellany, Vol. I. p. 28.

(4) Ita post Grotium Rosenmuller *in locum.*

(5) "Neutrum plurale ἴσα quod more Græcorum sæpe adverbialiter ponitur, ubi verbis εἶναι vel γίνεσθαι jungitur, pro adjectivo usurpatur." Rosenmüller *in locum.* Grotius illud Homericum citat: τὸν νῦν ἴσα θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορώωσι, ut ostendat æqualitatem perfectam non designari; sed rem non conficit: nam Ithacenses heroem deo parem spectare poterant, de diis quippe humilius sentiebant: Christus autem humano ejusmodi errore non laborabat, ideoque non poterat se parem Patri æstimare nisi revera esset.

lus, quod in forma humana sit inventus. Quæ deinceps est passus adjungit, ut quo sese demiserit nostri causa plenius intelligatur.

90. *Obj.* 4. Ex quo Psaltes de Messia cecinerat eum esse Dei Filium, idem sonabat hæc appellatio apud Judæos ac Christus; nec divinam naturam ullatenus indicabat: nam et David primogenitus Dei prædicabatur: "Ipse invocabit me: Pater meus es tu . . . . et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ."[1] Profectò ea fuit gentis Judaicæ consuetudo ut filii Dei vocarentur angeli, reges, magistratus, imo pii omnes Dei cultores. Messias autem filius primogenitus dictus est, præstantissimum scilicet ea ratione designare consueverunt.[2]

91. *Resp.* Non constat Judæos Messiam Filium Dei consuevisse designare. Cæterum non interest; nam liquet Jesum eum sibi vindicasse titulum sensu longe sublimiori, adeo ut impietatis et blasphemiæ argueretur, utpote qui se Deo æqualem faciebat.[3] Si placeat Psaltis vaticinium de se ipso intelligere, potius quam de Christo, cui magis convenit: "Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli;" translata semel vox, cujus significatio ex adjunctis eruitur, non potest argumento esse tot et tam perspicua de Christo proprio Filio Dei testimonia late esse accipienda. Ipsa quæ objicitur consuetudo filios Dei nuncupandi angelos, vel homines sanctitate vel auctoritate insignes, demonstrat nullam offensionis causam orituram fuisse, si sensu haud absimili a Christo usurpata fuisset Filii Dei appellatio.

92. *Obj.* 5. Ipsi Christi discipuli Filium Dei eum agnoscentes de divina ejus natura nihil suspicati sunt: nec enim eum coluisse leguntur. Conveniunt omnes scriptores christiani, qui primis quatuor sæculis floruerunt, Apostolos ipsos nihil de divinitate ejus cogitasse.[4]

93. *Resp.* Petrus, Patre cœlesti revelante, Filium Dei agnovit eo sensu quod omnia cordis arcana nosset,[5] quod certe de præstantissimo quocumque Dei famulo, vel de mera creatura quacumque dici non posset. Martha eum e cœlo descendisse professa est: "Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti."[6] Discipuli declararunt se credere eum a Deo processisse, et omnium cognitione præstare; Christo quippe dicente: "Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce

(1) Ps. lxxxviii. 27, 28.

(2) Glassius, Can. xvii. 1 edit. Dath.

(3) "L'expression *fils de Dieu* etait d'un usage ordinaire chez les hebreux, pour marquer l'homme d'une haute sagesse, d'une haute piété. Ce n'est point dans ce sens, que s'en servait Jesus Christ; elle n'aurait pas causé une si vive sensation."—Salvador, "histoire des institutions de Moise." t. II. l. iv. c. iii. not.

(4) Priestley, "hist. christ. church," p. 1. § xi.

(5) Joan. xxi. 17.

(6) Joan. xi. 25.

nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi."[1] Thomas eum Dominum ac Deum suum alte professus est Cæcus, statim ac se Filium Dei declaravit, "procidens adoravit eum."[2] Hæc certe sunt fidei de divina ejus natura, et cultus haud obscura specimina.

94. Temere quidem, et contra omnium scriptorum fidem, Priestleius dicit Apostolos merum hominem æstimasse Jesum. Audiatur Chrysostomus, quarto sæculo, loquens: "Nisi proprie sic Petrus intellexisset, et ab ipso Patre natum crederet, non fuisset revelationis opus illa confessio, nec aliqua beatificatione digna, si unum ex multis Dei filiis illum putasset." Christus pollicitationibus magnificis Petri fidem confirmavit: "Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, et ut Ecclesia, tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cujus pastor et caput piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum."[3]

95. *Obj.* 6. Quæ de Christo e cœlo descendente affirmantur, translato sensu sunt intelligenda, nam Deus, qui ubique est, haud descendit, ergo Christus non ideo dictus est e cœlo descendere, quod Deus foret, sed quod divinitus fuerit missus, divino functurus munere.

96. *Resp.* Deus quidem strictiori sensu descendere dici nequit, attamen descendisse dicitur, quando per angelos se in terris manifestavit, ut turris ædificatores confunderet, vel Sodomitarum scelera puniret. Potiori jure ea vox usurpari potest de divino Verbo humanam sibi assumente naturam, et inter homines ita versante. Cæterum in cœlis semper aderat, quod et ipse significavit, dicendo: "Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo."[4]

97. *Obj.* 7. "Esse in cœlo est res cœlestes probe tenere, sive eas tamquam præsentes intueri: quæ omnia Filio hominis . . . . citra ullam naturam seu essentiam divinam optime convenire possunt, ut certe conveniunt." Ita Socinus.[5]

98. *Resp.* Alia prorsus ratione significat se Christus in cœlo esse, intima scilicet cum Patre naturæ conjunctione, est enim: "Unigenitus qui est in sinu Patris." Ad contemplationem rerum cœlestium, mentis in Deum ascensu, frustra referuntur, quæ de natura divina Patri Filioque communi, et de ejus præsentia in cœlis adeo manifeste dicuntur.

99. *Obj.* 8. "Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem:

(1) Joan. xvi. 28.
(2) Joan. ix. 38.
(3) Hom. lv. in c. xvi. Matthæi.
(4) Joan. iii. 13.
(5) Ad. cap. 6. Joannis.

quia Pater major me est."[1] Apertissime igitur professus est Jesus se non esse summum Deum: imo Patrem suum Deum, sicut et discipulorum, agnovit: "Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum."[2]

100. *Resp.* Duæ in Christo necessariò agnoscendæ sunt naturæ, divina scilicet et humana: locutus est autem de se, tamquam homine, locis objectis, nam, quatenus Verbum, erat in cœlo, et apud Patrem esse non desiit, ipso tempore quo versabatur in terris, humana natura assumpta. Ideo legimus: "Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit."[3] "Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo."[4] Optime igitur concordant quæ de Patre et se dicit Jesus, si ad divinam naturam referantur quæ æquales eos exhibent, ad humanam verò quæ Filium minorem. "Quædam itaque," animadvertit Augustinus, "ita ponuntur in Scripturis de Patre et Filio, ut indicent unitatem æqualitatemque substantiæ, sicuti est, '*Ego et Pater unum sumus:*' et '*cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo:* et quaecumque talia sunt. Quædam vero ita, ut minorem ostendant Filium propter formam servi, id est propter assumptam creaturam mutabilis humanæque substantiæ, sicuti est quod ait, *Quoniam Pater major me est: et Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*"[5] Cæterum si quis velit de Christi divina persona id intelligere, originis ratione licebit, Pater enim Filio major dici poterit, utpote fons divinitatis, quin Filius aliqua perfectione careat, nec enim rapit sibi quidquam injuria se Patri æqualem exhibendo. "Non dixit Filius," animadvertit S. Athanasius, "Patrem se meliorem esse, ne quis ipsum externum, alienumque a Patris natura existimaret: sed Pater, inquit, major me est, non quidem magnitudine aliqua, aut ætate, sed propter generationem ex ipso Patre."[6] Quod autem Patrem Deum suum appellaverit, ad humanam ejus naturam necessario referendum est: discrimen tamen se inter et discipulos servatum animadvertere est, nec enim *Patrem et Deum nostrum* dixit, sed *Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

101. *Obj.* 9. Jesus se Deum esse negavit, adolescentem enim reprehendit, quod eum bonum appellaverit: "Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus."[7] Se etiam judicii diem ignorare fassus est: "De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater."[8]

(1) Joan. xiv. 28.
(2) Joan. xx. 17.
(3) Joan. i. 18.
(4) Joan. iii. 13.
(5) L. ii. de Trinitate, c. i. n. 3.
(6) Orat. 4. contra Arianos.
(7) Marc. x. 17.
(8) Marc. xiii. 32.

102. *Resp.* Titulum rejecisse Jesus censendus non est, quamvis mansuete corripuerit juvenem, qui blandientis instar eum sic appellaverat, quin divinam ejus naturam agnosceret. "Recte me appellabis bonum," ita Augustinus responsionem Dominicam explicat, "si me noveris Deum: nemo enim bonus, nisi solus Deus."[1] Hanc interpretationem non rejicit ipse Rosenmüller: "Cur tu qui me habes pro doctore, pro homine, me appellas *perfectum?* Si tibi non sum nisi homo, nimium mihi tribuis."[2]

103. Judicii diem procul dubio novit Christus, qui adeo accurate omnia ejus adjuncta descripsit; sed, tamquam Patris ad homines legatus eum ignorasse dicitur, quia illius notitia non erat illis communicanda. Optime animadvertit S. Cyrillus Alexandrinus, "hanc nescitæ diei professionem, non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dispensationem."[3] Pessime Lutherus affirmavit Christum in statu exinanitionis quædam ignorare.[4]

104. *Obj.* 10. Jesus se hominem, filiumque hominis sæpissime designavit, ne quis eum, ob dona quibus ornatus fuit, cœlestem vel divinum haberet: "quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum."[5] Sic et Apostolus eum hominem dicit. "Unus est Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus."[6]

105. *Resp.* Vere Jesus homo est, ex Maria Virgine natus, ideoque meritò se ita designavit; sed est etiam Deus, filius scilicet consubstantialis Dei, Patri æqualis. Utrumque probant plurima Scripturæ testimonia: quod si cum emphasi quadam se Filium hominis declaret, id contigit quia tamquam homo Mediatoris et Redemptoris sustinuit partes. Hoc ejus munus præcipue respexit Apostolus in loco objecto. Id insuper animadvertendum prævidisse Christum futuros plurimos qui de assumpta carne, et de suppliciis quæ propter hominum salutem pateretur, dubitarent, omnia specie tantum, non re, transacta dicentes: ideoque oportuit veritatem humanæ naturæ perspicuis verbis sæpe affirmare.

106. *Obj.* 11. Jesus Patrem unicum verum Deum prædicat; se a Patre missum: "Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum."[7]

107. *Resp.* Pater a Christo solus Deus verus vocatur, utpote a diis gentium omnino distinguendus. Vita æterna ex utriusque, Jesu Christi et Patris, cognitione pendet. Haud inverosimiliter Chrysostomus, Augustinus,[8] et inter recentiores *Heinsius*, verborum ordinem negligi putant, adeo ut sic construenda sint: ἵνα γινώσκωσι σε καὶ Ἰησοῦν Χριστον, ὁν απεστειλας, τὸν μονόν ἀληθινον

(1) L. contra Maximin, c. 23.
(2) In locum.
(3) L. ix. de Trinitate.
(4) Apud Rosenmüller in locum.
(5) Joan. viii. 40.
(6) I Tim. ii. 5.
(7) Joan. xvii. 3.
(8) Aug. l. vi. de Trinitate.

θεὸν: *ut cognoscant te et Jesum Christum quem misisti, solum verum Deum.*[1] Profectò eo loci dicit se gloriam apud Patrem habuisse, et a Patre dilectum ante conditum mundum; quod innuit ejus cum Patre unitatem: nec enim, nisi vi manifesta verbis illata, potest intelligi de decreto Patris ut gloriam Filius olim acciperet, sed necessario refertur ad gloriam quæ rerum creationem antecessit. "Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus esset apud te." "Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi." Quod apud Patrem in gloria fuerit ante conditum mundum affirmatur manifesto; et quod ipse et Pater unum sint, Pater in ipso, et ipse in Patre etiam traditur, oratione fusa ut discipuli aliquam similitudinem hujus unitatis exhibeant: unitas igitur naturæ et divinitas Filii inde colligitur.

108. *Obj.* 12. Apostolus quoties de Patre et Jesu Christo fit sermo, Patrem vocat Deum, et Jesum Christum vel nullo titulo ornat, vel Dominum appellat: "Unus Deus Pater ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum."[2]

109. *Resp.* Jam verbis Tertulliani exposuimus rationem cur Christus *Dominus* dicatur, quando una cum Patre nominatur, scilicet ut unitas divinæ naturæ appareat, et originis relatio. Cæterum bene animadvertit S. Ambrosius: "Quemadmodum cum legimus Dominum Jesum, nec Patrem a dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est: ita cum legimus solum verum Deum Patrem, nec Filium a solius veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est."[3] Equidem vox illa κυριος eadem est qua septuaginta interpretes reddiderunt nomen Dei ineffabile יְהוָה. Cum ea appellatione conjungit Apostolus gratiæ largitionem: "Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen."[4] Anathemate ferit eum qui Christum Dominum non diligit: "Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha."[5] Hæc certe supremum Dominum designant.

110. *Obj.* 13. Apostolus cum emphasi quadam Patrem solum Deum dicit: "Soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen."[6] "Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen."[7]

111. *Resp.* Priori loco Christo gloria in ævum tribuitur, si obvio verborum nexui inhæreatur. Quod si quis contendat ᾧ *cui*, ad Deum referri,

(1) Similis inversio habetur. 1 Joan. iii. 10. Apoc. xxi. 22.
(2) I Cor. viii. 6.
(3) L. v. de fide, c. ii.
(4) Rom. xvi. 14.
(5) I Cor. xvi. 22.
(6) Rom. xvi. 27.
(7) I Tim. i. 17.

non repugnamus: nam et nos Deum solum sapientem agnoscimus, divina Jesu Christi doctrina, de qua mox locutus fuerat Apostolus, imbuti. Equidem in ipso omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei sunt absconditi: est enim Deus et homo, cui proinde gloria tribuitur, dum Deo tribuitur. Ejusmodi voces nil habere quo Christi honori detrahatur, facile liquet, comparatione facta cum testimoniis quæ Christum prædicant, nulla Patris facta mentione. Sic Judas ait: "Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes."[1] Liquet præterea Christum alias sæpe dici Deum.

112. *Obj.* 14. Plena Filii Patri subjectio ubique prædicatur in novo testamento; adeo ut Apostolus explicans de Filio verba Psalmistæ, omnia ei subjecta esse, addat: "sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus."[2] Paulo antea dixerat, de resurrectione loquens: "deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri."[3]

113. *Resp.* Utique Filius, tamquam homo, omnino subjectus est Patri. De eo, hoc sub respectu, loquitur Apostolus, eum veluti caput Ecclesiæ, et regni mystici rectorem considerans. Regit igitur plena potestate, a Patre tamen derivata, Ecclesiam; eamque regere non desinet, donec electorum impletus fuerit numerus, ideoque regno huic in terris finis fuerit impositus. Tunc tradet regnum Deo et Patri; scilicet Ecclesia in terris desinente, exhibebit electos Deo Patri, ita ut Deus sit omnia in omnibus. Quamvis autem Deus Pater præcipue nominetur, non ideo excluditur Filius, nam ipse et Pater unum sunt, quod patet ex Apostolo ad Ephesios dicente Christum se tradidisse pro Ecclesia, "ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam."[4] Quæ igitur objiciuntur spectant Christum hominem, et dispensationem quam ad tempus statuit, nec officiunt divinæ Verbi naturæ: imo nec regno Christi hominis perpetuo, nam "regni ejus non erit finis;"[5] sed regnabit perfectius toto corpore mystico sibi Patrique subdito: "Quia omnis Ecclesia" inquit Ambrosius, "unum corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus."[6] "Regnat itaque Dominus," animadvertit Hilarius, "traditurus Deo Patri regnum; non

(1) Jud. 4.
(2) I Cor. xv. 27.
(3) Ibidem, v. 24.
(4) Eph. v. 27.
(5) Luc. i. 33.
(6) Ambros. l. v. de fide, c. 6.

regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio nostra provectio est, ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus et Patris: digni per id regno Patris, quia digni regno erimus et Filii; proximi tum Patris regno, cum Filii erimus in regno: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen."[1]

114. *Obj.* 15. Omnimode a Patre se pendere Christus sæpius innuit, nec aliquid sibi vindicare ausus est: "Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio."[2] "Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me."[3] "Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem."[4] "Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo."[5]

115. *Resp.* Quatenus homo, a Deo pendebat; Pater autem præcipue nominatur, quando Deus simpliciter et absolute dicitur, principium enim est aliarum personarum. Patri se obtemperare professus est, morti se objecturus in hominum salutem. Doctrinam quam tradidit humano ingenio non excogitatam dixit; mirabantur quippe Judæi eum docentem, cum non didicisset litteras: quapropter cælestem ejus originem prodidit. In operibus quæ divina fiebant virtute, nihil veluti a se faciebat, sed Patris ad exemplum, quo cum intime conjunctus est: ideo querelam Judæorum de violato Sabbato rejecit, se ex Patris impulsu agere affirmans.[6]

116. Quod autem sui non sit primos in regno honores tribuere petentibus, indicat nullam gratiam favoremque humanum in iis tribuendis habere locum; sed æquitatem, juxta singulorum conditionem, Patre ita decernente. Ideo matris Jacobi et Joannis preces rejecit, hosque docuit ærumnis et labore aditum ad regnum patere. "Frustra a me petitis," ita Hieronymus interpretatur, "quod in vobis situm est, quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem."[7] Cæterum gloriam et vitam æternam se largiturum sæpius affirmavit.

117. *Obj.* 16. Jesum divinitus missum, juxta promissiones patribus factas, Apostoli prædicarunt, eum Dei potentia e mortuis suscitatum ad id probandum affirmantes; de divina ejus natura alto servato silentio.[8]

118. *Resp.* Apostoli sapienter conati sunt Judæos ad fidem perducere iis adductis argumentis et testimoniis, quibus imprimis Jesum esse Messiam patribus promissum ostenderent. Inter hæc resurrectio, opus plane

(1) In Ps. cxlviii.
(2) Joan. xiv. 31.
(3) Joan. vii. 16.
(4) Joan. v. 19.
(5) Matt. xx. 23.
(6) Vide Petavium de Trin. l. ii. c. iv. § v.
(7) L. 2. contra Jovinian.
(8) Priestley, "History of the Christian Church," p. i. § xi. et p. iv. § v.

divinæ potentiæ, allegabatur, et Deo auctori jure optimo tribuebatur.[1] Haud oportebat ab initio totum mysterium proponere, donec animi disponerentur vaticiniorum et rerum gestarum evidentia. Cæterum haud omiserunt Apostoli Christum Filium Dei designare,[2] vitæ auctorem, in quo omnis spes salutis esset reponenda.[3] Quod eum Filium Dei, potius quam Deum, in concionibus coram incredulis Judæis plerumque designaverint, eo consilio sapientissimo contigisse videtur, ut Deum, quem coluerant Judæi, rejicere haud censerentur, et ut nil divinæ naturæ unitati adversum cogitaretur. Apud fideles explicatior fuit Apostolorum doctrina, quapropter voces eis maxime familiares erant: "sanctum puerum tuum Jesum,"[4] "sancti filii tui Jesu."[5] Petrus Cornelium edocens dicit: οὗτός ἐστι πάντων κύριος "hic est omnium Dominus."[6] Paulus eum vocat "Dominum gloriæ" τὸν Κύριον τῆς δόξης.[7] Regem gloriæ Jehovam Psaltes dicit: יְהוָה צְבָאוֹת הוּא מֶלֶךְ הַכָּבוֹד.[8]

119. *Obj.* 17. Resuscitatus a Deo prædicari non poterat Jesus, si ipse Deus foret: nam audientes in errorem necessariò inducebantur.

120. *Resp.* Vere dicebatur a Deo resuscitatus, quum nonnisi divina potentia id contigerit. Quod autem ipse Deus foret, et sua virtute surrexerit, non opus erat ut statim prædicaretur, donec res ipsa, et divina potentia in ea agnita fuerit. Cæterum Christus se sua virtute resurrecturum prædixerat. "Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud."[9] De vita seu anima sua dixit: "Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam."[10]

121. *Obj.* 18. Veteres scriptores Ecclesiæ, qui Patres dicuntur, fatentur Apostolos, ad Judæorum vitandam offensionem, de Christi divina natura siluisse, quam Joannem omnium primum insinuasse censent.

122. *Resp.* Perperam interpretatur Patres Priestleius. Origenes quidem dicit Joannem clarius cæteris Evangelistis de Christo Deo locutum, sed eum novi dogmatis haud facit auctorem: "Nullus eorum adeo pure manifestavit illius divinitatem, ut Joannes qui illum inducit dicentem: 'Ego sum lux mundi:' 'Ego sum via, veritas, et vita:' 'Ego sum resurrectio:' 'Ego sum ostium:' 'Ego sum pastor bonus:' Et in Apocalypsi: Ego sum A et Ω principium et finis, primus et novissimus." Οὐδεὶς γὰρ ἐκείνων ἀκράτως ἐφανέρωσεν ἀντὶ τὴν θεότητα ὡς Ἰωαννής.[11]

123. *Obj.* 19. Jesus dicitur *Filius Dei:* nemo autem sui filius est: *imago Dei;* nemo sui imago: *in forma Dei,* nemo dicitur in sui forma: 'erat pernoctans in oratione Dei."[12] nemo se exorat.

(1) Act. ii. 33.
(2) Act. iii. 13.
(3) Act. iv. 12.
(4) Act. iv. 27.
(5) Ib. v. 30.
(6) Act. x. 36.
(7) I. Cor. ii. 8.
(8) Ps. xxiv. 10. Heb. xxiii. Vulg.
(9) Joan. ii. 19.
(10) Joan x. 18.
(11) In Joan. t. 1. n. 6. p. 24. ed. Wirceb.
(12) Luc. vi. 12.

124. *Resp.* Æquivoca voce ludunt Unitarii, Deus enim aliquando divinam naturam, prout in tribus personis subsistit, aliquando verò divinam personam designat. Filius Dei recte dicitur Christus, scilicet Patris, qui Deus vere est. Imago est Dei, quia simillimus est Patris, utpote cui eadem est essentia, propterea vocatur ab Apostolo χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.[1] εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου.[2] "figura substantiæ ejus," "imago Dei invisibilis." In forma Dei dicitur, quia divinam habet naturam, sicut in forma hominis erat, assumpta humana natura: μορφὴ enim aliquando, etiam apud profanos scriptores, naturam significat.[3] Orabat etiam Deum Patrem ipse homo simul ac Deus, qui proinde tamquam Deus una cum Patre largiebatur, quod in humana natura supplex petebat. Sic aliis pollicitus est se daturum quod ipsi a Patre expeterent: "Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam."[4] Pulchre Ambrosius dicit: "Quasi Altissimus donat, quasi homo precatur."[5]

125. *Obj.* 20. De Jesu puero dicitur: "proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines:"[6] attamen si Deus esset, nullus profectui locus erat. Humani ei tribuuntur affectus: "circumspiciens eos cum ira."[7] "Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum."[8] "Tristis est anima mea usque ad mortem."[9] Trepidus et incertus imminentem sibi mortem vult effugere: "Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste."[10] In cruce de Patre queritur: "Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?"[11] Hæc a Deo dici nefas est cogitare.

126. *Resp.* In Jesu quidem, ut ex Apostolo didicimus, omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi erant; sed manifestabantur, servata quadam ætatis ratione, juxta arcana Dei consilia: ideo profecisse dicitur, quia, crescente ætate, majora dabat sapientiæ cælestis indicia; et quatenus homo erat, ipsi Patri, virtutum exercitio, charior in dies evadere visus est. Humanos etiam affectus, pro veritate naturæ assumptæ, prodebat, ab omni tamen vitio immunes; ira enim quam Pharisæos respiciens indicabat, intra justos constitit limites, et ex Pharisæorum perversitate orta est; crimini scilicet vertebant quod sabbato curaret. Affectu sanctissimo pias sorores

(1) Heb. i. 3. Χαρακτὴρ from χαράσσω *sculpo*, properly signifies the *die*, or stamping-tool used in coining; by which the figure expressed is stamped; or the impression made by a seal; being thus synonymous with σφραγις. Bloomfield in loc.

(2) Col. i. 15.

(3) Plato cit. a Bloomfield.

(4) Joan. xiv. 13.

(5) L. i. de fide c. iv.

(6) Luc. ii. 52.

(7) Marc. iii. 5.

(8) Joan. xi. 5.

(9) Matt. xxvi. 38.

(10) Ib. v. 39.

(11) Matt. xxvii. 46

cum fratre Lazaro diligebat, sicut et discipulum Joannem. Tristitia se obrui ad tempus voluit, ut de veritate assumptæ naturæ humanæ nulla posset esse dubitatio, et ut ex animi sui dolore gravitatem peccati, quod tantis suppliciis erat expiandum, nosceremus. Ea de causa oravit ut calix tolleretur; sed trepidus incertusve non fuit, nam Patris voluntati, quam optime novit, sese omnino subjecit: "Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat." In cruce vehementem animi dolorem etiam significavit; et Patrem appellando, se nullam suppliciis dedisse causam innuit, ut peccata eorum causam esse agnosceremus. Hæc quidem omnia optime cohærent, et congruunt mysterio redemptionis per ejus sanguinem.

127 *Obj.* 21. Illa dictinctio duarum in Christo naturarum fictitia est; nam natura perfecta personam necessariò secum fert; nihil enim aliud persona indicatur quam natura subsistens. Igitur duo erunt, Verbum scilicet divinum, et Jesus homo: vel una Jesu persona, et natura humana, divinis ornata muneribus.

128. *Resp.* Distinctio naturarum in una Verbi persona manifestò stauitur ab Apostolo Joanne, qui dicit Verbum Deum esse, et factum esse carnem; et a Paulo dicente, eum, qui in forma Dei erat, formam servi accepisse. Non igitur ingenio confingitur, sed revelatione innititur. Quod autem ad personam attinet, quotiescumque natura perfecta subsistit, ita ut sit actionum principium, persona est; ideoque Verbum est secunda persona Trinitatis naturam divinam habens, sed non est persona humana, quia ipsum Verbum assumpsit humanam naturam, eamque regit, ita ut hæc non subsistat independenter. De his postea fusius agemus.

129. *Obj.* 22. Repugnat ut idem sit Deus et homo; ea enim humanæ naturæ congruunt, quæ divinæ plane repugnant, adeo ut ratio ipsa abhorreat a vocibus apud Christicolas usitatis: *Deus natus est, infans fuit, adolevit, mortuus est.*

130. *Resp.* Nulla est pugna, nam hæc non ita dicuntur, ut naturarum proprietates confundantur; sed manente divina natura integra, et perfecta, absque minima mutationis umbra, de illo, qui Deus est, alia dicuntur sub alio respectu, quatenus assumpsit humanam naturam. Illæ igitur voces rite intellectæ nil habent, quod cuiquam horrori esse debeat; nec enim divinam naturam spectant, sed humanam, quæ Verbo regitur.

131. *Obj.* 23. Sacerdotium Christi, sicut et *mediatio* μεσιτεία, divinam naturam excludit: nec enim potuit sibi sacrificare, et apud se interpellatione uti. Notat autem Apostolus eum Sacerdotio ex Patris concessione fungi: "Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te."[1]

132. *Resp.* Utroque munere functus est Christus secundum humanam conditionem, quamvis vis et meritum a divina persona derivetur: non autem

(1) Heb. v. 5.

pugnat ut hac ratione sibi sacrificet, et apud se interpellet; scilicet ut Christus homo, Deo, qui Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus est, Sacerdos sit. "Ipse Christus," inquit Augustinus, "cum sit Deus, cum sit cum Patre unus Deus, cum sit Verbum Patris, unigenitus, æqualis Patri, et coæternus; tamen in quantum homo esse dignatus est, maluit Sacerdos dici, quam sibi exigere Sacerdotium. Maluit sacrificium esse, quam poscere, in quantum homo est. Nam in quantum Deus est, totum quod Patri debetur, et unigenito Filio debetur."[1] Quod autem dicit Apostolus Christum non seipsum glorificasse, Sacerdotium assumendo, sed illud a Patre tributum, ad humanam naturam referendum est; quamvis jure quodam concederetur, vi *unionis hypostaticæ;* quod scilicet Unigenitus Dei Filius eam regeret.

133. *Obj.* 24. Apostoli, pro Orientalium indole et more, epitheta figurasque adhibuerunt, ut dignitatem et præstantiam sui magistri enuntiarent.[2] Hæc, contra scriptorum mentem, ad divinam ei naturam vindicandam usurpantur.

134. *Resp.* Nullum indicium indolis ardentioris vel oestri poetici in scriptis Apostolicis reperire est: sed ea de Christo referuntur et affirmantur, quæ ab obvio sensu ad exaggeratas quasdam loquendi rationes transferri nulla ratio sinit. Equidem fatetur *Furnesius*, (a quo hanc objectionem desumpsimus,) sacros scriptores, Evangelistas præsertim, de Jesu ita loqui, ut vix appareat eos velle ejus consulere honori: adeo fere frigent, dum stupendas res gestas narrant.[3] Igitur dum eum Filium Dei, Deumque dicunt, nullam præbent occasionem suspicandi se translato loqui sensu.

135. *Obj.* 25. Divinitas idealis, scilicet divina quædam vitæ excellentia, occasionem dedit doctrinæ de divina Christi natura.[4]

136. *Resp.* Vita Jesu fuit quidem qualis decebat Deum hominem factum: nec tamen doctrina de divina ejus natura ea nitebatur, sed revelatione quam fecit se esse unum cum Patre, et miraculis et vaticiniis quibus id confirmavit.

137. *Obj.* 26. Spiritus Jesu, prout in dictis actibusque revelatus est, divinus fuit, cælestis, progenies quædam et Filius Dei.[5]

(1) Aug. Serm. 102. de diver. c. 9. t. 10 cit. a Petavio de Trin. l. iii. c. v. § v.

(2) *Jesus and his Biographers*, by W. H. Furness, Philadelphia, 1838. p. 46.

(3) "Their accounts have not the faintest shadows of the character or style of eulogies, panegyrics. . . . No attempt at embellishment can be detected. There are no expressions of admiration, no prompting, no challenging of the applause of the reader. All is calm, direct, and simple." Ibidem p. 28. 29.

(4) "The doctrine of the Supreme Divinity of Jesus Christ, which has taken so large and strong a hold upon men's minds, is an attestation to the indescribable power of his life. There must have been a divinity without measure in his life as it was spent on earth, or the opinions of his nature, that have so long and widely prevailed, never would have arisen." Ibidem, p. ii. ch. i. p. 108.

(5) "His spirit, the central life of him as it is revealed in his utterances and acts, was divine, heaven-born, the manifest offspring and Son of God." Ibidem ch. ii. p. 146.

138. *Resp.* Verbum ὁ Λογος Deus ipse fuit, ideoque Filius Dei Patris. Christus idcirco Filius Dei dictus est, humana quippe natura divinâ Verbi personâ subsistebat. Non indoles animi Filius Dei dicitur in Scripturis, sed ipse Christus.

139. *Obj.* 27. Quæ a Christo patrata sunt miracula, eum Deum non probant: pleraque enim referri possunt ad fidem illius, vel eorum quorum gratia sunt facta, certa scilicet animi fiducia mirum habet in corpora influxum. Id etiam animadvertendum subsidia quædam semper fuisse adhibita, unctionem salivæ, contactum manus, vel loquelam saltem ad fidem excitandam.[1]

140. *Resp.* Christi miracula divinam ejus naturam plane testantur, sunt enim opera adeo stupenda ut ad Deum auctorem necessario referantur, et ita patrata sunt, ut supremum in res omnes dominium manifestò appareat.[2] Frustra laborat Furnesius, post Germanos Rationalistas, ut eorum vim et auctoritatem infirmet, dum ea videatur vindicare: nam ingeniosa quidem, sed omni prorsus verosimilitudine carentia profert. Quis risum teneat, dum audit leprosum fiducia, seu fide sua, statim mundatum, voce Jesu naturæ vires occultas excitante?[3] Centurionis puerum, ipso quo centurionem allocutus est Jesus tempore sanatum, nullo subsidio adhibito, constat. Chananææ filia pariter sanitati absens, et sola Christi voluntate est restituta. Dæmoniacus Gadarensis reluctans spiritibus malignis liberatus est. Ipse Furnesius non ausus est explicare quomodo porci præcipites acti sint: nulla certe interveniente fide, nullo adhibito subsidio.[4] Qui cœcos a nativitate fide visum recuperasse,[5] mortuorum spiritus in cadaveribus

(1) *Jesus and his Biographers*, ch. vii. viii.

(2) Ipse Furnesius ait: "It would seem as if he could not have conceived how it could have been otherwise than that he should be obeyed. Beyond all question the power of performing these wonders was native to him, and its exercise was as easy and natural in him as that of our commonest faculties in us." Ib. ch. viii. x. p. 304.

(3) "The voice and the touch penetrated like lightning, into the inmost fountains of his life, and through the close but mysterious connexion of the mind and body, caused a sudden developement of vital power. The hidden forces of Nature, thus authoritatively summoned, produced instantaneous soundness. By his word and touch, the perfect faith of Jesus in his own power, operated upon the already powerful faith of the leper, and quickened it to the necessary action." Ibidem ch. viii. I. p. 271.

(4) "How the swine were affected, I know not, nor is it necessary to suppose that Jesus knew what the result would be, or to hold him answerable for it." Ibidem v. p. 283. O miram hominis impietatem!

(5) "Can we not see with what electric power these few words, connected with the thrilling touch of Jesus, must have wrought on the blind man, giving the last quickening impulse to his faith, so that the power of vision which exists, be it remembered, not in the eye which is only its organ, but in the mind, was suddenly put forth, and those sightless orbs were restored to soundness." Ibidem vi. p. 289.

latentes vocem Jesu audiisse suspicatur,[1] panes multiplicatos in Apostolorum manibus juxta naturæ occultas vires,[2] tempestatem voce Jesu pariter sedatam,[3] cæteraque omnia mira opera ex vi quadam naturæ prodiisse affirmat, ingenio indulget, haud absque sensus communis dispendio. Quod autem triginta tantum miracula a Christo peracta dicat, testimonio Joannis de signis quamplurimis quæ recensere infiniti esset laboris, et aliorum Evangelistarum narrationibus manifestò repugnat. Si hæc ab homine qui Christum magistrum reveri se profitetur dicantur, quid opus est ut hostes ejus proferant? "Non tali auxilio, nec defensoribus istis" Christus eget, quem Deum esse miracula splendore, et numero, insignia demonstrant.

141. *Obj.* 28. Doctrina de Christo Deo tollit totam vim exemplorum Christi; nec enim divinum adeo exemplar meris hominibus proponi potest: e contra magnos dat animos, semitam virtutum ingredientibus, Christum spectare præeuntem, hominem "tentatum per omnia pro similitudine absque peccato,"[4] pontificem utique qui possit compati infirmitatibus nostris. Ita ab Apostolo exhibetur.

142. *Resp.* Christi Dei et hominis exempla nobis ostendunt summam perfectionem, et ut eam studio indefesso aliquatenus imitemur, movent, præsertim fiducia superni auxilii data. Quamvis igitur divina personæ dignitas nos infinito intervallo superet, ad nos tamen sese veluti demisit, natura nostra assumpta, et adjuvat infirmitatem nostram. Eæ nobis ex Deo homine facto proveniunt utilitates, quod perfectissimum sit exemplar, et potentissima suppeditentur subsidia, quæ ipse nobis promeritus est. Fuit quidem tentatus per omnia exterius,[5] ærumnis et morti scilicet objectus, nam verus fuit homo, quamvis Filius Dei, imo ipse Deus. Pontifex igitur est qui nobis miseris hominibus condoleat, et pœnitentibus peccatorum veniam impetret, et indulgeat.

143. *Obj.* 29. Qui ad fidem traducti sunt ex Judæis, dogma de Christo

(1) "How know we but that, for a time longer or shorter after the last breath, the mind possesses the faculty of acting upon, and reanimating the body, a faculty, which a mighty spiritual force, like that of which the voice of Jesus was the symbol, may prompt it to exert, and to cause its resumption of the body." Ibidem x. p. 306.

(2) "All I contend for is, that this extraordinary effect was wrought by the Supreme Cause working through, and by means of, the faith and will of Jesus, according to laws and relations of matter and mind, pre-established, existing in the nature of things, although as yet partially or wholly hidden from human ken." Ibidem vii. p. 299.

(3) "How the sounds wrought upon the storm I know not; neither do I know how sounds act on the mind and the body through the ear. The one is not less inscrutable than the other. . . . . What else but an instantaneous repose of the elements should follow the bidding of so god-like a spirit! It could not but be so." Ibidem viii. p. 301.

(4) Heb. iv. 15.

(5) Haud sine impietate manifesta dicit Furnesius tentationes quibus subjacuit iis quibus premimur fuisse omnino similes: adeo proficiunt Unitarii in Christi contemplatione! Vide *Jesus and his Biographers*, c. iv. p. 173.

Deo nonnisi difficillime induci poterant ut amplecterentur, quum insitæ animis totius gentis sententiæ repugnaret: attamen nulla ea de re difficultas orta videtur; sed statim ac ex resurrectione sibi probata Messiam eum esse constabat, discipulos se exhibebant, et in Ecclesiam recipiebantur, quin ad dogma aliud profitendum tenerentur.

144. *Resp.* Fallitur iterum Priestleius. Res quidem fuit difficillima Judæos ad fidem traducere; adeo abhorrebant ab eo agnoscendo Deo quem cruci fixerant: ideoque plerique manserunt increduli. Qui autem resurrectionis testimoniis, miraculisque cesserunt, ex fide Christum esse Messiam, ad eum Filium Dei agnoscendum moti sunt, et divina illustrante gratia, Deum hominemque adorarunt. Nec dogma de Messiæ divinitate adeo abhorrebat a Judaicæ gentis traditione, tot enim tantaque a vatibus de eo sunt dicta, ut magnifica quæque ac sublimia de eo sentirent plurimi e veteribus,[2] quamvis post Christum rejectum, plerique ab ea sentiendi ratione quam longissime recesserint. Cæterum miraculis visis, vaticiniis cum eventibus collatis, et Spiritu Sancto intus lucente, plures Jesum Filium Dei, ideoque Deum agnoverunt. S. Lucas summatim refert præcipua quæ adduxerunt Apostoli argumenta in publicis concionibus, ut Jesum esse Messiam persuaderent: in more quippe semper fuit fundamenta fidei prius jacere, et ita ad difficiliora progredi. Nemo autem ad baptismum admittebatur, nisi, eunuchi instar, Jesum esse Filium Dei se credere ex toto corde profiteretur; quod idem erat ac Deus, nec enim opus erat ut mera in filium adoptio, quæ justis omnibus est communis, credenda proponeretur. Hinc orta est vetus Judæorum calumnia Christianos Dei unitatem tollere, Christum Deum colendo.

145. Difficultates ex Scriptura desumptas hactenus solvimus, quarum plerasque fere antiquatas novimus, quasque doctissimi fidei vindices sæpius diluerunt. Rationalistæ Germani eas nova et subtiliori forma plerumque exhibent, sed eodem recidunt: quapropter nobis visum est ex Priestleio Furnesio, aliisque, domesticis veluti adversariis, eas desumere et refellere. Furnesius quidem Rationalistas sequitur, vel superat opinionum temeritate et impietate. Hos contra Hengstenberg plurima præclara disseruit in Christi Dei vindicias eruditissimo opere: Witassius etiam Scripturæ testimonia de Christo feliciter evolvit.[3]

(1) Chrysost. hom. lv. in c. xvi. Matthæi.
(2) Vide Christologiam a Hengstenberg, vol. i. c. iii. § iii. 2.
(3) L. de Trinitate. qu. iv. § iii.

CAPUT III. DE FIDE ANTE-NICÆNA.

146. Dogma de Christo Deo, quod ex Scripturis propugnavimus, fuisse omni tempore celebre in Ecclesia, inde colligere est: attamen illud recentius inductum contendunt Unitarii. Laborant maxime ut tempus quando inductum sit, et rationem qua invaluerit, explicent: nonnullis illud sensim sine sensu, ex virtutum, miraculorum, et doctrinæ Christi admiratione, ortum et propagatum censentibus; aliis Justinum ejus designantibus auctorem. Hunc Platonis disciplinis imbutum fuisse constat, antequam ad Ecclesiam transiret, quibus censent eum doctrinam christianam adulterasse. Quum igitur philosophus Ens seu Æonem cogitaverit a summo Deo creatum, quo usus est instrumento ut cætera produceret, Justinus dicitur hæc de Verbo prædicasse, eumque Deum, quamvis translato sensu, appellasse; unde alii deinceps desumpserunt occasionem eum Deum verum æstimandi, et divino prosequendi cultu. Cæterum non ante concilium Nicænum putant sententiam hanc invaluisse, adeo ut dogmatis haberet auctoritatem. Interest igitur ut demonstremus eandem quam patres Nicæni prædicarunt fidem, antea, ab ipsis rei christianæ exordiis, obtinuisse: qua in re, ordinis et claritatis ergo, de temporis spatio, quod concilium a Justini ætate antecessit prius agemus, ipsius Justini sententiam, et fidem majorum quam secutus est postea vindicaturi. Justinus autem floruisse noscitur sæculo secundo medio, martyrium enim subiit circa annum 164.

PROPOSITIO.

Fides de Christo Deo, Patri æquali, ejusdem quippe substantiæ, viguit ante concilium Nicænum.

Probatur I., Conciliorum auctoritate.

147. Insigne est testimonium episcoporum concilii Antiochiæ habiti anno 269. Agebatur de errore Pauli Samosateni, quem ut ad sane sentiendum inducerent, sex primarii episcopi ad eum scripserunt, fidem totius Ecclesiæ appellantes: "Omnes ecclesiæ nobiscum consentiunt. . . . . Idem Deus et homo Jesus Christus prophetabatur in lege et prophetis, et ab omnibus, in Ecclesia quæ sub cœlo est, creditus est Deus quidem, qui seipsum exinanivit, cum esset æqualis Deo; homo verò ex semine David secundum carnem." Eum dicunt, "non præscientia, sed substantia, et hypostasi, Deum, Dei Filium:" οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσια καὶ ὑποστάσει θεὸν.[1] Damnatio Pauli, quæ secuta est, probat hanc fuisse totius concilii doctrinam et fidem.

148. Synodi Romanæ eodem circiter tempore habitæ, cui præfuit Dionysius, summus Pontifex, judicium refert Athanasius, veluti rem notam; "Cum enim quidam apud Romanum episcopum Alexandrinum accusas-

(1) T. ii. Bibliothecæ Patrum Græco latinæ.

sent, quod Filium rem factam, et Patri non consubstantialem affirmasset, ὡς λέγοντα ποιημα καὶ μη ὁμοσσιόν τον Υἱον τω Πατρι Synodus Romæ coacta rem indigne tulit: "Romanus autem episcopus omnium sententiam rescripsit ad gentilem suum."[1] Purgavit se Alexandrinus, plurimisque Filium Deum professus est: "Cum igitur æternus sit Pater, æternus est et Filius, lumen de lumine. Nam si genitor est, est et Filius: quod si Filius non est, qua ratione, et cujus potest esse genitor? Atqui ambo sunt, et semper sunt. . . . . Solus autem Filius, qui Patri semper co-existit, et eo qui est plenus, ipse quoque est ex Patre."[2] Ουτος ὢν αἰωνιον τοῦ Πατρὸς, ἀιώνιος καὶ Υἱός ἐστι, φῶς ἐκ φωτὸς ὢν . . . . ἐισιν ἀμφω, καὶ ἐισιν ἀει. Constat igitur ea jam ætate Christum agnitum fuisse æternum Filium Patris, et nefas fuisse eum negare consubstantialem, vel inter res creatas recensere.

Probatur II. Patrum testimoniis.

149. S. Gregorius Thaumaturgus Filium appellat primogenitum Patris Verbum, omnium creatorem et gubernatorem:" τῳ πρωτογενεῖ ἀυτοῦ λόγῳ, τῳ πάντων δημιουργῶ καὶ κυβερνήτη. Eum Deum Verbum designat: ὁ ἐν αυτω θεος Λογος.[3]

150. S. Dionysius Romanus, præter judicium in Synodo Romana datum, illustre hoc reliquit testimonium: "Non minus culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his, quæ vere facta sunt, cum divina scriptura illum genitum esse, ut eidem convenit, congruitque, non autem formatum et factum esse testatur. Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius, fuit aliquando cum non esset: atqui fuit semper, siquidem in Patre est, ut ipse declarat, ac Verbum, sapientia, et virtus est Christus"[4] βλάσφημον ὁυν ὰ τυχον, μέγιστον μέν οὖν χειροποιητον τρόπον τινὰ λέγειν τον κύριον.

151. S. Cyprianus passim vocat "Jesum Christum Dominum et Deum nostrum."[5]

152. S. Hippolytus M. in libro germano de Antichristo, loquitur de Jesu Deo ac Domino: κυρίῳ Ιησοῦ τοῦ Θεοῦ.[6] "Qui est super omnia Deus benedictus, genitus est, et homo factus Deus est in sæcula." Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς ἐυλογητος γεγεννηται, καὶ ἀνθρωπος γενόμενος θεος ἐστιν ἐις τους ἀιῶνας.[7]

153. Clemens Alexandrinus passim vocat Christum Deum: ινν δε ἑπεφαινη ἀνθρωποις αυτος ὁ Λογος, ὁ μονος ἀμφω, θεος τε και ανθρωπος, ἁπαντων ἡμιν αἰτιος

(1) Athanas. de Syn. n. 43, de Sent. Dionys. n. 13.

(2) Athanas. de Dionys. n. 18.

(3) In Orat. quam a magistro suo Origene discessurus habuit, p. 179, cit. a Marano.

(4) In libro seu epist. contra Sabell cit. ab Athanasio, l. de decretis nicænis. n. 26. p. 372, edit. Basil.

(5) In libro *de mortalitate*, de *bono patientiæ*, etc.

(6) N. 6.

(7) Lib. contra Noetum, n. 6.

αγαθων[1] nunc autem apparuit hominibus ipsum Verbum, qui solus utrique est, Deus et homo, omnium nobis auctor bonorum." Id probat adducto Apostoli ad Titum testimonio, de expectatione, quam fovent fideles, gloriosi adventus illius τθ μεγαλθ Θεθ και Σωτηρος ἡμων Ιησθ Χριστθ: "magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi." Ille qui in principio apud Deum Verbum erat, a quo omnia creata sunt, apparuit tamquam magister, ut semitam doceret ad cæleste regnum, quod ipse aliquando servis suis in præmium est largiturus: ὁ Λογος, ὁς ἡν προς τον Θεον, Διδασκαλος ἐπεφανη, ὡ τα παντα δεδημιουργηται· Λογος, ὁ και το ζην ἐν ἀρχῃ μετα τον πλασαι παρασχων, ὡς δημιουργος, το ἐυ ζην εδιδαξεν, επιφανεις ως διδασκαλος ἱνα το αἐι ζην ὑστερον ὡς θεος χωρηγηση. "Verbum, quod erat apud Deum, et a quo facta sunt omnia, tamquam *Præceptor* apparuit: et qui tamquam opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, apparens uti præceptor, bene vivendi rationem nos docuit, ut postea tamquam Deus, æternam vitam largiatur."

154. Judaicum populum, Christum persequendo, Deum τον θεον persecutum esse plane dicit: ὁυκ ειδεν τον θεον· τον Κυριον ἠρνησατο· ἀπολωλεκεν το ειναι Ισραηλ· ἐδιωξεν τον θεον· καξυβριζειν ἠλπισε τον Λογον· και ὁν ἐσταυρωσεν ως κακοεργον, ανεζεψεν ὡς βασιλεα.[2] "non novit Deum: Dominum negavit: amisit Israelis jura: persecutus est Deum. Logon speravit afficere contumelia, et quem tamquam maleficum crucifixit, tamquam regem coronavit."

155. Tertullianus præclara præbet de Christo Deo testimonia: "Deus solus docere potuit ut se vellet orari."[3] Improbat Christianos spectacula adeuntes: Quale est . . . . ex ore quo, Amen, in Sanctum protuleris gladiatori testimonium reddere? Εις ἀιωνας ἀπ' ἀιωνος alii omnino dicere nisi Deo et Christo?"[4] Divinæ patientiæ exempla adducit: "Nasci se Deus in utero patitur matris, et expectat, et natus adolescere sustinet, et adultus non gestit agnosci, ... despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. . . . . Talia tantaque documenta . . . . probant his quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam, effectum, et præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis."[5]

156. Irenæus in iis hæreticis refellendis plurimum insudabat, qui Christum dicebant Filium sublimioris Dei Patre et conditore orbis terrarum. Ex ipsius Christi testimonio, Patrem esse ipsum creatorem omnium ostendit. "Propter hoc manifestissime Dominus ostendit se, et Patrem quidem suis discipulis, ne scilicet quærerent alterum Deum, præter eum qui plasmaverit hominem, et afflatum vitæ donaverit ei: neque in tantam in-

(1) Cohortatio ad Gentes sub initium, p. 12, ed. Wirceburg.

(2) Pædagog. l. ii. c. viii. p. 446, ed. Wirceburg. Vide et l. iii. c. 1, p. 522, et l. 1, c. ii. p. 200, et c. iii. p. 206, et c. v. p. 228, et c. vii. p. 272, et c. viii. p. 280.

(3) De Oratione, c. ix.

(4) L. de Spect. c. xxv.

(5) L. de patientia, c. iii.

saniam procederent, uti super Demiurgum alterum affingerent Patrem."[1] Cæterum et Christum Deum esse sæpissime declarat, ipsum in quem peccando delinquimus, et qui nobis pœnitentibus dimittit peccata: "Peccata igitur remittens, hominem quidem curavit, semetipsum autem manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus, et curabat homines; manifestum quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo, et quoniam Deus; ut quomodo homo compassus est nobis, tamquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo."[2] Eum dicit ipsum creatorem: "Ei autem qui cæcus fuerat a nativitate, jam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum, non vane neque prout evenit hoc faciens, sed ut ostenderet manum Dei, eam quæ ab initio plasmavit hominem. . . . . Qui enim visionem formavit Dominus hic est qui universum hominem plasmavit, voluntati Patri deserviens."[3] Ideo autem dicit eum in homine condendo voluntati Patris deservire, ut intimam utriusque conjunctionem significet, et relationem Filii ad Patrem servet, et errorem quem confutat, Patrem scilicet ejus alium esse a rerum creatore, penitus eradicet.

157. "Ipse igitur Christus cum patre vivorum est Deus, qui et locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est."[4] "Et hoc ipsum docens, dicebat Judæis: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est. Quid enim? Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam. Primum quidem, quoniam ipse est factor cæli et terræ solus Deus."[5] "Ipse enim Verbum Dei, ipse unigenitus a Patre Christus Jesus, Deus noster."[6]

Probatur III. Ex Symbolis, quæ recitari consueverant solemniter ante Concilium Nicænam.

158. Symbolum quod in Romana Ecclesia ab antiquissimis temporibus consuevit recitari, Apostolorum nomine insignitum,[7] "Jesum Christum, Filium Dei unicum," confitetur. Verbis his simplicibus naturalis Filius ab iis qui adoptione filiorum fruuntur, discernitur: ideo enim unicus dicitur.

(1) Irenæus, l. v. c. xv.
(2) Irenæus, l. v. c. xvii. n. 3.
(3) L. v. c. v.
(4) L. iv. c. xi.
(5) L. iv. c. xii. ed Col. Agr. 1596.
(6) L. iii. c. xviii.
(7) Censet Bullus illud compendium esse Orientalis Symboli, omissis scilicet iis quæ ad errores in Oriente exortos excludendos pertinebant, quum "in Romana Ecclesia nulla hæresis exorta sit;" sed verosimilius est simpliciorem formam Orientalibus et Occidentalibus ab initio communem, in Oriente additiones, occasione hæresum accepisse, apud Romanos integram mansisse. Vide Bullum, Judicium Eccl. cath. c. v. § 2.

Liquet etiam in formula fidei voces illas "*Filium Dei*" penitus prætermittendas, si sensu metaphorico, et minus proprio Christus Filius diceretur: nam simplicibus et perspicuis verbis, obvio sensu, dogma fidelium vulgo proponenda sunt, ne, cum animæ detrimento, graviori irretiantur errore.

159. Requidem vera Symboli, prout ab antiquissimis temporibus in Oriente recitabatur, verba sensum, quem Romano asseruimus, explicant: quod inde contigisse videtur, quod exortis in illis regionibus hæresibus de Christo, voces quæ fidem Apostolicam contra novatorum argutias defenderent, adjectæ sint. In Constitutionibus Apostolicis, quæ licet Apostolorum nomen immerito præseferant, vetusti documenti habent rationem, articulus sic se habet. Καὶ εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ Πατρὸς γεννηξέντα, δι' οὗ κτισθέντα· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τὰ ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατά.[1] "Et in unum Dominum Jesum Christum, unigenitum ejus Filium, qui ante sæcula beneplacito Patris genitus est, non creatus; per quem omnia facta sunt in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia."

160. S. Cyrillus Hierosolymitanus nobis præbet suæ Ecclesiæ, ab antiquis derivatum temporibus, symbolum, quod paulo ante medium quartum sæculum palam Catechumenis explicabat. Articulus de Christo sic se habet: εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, θεὸν ἀληθινὸν δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα:[2] "in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia sæcula, Deum verum, per quem omnia facta sunt, incarnatum atque hominem factum." Verus igitur Deus ex antiquissima illius Ecclesiæ fide Christus agnitus est.

161. Ipsa verba recitavit Eusebius Cæsareensis in concilio Nicæno quæ in catechesi et lavacro se didicisse testatus est, hac tantum varietate: θεὸν ἐκ θεοῦ "Deum ex Deo," pro Deo vero.

162. Symbolum Gregorii Neocæsareensis nomine celebre, qui medio tertio sæculo floruit, hæc de Christo habet: Εἷς κύριος μόνος ἐκ μόνου, θεὸς ἐκ θεοῦ, υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ Πατρὸς, ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἀφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀίδιος ἀιδίου.[3] "Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo . . . . filius verus veri Patris, invisibilis invisibilis, et incorruptus incorrupti, et immortalis immortalis, et æternus æterni."

163. Exponit S. Irenæus fidei regulam, quam Ecclesia per orbem diffusa tenet: εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας "in unum Christum Jesum filium Dei, incarnatum propter nostram salutem." Ejus adventum ad judicandum orbem, inserviturum dicit: "ut Christo Jesu, Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi secundum pla-

(1) Const. Ap. l. vii. c. iv.
(2) In Catechesibus.
(3) Apud. Greg. Nyssen. t. iii. p. 546, cit. a Marano, l. ii. c. iii. § iii.

cùtum Patris invisibilis, omne genu curvetur, cælestium, terrestrium et infernorum:" ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, καὶ θεῷ καὶ σωτῆρι, κάι βασιλεῖ, κατα τὴν ἐνδοκίαν τοῦ Πατρὸς τοῦ ἀοράτου, πάν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων. καὶ κατα χθονίων.[1] Et alias dicit omnes gentes christianas, etiam barbaras, ex constanti traditione credere "in unum Deum fabricatorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium; qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo."[2] Igitur articulus ille Symboli ex totius orbis christiani sensu, affirmabat Christum esse verum Dei Filium, hominis "figmenti sui" conditorem, qui ex admiranda dignatione homo in Virginis utero est factus, hominem adunans Deo; ipse quippe Deus est, cui omnia, in cœlo, et in terra, et apud inferos, summum debent præstare cultum.

Probatur IV. martyrum testimoniis.

164. In Actis S. Pionii et sociorum ejus, postquam Pionius Deum creatorem, quem per Verbum ejus Jesum Christum cognovimus, confessus fuerat, Asclepiades interrogatus est: "Quem Deum colis? Respondit: Christum." Iterum quæsivit judex: "Quid ergo, ille alter est? respondit: non; sed ipse quem et ipsi paulo ante confessi sunt." Pionius etiam interrogatus quem Deum colerent Christiani, respondit: "Hunc qui cœlum fecit." . . . . Tum judices: "Illum dicis qui crucifixus est? Et Pionius: Illum dico, quem pro salute orbis Pater misit."[3]

165. Petrus, Lampsaci martyrium passus sub Decio, Proconsuli, suadenti ut Veneri sacrificaret, respondit: "Oportet me magis Deo vivo et vero, regi sæculorum omnium, Christo, sacrificium offerre orationis."[4]

166. Sapricius Presbyter Christum verum Deum, ex Christianorum fide, confessus est coram Præside: Ἡμεῖς οἱ χριστιανοὶ Χριστὸν τὸν βασιλέα ἔχομεν, ὅτι ἀληθινὸς θεὸς ἐστιν, καὶ ποιητὴς οὐράνου, καὶ γῆς, καὶ θαλάσσης, καὶ πάντων τῶν ἐν αὐτοῖς.[5] "Nos Christiani Christum regem habemus, quia verus Deus est, et creator cœlorum, et terræ, et maris, et omnium quæ in iis sunt."

167. Maximilianus, adolescens annos 21 natus, qui Thebeste in Numidia, anno 295, passus est, Dioni proconsuli, jubenti ut militare signaculum acciperet, "respondit: Non accipio signaculum. Jam habeo signum Christi Dei mei."[6]

168. Felix episcopus Tibiurensis, Carthagine passurus, sic precatus est

(1) L. i. c. 2.

(2) L. iii. c. 4. Vide apud Bullum, *Judicium Ecclesiæ Catholicæ de necessitate credendi*, c. iv.

(3) Acta Martyr. n. 16, apud Maran. loco cit.

(4) Ibidem, p. 147.

(5) Ibidem, p. 244.

(6) Ibidem, p. 309.

Christum. "Domine Deus cœli et terræ, Jesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum."[1] Hæc aliaque, relata fusius a Marano, probant martyres Christum verum Deum agnovisse, et proinde ejusdem ac Pater substantiæ.

Probatur V. ex hæresum damnatione.

169. Primus ex iis qui ex Gentibus Christiani facti erant, Christi impugnavit divinitatem, fuit Theodotus, patria Byzantinus, arte coriarius, circa annum Christi 190. Eum ψιλὸν ἄνθρωπον *merum hominem* Christum dicentem Victor ex Ecclesia ejecit.[2] Natalis, Christi confessor, ad tempus hoc errore seductus speciali Dei monitu ad veritatem et unitatem revocatus est: "clementissimus enim Deus et Dominus noster Jesus Christus, eum qui passionum suarum testis extiterat, perire extra Ecclesiam nolebat."[3] Ita refert scriptor antiquus apud Eusebium, qui addit eum ad pedes Zephyrini episcopi provolutum veniam deprecatum. Ergo ex scriptoris hujus testimonio colligitur ideo damnatum errorem Theodoti, "*merum hominem*" Christum dicentis, quia Deus et Dominus noster agnoscebatur ab Ecclesia universa.

170. Sub initium tertii sæculi, Artemon, sive Artemas, hæresim Theodotianam renovavit; doctrinam ab Apostolis traditam a Victore mutatam querens. Vanam assertionem refellit scriptor ille apud Eusebium, scripta antiquiora Victoris ætate appellans: "Justinum intelligo, et Miltiadem, et Tatianum ac Clementem, aliosque quamplurimos: in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenæi quidem et Melitonis, et reliquorum scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicaverunt? Psalmi quoque et cantica fratrum ab initio a fidelibus conscripta Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo."[4] Profectò tot documenta laudare opus non erat, si de divinitate metaphorica, et minus propria, ageretur.

171. Beryllus, Bostrorum in Asia episcopus, "Dominum ac Servatorem nostrum" negavit, dicens "paternam dumtaxat divinitatem in se residentem habere,"[5] sed in Synodo Origeni suadenti saniora cessit.[6]

172. Paulus, Samosatenus patria, episcopus Antiochenus, humilius de Christo sensit,[7] quamvis verbis nonnumquam "Deum ex virgine" confessus sit, Σαμοσατεὺς θεὸν ἐκ παρθένου ὁμολογεῖ, sed vim quamdam divinam ea voce designavit: meritò igitur a Patribus Concilii Antiocheni damnatus,

(1) Acta Martyr. p. 376.
(2) Euseb. l. v. c. xxviii.
(3) Ibidem.
(4) Apud. Euseb. hist. l. v. c. ult.
(5) Euseb. lib. vi. c. xxxiii.
(6) Hieronym. l. de Script. Eccl. c. lxxi.
(7) Euseb. l. vii. c. xxvii.

tamquam Dominum ac Deum suum e cœlo descendentem negans: τὸν θεὸν τὸν ἑαυτοῦ καὶ κύριον.[1]

Probatur VI. ex hostium fidei testimoniis.

173. Celsus apud Origenem exprobrat Christianis absurda consectaria quæ ex Deo incarnato sequi sibi videbantur.[2] τὸν θεὸν ὄντα οὔτε φενγέιν ἐνῆν, οὔτε δεδέντα ἀπάγεσθαι.[3] Ex proditione Judæ, et Petri negatione prædictis, argumentatur illis necessitatem impositam, quum Dei præscientia falli non posset; quod Deo indignum quum sit, prædictiones non factas contendit, ne ipse Deus insidias commensalibus moliens exhibeatur: αὐτὸς ὁ θεος τοῖς συντραπέζοις ἐπεβούλευσε, προδότας καὶ δυσσεβεῖς ποιῶν.[4] Ex eo quod Deus mutari nequeat, Dei hominis facti in utero Virginis dogma vehementer rejicit. Ergo constans erat apud Christianos fides de Christo Deo.

OBJECTIONES.

174. *Obj.* 1. Tertio ineunte sæculo, plerique episcopi Justiniana placita, quæ eruditionem philosophicam redolebant, adoptasse videntur, plebe plerumque pristinum dogma de Deo uno, sive de monarchia Dei, retinente. De fidelium maxima parte idcirco questus est Tertullianus, Trinitatis vindex: "Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes, et idiotæ, quæ major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis sæculi, ad unicum et verum Deum transfert; non intelligentes unicum quidem, sed cum sua œconomia esse credendum, expavescunt ad œconomiam. Numerum et dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex seipsa derivans trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos et tres jam jactant a nobis prædicari, se verò unius Dei cultores præsumunt, quasi non et unitas irrationaliter collecta, hæresim faciat, et trinitas rationabiliter expensa veritatem constituat. 'Monarchiam,' inquiunt, 'tenemus.' Et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam opici, ut putes illos tam bene intelligere monarchiam, quam enuntiant. Sed monarchiam sonare student Latini, œconomiam intelligere nolunt etiam Græci.[5]"

175. *Resp.* Ex episcoporum prædicatione præsertim fideles quid credendum sit norunt; proinde vix poterat dogma de Christo Deo intra episcoporum cœtum veluti contineri. Novum si foret, a septuaginta annis inductum, cui adhuc refragabatur fidelium multitudo, ut asserit Priestleius, argumentum ex præscriptione petitum omni caruisset verosimilitudine: quod tamen vehementer urget Tertullianus, ipsam fidei regulam, seu symbolum, quod consueverunt omnes recitare, allegans: "hunc missum a

(1) In epist. Synod. apud Eusebium, l. vii. c. xxx. Vide totum argumentum præclare tractatum a Bullo, in Judicio Eccl. Cathol. c. iii.

(2) Origen. adv. Celsum, l. i. n. 40.

(3) Ibidem, l. ii.

(4) Ibidem, l. ii. n. 20.

(5) L. adv. Præxeam. c. iii. Objectionem a *Priestley* desumpsimus.

Patre in virginem, et ex ea natum hominem et Deum, filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum." "Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræque adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum quodcumque primum; id esse adulterum quodcumque posterius."[1] Constabat igitur dogma ab initio traditum esse, et apud omnes fideles receptum: nec agit Tertullianus contra Ebionitam, Christum merum hominem dicentem, sed contra Praxeam qui, personarum sublata distinctione, ipsum esse Deum fatebatur, Filium vocatum, quum et Pater, et Spiritus Sanctus vocari posset; tria quippe nomina unam personam, sicut et essentiam, designare dicebat. Christi divinitas in confesso apud omnes erat, Catholici quippe, Montanistæ, et Praxeæ sectatores eum verum esse Deum alta voce clamabant; in eo discordes quod Praxeani eum cum Patre confunderent, quem passum esse proinde dicebant, *Patripassiani* idcirco dicti: de Praxea quippe dicit Tertullianus: "Patrem crucifixit." Hi plerique simplices erant, et idiotæ, sicut major pars credentium semper est; non ipsi tamen major pars erant, imo ad credentium numerum non pertinebant, quamvis symbolum, quod didicerant, esset eis occasio inclamandi Dei monarchiam, ducis sui ratiociniis decepti. Sectam simplicibus et idiotis constare dicit, sicut etiam in Ecclesia credentium multitudo hujusmodi hominibus, scilicet non adeo litteris excultis, plerumque constat. Cæterum Catholici omnes, et Montanistæ ipsi Trinitatis dogma contra simplices illos et idiotas, Praxeæ asseclas, tuebantur, antiquæ traditioni adhærentes. Toto cœlo aberrat Priestleius Tertulliani verba de multitudine fidelium Christum Deum rejiciente interpretans:[2] nam hi omnes "credunt in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum."

176. *Obj.* 2. Etiam Origenis tempore, licet doctiores plerique Christum Deum, ob Λογον a Deo emissum, eique conjunctum, crederent; plebs multitudoque fidelium unum colebant Deum; Christum habentes hominem divinitus afflatum.[3] Hinc consulit Origenes ut dogma de Verbo in principio apud Deum tantum spiritu elevatis tradatur.[4]

177. *Resp.* Origenes certe censuit omnes fideles teneri ad Christum Deum credendum; quum enim dixisset credendum esse in unum Deum conditorem omnium, subjunxit: χρη δε και πιστευειν ὁτι κυριος Ιησους Χριστος, και πασῃ τῃ περι ἀυτὸ κατα την θεοτητα, και την ανθρωποτητα ἀληθεια· δει δε και εις το ἁγιον πιστευειν πνευμα. "quin etiam credamus necesse est Jesum Christum esse Dominum, et omni veritati, quæ de ipso dicitur, tum juxta illius divinitatem, tum juxta illius humanitatem: in Spiritum etiam sanctum cre-

(1) c. ii.
(2) Priestley Hist. Christian Church p. iv. § v.
(3) T. II. in Joan. n. 3. p. 138. et n. 4. p. 146.
(4) T. I. in Joan. n. 9.

dendi necessitatem habemus."[1] Objectis autem locis loquitur de rationis divinæ hominibus communicatione, quam a Verbo ipso, Deo, provenire dicit: "Similiter igitur aliqui participant quidem ipsius λογε" (*id est, rationis sive sermonis,*) "qui est in principio, qui est apud Deum, qui est Deus, velut Oseas, et Jeremias, et Isaias, et siquis alius seipsum exhibuit, ut sermo Domini, vel Sermo ad se fieret; alii verò qui nihil sciunt, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, existimantes se habere amplius nihil de sermone, nisi quod caro factus est: cujusmodi est multitudo eorum, qui credere putantur."[2] Hæc dici non videntur de negantibus Christum Deum, sed de iis qui ad altiorem contemplationem ipsius, quatenus in Patre ab æterno existit, vix assurgunt, quæ in hominum salutem fecit præcipue meditantes: quod de multitudine fidelium omni tempore dici potest. Longe distat cognitio illa vulgaris, ut ita dicam, a sublimiori fidei notitia, quam vates habuerunt, hominesve alii divinitus afflati. Liquet Origenem verba Pauli præ oculis habuisse, qui se nihil scire judicavit nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum;[3] sed altiorem deinceps notitiam explicuit: "Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus."[4]

178. Alio loco Origenes de illo qui Joanni equo invectus visus est disserit, quem Verbum Dei esse constat: "Verax est etiam ad differentiam umbræ, et figuræ, et imaginis: quoniam talis est ille Sermo, qui est in cælo aperto; non enim talis est Sermo terrestris, qualis cælestis, quia factus caro per umbras et figuras et imagines loquitur. Multitudines ergo eorum, qui putantur credere, umbra Sermonis, non vero illo Sermone Dei qui est in cælo aperto, erudiuntur."[5] Non duas distinguit credentium classes; sed manifestationem Verbi quæ fit in cælo, ab ea quæ nunc fidelibus fit, discernit: sicut Paulus nos per speculum et in ænigmate videre docet. Cæterum alias dicit oportere carnalibus Evangelium prædicando dicere nos nihil scire nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum; quod de Christo Deo pro nobis passo certe intelligendum est: inde gradum faciendum animabus jam in Dei cognitione proficientibus, ad contemplationem "Verbi et Filii Dei regressi post incarnationem ad id quod erat in principio apud Deum:" *μεταδοτεον αὐτοις τȣ λογȣ ἐπανελϑοντος ἀπο του σεσαρκωσϑαι, ἐφ' ὁ ἦν ἐν ἀρχῃ προς τον ϑεον.*

179. Omnibus autem communem esse fidem de Christo Deo, ex publica prædicatione, et constanti traditione Ecclesiæ, constat, Origene teste: in libro quippe *de principiis*, postquam dixerat: "servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens

(1) In Joan. t. xxxii. n. 9. p. 506. ed Wirc.

(2) T. II. in Joan. n. 3. p. 138. Priestley male reddit: "who are called christians." per. v. § v. p. 352. *των πεπιϛευκεναι νομιζομενων.*

(3) I. Cor. ii. 2.

(4) II. Cor. v. 16.

(5) T. II. in Joan. n. 4. p. 147. Priestley haud accurate: "the multitude of the believers."

in Ecclesia permanens;" explicuit quid de Deo conditore credendum esset: "tum deinde quia Jesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione patri ministrasset, *per ipsum* enim *omnia facta sunt*, novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus, incarnatus est cum Deus esset, et homo factus mansit quod erat Deus."[1] Communis etiam fides liquet ex symbolis et ex canticis quæ Christo Deo canebantur, quorum unum superest apud Clementem Alexandrinum. In eo vocatur Λόγος ἀέναος, ἀιὼν ἀπλετος, φῶς ἀίδιον. "Verbum perenne, ævum infinitum, lux æterna." Martyrum etiam testimonia quæ laudavimus fidem apud omnes vulgatam de Christo testatam faciunt.

180. *Obj.* 3. In confesso est Patres Antiochenos, qui Paulum Samosatenum condemnarunt, anno circiter 265, negasse Filium esse Patri consubstantialem: quia scilicet existimabant eum Patre longe inferiorem esse.[2]

181. *Resp.* Explorata res est Patres illos Filii divinitatem contra Pauli Samosateni errorem vindicasse, quidquid sit de vocabuli "consubstantialis" usu. Episcopis Homiusianis in Concilio Ancyrano anno 358 visum est, vocem illam ab Antiochenis fuisse, ob ambiguitatem quandam, neglectam; sed nullus testis, nullum certum documentum affertur. Equidem quum eo circiter tempore quo concilium Antiochenum est habitum, Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosatenum scribens, ostendit Filium "Patri consubstantialem a sanctis Patribus dici" ὁμοούσιον τῷ πατρι εἰρημένον ὑπὸ των ἁγίων πατέρων,[3] minime verosimile est Episcopos vocem illam rejecisse. Insuper quum mox laudatus scriptor, accusatus quod Filium consubstantialem esse Patri haud agnosceret, crimen a se longe repulerit, apologia ad Episcopum Romanum missa, fieri vix potuit ut concilium vocem tanti momenti rejecerit, nemine reclamante.[4] Quod igitur Athanasius causam verosimilem cur vocem neglexerint Antiocheni, ex Pauli Samosateni errore et cavillationibus desumpserit, contigisse videtur epistolæ eorum desiderio, eam enim sibi haud suppetere fatebatur; quapropter Homiusianis respondit, quod affirmabant, concedendo, et rei præbendo rationem. Si placeat ejus insistere vestigiis, dicendum abstinuisse Antiochenos ab ea voce, quum inde desumeret Paulus Samosatenus contra fidem Catholicam argumentum, in sui erroris subsidium, prava interpretatione.[5] Causa silentii quam affert Priestleius, quod scilicet Filium Patre longe inferiorem existimaverint, admitti nequit; nam in epistola quam sex episcopi ex eorum numero ad Paulum scripserunt, omnium Ecclesiarum Catholicarum fidem exponentes, Christus æqualis Deo dicitur, substantia et hypostasi Deus;[6] et in epistola totius concilii illustre etiam præbetur eidem fidei testimonium.

(1) L. i. de principiis ex interpretatione Ruffini Reperitur etiam in Apologia Pamphili M. cit. a Bullo, Judicium Eccl. Cathol. c. i. § 6.

(2) Priestley per. v. § v. p. 359.

(3) Biblioth. p. t. II. pat. 277. cit. a Bullo.

(4) Maranus. l. iv. c. xxix.

(5) Vide Bullum Defens. fidei Nicænæ c. i. § 9. et seq.

(6) Conc. t. I.

182. *Obj.* 4. Qui primi excogitarunt Christi divinitatem, sibi finxerunt τον Λογον Patris, ex creationis tempore, personalem habere cœpisse subsistentiam; et Jesu, ex conceptionis suæ tempore, inseparabiliter conjunctum fuisse: omnes tamen agnoverunt ante creationem Deum fuisse absque Filio, τῳ Λογῳ nondum emisso.[1]

183. *Resp.* Patres omnes Filium æternum, et omni carentem initio, prædicant: nonnulli autem de ejus prolatione loquuntur, quatenus exterius in mundi creatione manifestatus est, sapientia quippe divina, quam veluti specialem ejus proprietatem placuit designare, in mundo condendo ostenditur. Non tunc distingui a Patre cœpit; sed illa quæ ab æterno extitit distinctio, exterius prodiit. Sic Athenagoras in Apologia imperatoribus oblata: "Est Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione; ab eo enim et per eum facta omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio, et Filius in Patre, unitate et virtute Spiritus, mens et Verbum Patris est Filius Dei. Quod si vobis pro summa vestra intelligentia inquirere subeat, quid sibi velit Filius; dicam breviter primam esse Patris progeniem, non quod factus sit, (ab æterno enim Deus habebat in se ipso Verbum, utpote ab æterno rationalis) sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum, ... idea et actus foret."[2] Alii prolationem intelligunt ipsam generationem æternam. Sic Tertullianus: "Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ."[3] Vehementer autem falluntur qui putant Patres idcirco "Filio initium existendi dare, quasi antea non extitisset," quod cum cæteris repudiat omnino Origenes: "Quando enim Deus, qui secundum Joannem lux dicitur, Deus enim lux est, splendorem non habuit propriæ gloriæ, ut quis audeat Filio initium existendi dare, quasi antea non extitisset?" Cæterum non diffitemur veteres nonnullos, utpote in re admodum difficili versantes, de prolatione illa obscure aliquando locutos: sed alioquin innumeris locis Christum Deum Patri coæternum et consubstantialem agnoverunt.

184. *Obj.* 5. Ex turbis quæ natæ sunt Alexandro Arium damnante, constat sententiam de Christo Deo non fuisse apud omnes receptam, nam præter Presbyteros, diaconos, laicosque, episcopi aliquot Ario faverunt. Disceptatione propagata, steterunt ex utraque parte antistites doctrina insignes, et numero haud admodum dispares: nec nisi Constantini gratia obtinuit Alexandri sententia; adeo ut imperatore defuncto, contraria longe lateque diffusa sit, et totum fere occupaverit orbem christianum.

185. *Resp.* Subdola Arianæ hæreseos indoles fecit ut aliquot statim nacta sit fautores, plurimos progrediente tempore: nec enim Christi divinitatem aperte semper impugnabat, sed verborum ambagibus sæpius celabat

(1) Priestley per. vi. § xi. p. 486.
(2) Athenag. leg. pro christ. n. 10. p. 126. ed Wirceb.
(3) Apol. c. xxi.

virus. Ab initio presbyteri sex, totidem diaconi, et episcopi duo Ario adhæsisse noscuntur, quos hominis studio, et sententiæ ambiguitate deceptos esse non est cur miremur. In concilio tamen, centum fere episcopis constante, quod Alexandriæ habitum est, anno 321, damnata est Arii sententia, ipseque communione pulsus. In concilio Nicæno plerique qui aderant episcopi summo consensu in ejus damnationem iverunt, nonnisi septemdecim reluctantibus, qui tamen omnes, aut fere omnes assensum tandem præbuerunt. Decretum hoc universo orbi christiano placuit, nec nisi Constantio imperii habenas tenente turbæ iterum excitatæ sunt. Vocibus pro more luserunt Ariani plurimi, se ὁμοούσιον rejicere affirmantes, quin Christo Deo vellent detrahere honorem, quippe quem agnoscebant Patri similem ὁμοιούσιον: aliis tamen eum dissimilem ἀνόμοιον aperte prædicantibus. Concertationes hac ratione propagatæ sunt, errorque diffusus, imperatoris potentia adhibita ut catholicorum antistitum sedes occuparent sublestæ fidei homines. Mansit tamen, et triumphum egit de errore dogma a Nicænis patribus definitum, quod insignes antistites, cum Petri sede concordes, ubique propugnaverunt, populo fideli per orbem exsecrante hæresim nefandam. Equidem si de summa fidei haud ageretur, explicari non poterit quomodo contigerit tot episcopos Alexandriæ congregatos Arium privasse communione Ecclesiæ, nulla certe imperatoris gratia motos: et trecentos et octodecim, qui Nicæam "ex omnibus ecclesiis, quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant" convenere, Christum Deum de Deo, Patri consubstantialem agnovisse.

186. *Obj.* 6. Saltem ante concilium Nicænum Christi divinitas nulla certa definitione innotuit, de qua proinde liberum erat sentire prout unicuique visum fuerit, absque salutis dispendio.

187. *Resp.* Minime licuit ab ipsis rei christianæ exordiis alias de Christo sentire, quam eum esse Filium Dei, Verbum apud Patrem, imo Verbum Deum, omnium rerum opificem. Nihil novi credendum proposuerunt patres Nicæni, sed fidei pristinæ adhærentes novitium damnarunt errorem. Innotuit antea Christi divinitas, ex publica prædicatione, symbolis, cultu, aliisque plurimis rationibus: nec potuit quisque absque salutis dispendio Deum ac Dominum suum denegare. Hinc Ebionitæ, Theodotus, Paulus Samosatenus, et quotquot Christo Deo detrahebant, a communione Ecclesiæ alieni habiti sunt.

CAPUT IV. DE JUSTINI SENTENTIA.

188. De fide quæ apud Ecclesiam universam obtinuit ante concilium Nicænum, a Justini saltem ætate, superiori capite disseruimus: de ipsa Justini sententia nunc inquirendum. Quum enim Unitarii asserant eum dogmatis de Christo Deo prima designasse lineamenta, et Platonica placita, potius quam majorum instituta, sectatum esse, juvat ostendere eum cum posterioribus scriptoribus, et cum ipso concilio Nicæno, in dogmate concordem, illudque non a Platonis schola, sed a publica Ecclesiæ christianæ doctrina, scripturæ, et majorum traditione innixa, hausisse.

PROPOSITIO.

Justini ætate Jesus Christus filius Dei, verusque Deus, ejusdem scilicet cum Patre substantiæ, in universa Ecclesia ex constanti majorum fide, agnitus est.

189. *Probatur.* Ιησους Χριστος μονος ἰδιως ὑιος τω θεῳ γεγεννηται, λογος ἀυτου ὑπαρχων, παι πρωτοτοκος και δυναμις, και τῃ βουλῃ ἀυτου γενομενος ἀνθρωπος.[1] "Jesus Christus SOLUS PROPRIE FILIUS a Deo genitus est, quum sit Verbum ejus et primogenitus, et virtus, et voluntate ejus factus sit homo." In secunda Apologia dicit: ὁ δε υἱος ἐκεινου, ὁ μονος λεγομενος κυριως ὑιος, ὁ λογος προ των ποιηματων, και συνων και γεννωμενος,[2] "Filius ejus, qui SOLUS PROPRIE FILIUS dicitur, Verbum ante res creatas et simul existens, et genitus." Alias dicit τον Χριστον τουτον του θεου ὑιον, ὁς και προ ἑωσφορου και σεληνης ἠν, και δια της παρθενου της ἀπο του γενους του Δαβιδ γεννηθηναι σαρκοποιηθεις ὑπεμεινεν.[3] Vocat scilicet eum "Christum hunc Dei filium, qui et ante luciferum et lunam erat, et per virginem illam ex genere David nasci caro factus sustinuit."

190. Deum etiam sæpissime vocat, et disertissime propugnat. In eo vaticinium Isaiæ de puero Emmanuele impletum dicit: ἐρουσιν ἐπι τῳ ὀνοματι ἀυτου, μεθ' ἡμων θεος: "dicent super nomine ejus: NOBISCUM DEUS."[4]

191. Psaltis verba quæ ascensum in cælum describunt, de Christo interpretatur: "Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ;" et "hæc in Christum dicta sunt: 'Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ. Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus." Εἰς τον Χριστον ὑτως ειρηται. ἀνεβη ὁ θεος ἐν ἀλαλαγμῳ.[5] 'Et in Psalmo nonagesimo octavo exprobrat vobis Spiritus sanctus, et hunc quem non vultis regem esse, regem et dominum et Samuelis, et Aaronis, et Mosis, et aliorum prorsus omnium esse declarat. Sunt vero Psalmi verba

(1) Apol. i. n. 23. p. 154.
(2) Apol. ii. n. 6. p. 244.
(3) Dial. cum. Tryph. n. 45. p. 116.
(4) Apol. i. n. 33. p. 168.
(5) Dial. cum Tryphone, n. 37. p. 97.

hæc: Dominus regnavit; irascantur populi: qui sedet super Cherubim, commoveatur terra. . . . . Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus: et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. . . . Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster." Liquet hæc de vero Deo intelligi, quæ de Christo explicat Justinus: proinde ex ejus sententia Christus est verus Deus.

192. Citat Psaltis verba, quæ de Christo explicat: "ante solem permanet nomen ejus . . . Benedictus Dominus Deus Israel." Inde argumentatur: "Aliis etiam ex verbis pariter a Davide, ut supra dixi, pronuntiatis, futurum fuisse, ut e summo cælo progrederetur, ejusque in eadem loca indicari reditum recordamini; ut illum et Deum a cælo prodiisse, et hominem inter homines factum esse agnoscatis, ac rursus adventurum, quem quidem videbunt, et plangent, qui illum pupugerunt:" *ἵνα καὶ θεον ἀνωθεν προελθοντα, καὶ ἀνθρωπον ἐν ἀνθρωποις γενομενον γνωρισητε.*[1]

193. Objiciente Tryphone Deum nomen suum et gloriam alteri non dare, probavit ex objecto prophetæ Isaiæ loco, illud de sculptilibus præsertim intelligi, quum ibi declaret Deus "sese ei quem constituit in lucem gentium, nec ulli alteri, gloriam daturum:"[2] scripturæ quippe "Christum conceptis verbis passibilem, et adorandum, et Deum demonstrant:"[3] *ἀι διαῤῥηδην τον Χριστον καὶ παθητον καὶ προσκυνητον καὶ θεον ἀποδεικνυσιν.* Id iterum affirmat deinceps, inculpans Judæos, quod "permultas Scripturas, ex quibus perspicue hunc ipsum, qui cruci affixus fuit, et Deum, et hominem, et crucifixum, et morientem prædicatum esse demonstratur, omnino ab eis ex illa interpretatione, quam senes apud Ptolomæum adornarunt, deletas fuisse:" *ἐξ ὡν διαῤῥηδην ὁτος ἀυτος ὁ σταυρωθεις ὁτι θεος, καὶ ανθρωπος, καὶ γαυρκμενος, καὶ ἀποθνησκων κεκηρυγμενος ἀποδεικνυται.*[3] . . . . Και Δαβιδ . . . *θεον ἰσχυρον καὶ προσκυνητον, Χριστον ὀντα, ἐδηλωσε.*[4] "David eum qui Christus est FORTEM DEUM et adorandum manifestavit." Ei "scriptum est angelos ministrare; quemadmodum ait Daniel, eum tamquam filium hominis ad antiquum dierum adduci, eique regnum omne dari in sæculum sæculi."[5] *περι ὁν διακονειν γεγραμμενοι εισιν ὁι ἀγγελοι.*

194. Hæc certe ostendunt Justinum censuisse Christum esse verum Deum, summo cultu dignum, et quamvis a Patre vere distinctum, eundem nihilominus Deum: nec enim duos agnovit deos divinæ monarchiæ strenuus vindex. Ergo idem sensit ac Nicæni patres, quamvis non eadem voce suam de Christo fidem enuntiaverit. Liquet hanc fuisse communem totius Ecclesiæ doctrinam, quam ipse amplexus est, a sene quem memorat edoctus, quamque contra Tryphonem vindicavit, ut ei suaderet ipsam ingredi Ecclesiam,

(1) Dial. cum Tryphone, n. 64. p. 174.
(2) N. 65. p. 178.
(3) N. 70. p. 194.
(4) N. 76. p. 206.
(5) N. 79. p. 215.

et Christum magistrum ac dominum agnoscere. Dialogus ille monumentum est insigne fidei; et quamvis opus non sit ut singula quæ allegavit Justinus argumenta quis probet, ipsum dogma, utpote in tota Ecclesia celebratum, necessariò amplecti debemus.

OBJECTIONES.

195. *Obj.* 1. Ο Λόγος seu radius divinus homini Jesu constanter conjunctus, quo pacto Deus et homo effici credebatur, Patre tamen longe inferior, sicut radius sole inferior est, in Justini scriptis primum reperitur.[1] Modeste tamen, et nulla adversæ sententiæ inusta nota, Justinus ea proposuit, fatens non omnes Christianos secum sentire.

196. *Resp.* In Joannis Evangelio ὁ Λογος commemoratur, non quidem radii sub imagine, sed veluti lux vera quæ omnem hominem suo fulgore illustrat. Ipse Justinus qui fusius disseruit de Christo, obiter tantum, et una vel altera vice, radio eum adsimilat, non quidem ut ostendat quomodo homo Jesus Deus etiam sit, sed ut explicet quomodo veteribus patriarchis se manifestaverit, instar radii a sole demissi, quin ab eo separetur: in ea quippe sententia fuit eum olim apparuisse, quoties in Scripturis de Deo viso fit mentio.[2] Nihil dicit quo innuat eum Patre esse inferiorem, sed omnia ei accommodat, quæ de Supremo Numine in Scripturis dicuntur: illum enim censet dixisse Moysi: "*Ego sum qui sum.*" Personalis relatio sancte servatur a Justino, quæ vix adeo caute enuntiari potest, quin inferior Filius videatur. Haud trepide dogma hoc proposuit Justinus Tryphoni; sed verbis perspicuis diuque de eo disseruit, plurimis adductis ar-

(1) "The opinion of a *divine ray*, called the *logos*, being permanently attached to the man Jesus, and constituting a proper part of his person, appears first in the writings of Justin Martyr, who had been a Platonic philosopher, and who, when he became a Christian, continued to be a great admirer of Plato." Priestley, "Hist. Christian Church," period 1, § vi.

(2) Sententiam Justini de Verbo se olim manifestante novissime propugnavit Hengstenberg, cum magna, ut solet, eruditione.—*Christology, Vol. I. c. iii.* Angelum autem Jehovæ מַלְאַךְ יְהוָה eum vocat, prout tunc apparuit, Filium Dei, prout se in carne, homo factus, manifestavit.—*Ibid. p.* 186. Fallitur tamen vir doctissimus, nam Filii Dei nomen Verbo a Patre ab æterno genito convenit, uti ex jam laudatis testimoniis Psaltis et Michææ omnino constat. Plerisque Patribus, præsertim Græcis, Justini arrisit sententia; sed Augustino, *de Trinitate. l. iii. c. ii.*, Hieronymo, *in Gal. iii.* 10, et Gregorio M. mor. lxxviii. aliter visum est: censent scilicet visiones illas per angelos agentes ex persona Dei factas. Witassius utramque videtur conjungere sententiam, scilicet opinatur Filium apparuisse patriarchis, sed angeli creati usum esse ministerio. "Putamus itaque Filium Dei, cum apparere tunc voluit angelum assumpsisse: huic autem angelo corporis formam circumdedisse, ita ut angelus immediatè, Filius autem Dei mediate appareret." Ita in tract. de Trinitate, qu. iv. sect. 1, arg. v. obj. 2. Testimonia Scripturæ, et patrum nos hærentes faciunt, quamvis Witassio fere assentiamur.

gumentis quibus illud suaderet, et persuaderet. Cæterum periti disceptatoris instar, monuit adversarium eum cadere causa, si constet Jesum esse Messiam; quidquid sit de divina ejus natura, quam tamen ipse cum plerisque Christianis tenebat, nulla dissentientium turba a dogmate divino dimovendus. Eos autem nomine tenus Christianos qui illud negabant, Judaismi errorem pelle christiana tegentes, se penitus rejicere aperte profitetur: *και γαρ εἰσι τινες, ὠ φιλοι, ἐλεγον, ἀπο του ἡμετερȣ γενȣς*[1] *ὁμολογουντες αυτον Χριστον ἐιναι, ἀνθρωπον δε ἐξ ἀνθρωπων γενομενον ἀποφαινομενοι.* "Sunt enim quidem, amici, ex genere nostro qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient." Non insinuat Justinus rem esse dubiam, vel fieri posse ut plerique per orbem Christiani eam desererent fidem; sed ea etiam admissa hypothesi, se dicit a divinitus revelato dogmate numquam discessurum; adeo locupletia erant illius argumenta. Ideo autem hæreticorum commenta, a quibus abhorret, notat, Tryphoni ut ostendat Judæos cadere causa, quidquid de Ebionæorum sententia sit. *ὁις οὐ συντιθεμαι, οὐδ'ἀν πλειȣι τἀυτα μοι δοξασαντες ἐιποιεν, ἐπειδη ουκ ανθρωπειοις διδαγμασι κεκελευσμεθα ὑπ' ἀυτȣ τȣ Χριστȣ πειθεσθαι, ἀλλα τοις δια των μακαριων προφητων κηρυχθεισι και δι' ἀυτȣ διδαχθεισι*:[2] "quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quæ mecum consentit, idem diceret: neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis quæ a beatis prophetis prædicata, et ab ipso tradita."

197. *Obj.* 2. Quæ a Justino, aliisque post eum scriptoribus, adductæ sunt similitudines lucis radii, lampadis accensi, verbi prolati, nequaquam ostendunt Λογον a Patre revera distingui, vel personam esse subsistentem; sed potius *ἐνεργειαν* quandam Dei virtutem, qua homo Jesus divinus quodammodo factus est. Igitur philosophica quadam loquendi ratione Deum Christo præsentem sua potentia adesse significabatur, quin de divinitate propria Christi somniaretur.

198. *Resp.* Similitudines ad mysteria illustranda adductæ necessario deficiunt, quamvis ex aliqua parte inserviant. Radii lucis imaginem mutuatus est Justinus, ut explicaret quomodo ὁ Λογος apud Patrem sese patriarchis manifestaverit, quum potentia et essentia a Patre sit inseparabilis: *ἀχωριστος δυναμει*.[3] Lampadis similitudo adhibita est ut divina essentia communicata Filio intelligeretur, personaque Filii a Patre distincta, nullo essentiæ ipsius detrimento. Verbum ab homine prolatum, quo quæ animo latuerant panduntur, manifestationem Λογου, qui ab æterno erat apud Deum, illustrat. Cæterum in errorem incidit, quicumque hujusmodi similitudines nimis ur-

(1) Bullus censet textum emendandum: *ὑμετερȣ*; quod admodum verosimile est. Videtur Justinus respicere eos qui ex Judaismo ad Christiana sacra transeuntes Christum merum hominem habebant, qui error Ebionæorum fuit. Vide Judicium Eccl. Cath. c. vii. Maranum quoque, l. iv. c. v. De Divin. J. C.

(2) N. 48.

(3) Dial. cum Tryphone, n. 56, p. 146.

get, quod et ipsi monuerunt Patres. Non autem philosophia de Λογω loqui docuit, ad potentiam divinam indicandam; sed fides divina, quæ Joannis Evangelistæ testimonio nixa, omnia per ipsum facta agnoscebat. De Christo Deo adeo diserte egit Justinus, ut ad meram ἐνεργειαν verba ejus nequaquam possint referri. "Ante mundum conditum Deus erat:" προ ποιησεως κοσμου ὀντα θεον.[1] Tota cum Tryphone concertatio inanis erat, si de sola Dei virtute aliqua, non verò de Filio subsistente ageretur.

199. *Obj.* 3. Quæ Plato de demiurgo dixit, Justinus ad christiana mysteria traduxit.

200. *Resp.* Longe diversa sunt quæ Plato de demiurgo dicit, quem a summo Deo creatum alias res omnes creasse tradit.[2] Joannem Evangelistam Justinus secutus est, et doctrinam quam in universa ecclesia christiana vigentem didicit, propugnavit. Platonem quidem aliquando nominavit, non veluti magistrum quem sequebatur, sed potius quem putabat hausisse aliquam Dei notitiam ex Judæorum libris vel sermone, erant enim plurimi Alexandriæ quo tempore eam urbem invisit. "Verbo igitur Dei, ex subjectis et a Mose designatis rebus, mundum universum esse conditum, et Plato, et qui eadem ac ille dicunt, et nos ipsi dicimus, vobisque licet idem perspicere. Et quod apud Platonem, in *Timæo*, physicis rationibus de Filio Dei investigatur, cum ait: *Et decussavit eum in universo*, pariter a Mose mutuatus dixit."[3] Hanc sententiam ex crucis mysterii ignoratione provenire censuit Justinus, ideoque eam emendat, sicut et quæ de tertia persona divina, scilicet Spiritu Sancto, dicta videri possent. Appellat simplicium fidem, quam sufficere affirmat Platonis cæterorumque philosophorum emendandis decretis. "Non ergo," inquit, "eadem nos ac alii opinamur; sed nostra omnes imitati edisserunt. Hæc sane apud nos audire et discere ex iis, qui ne figuras quidem litterarum norunt, imperitis hominibus et lingua barbaris, sed mente sapientibus et fidelibus, quorum etiam nonnulli debiles et oculis capti; ut facile pateat non humana sapientia hæc fieri, sed Dei virtute dici."[4] ϐ τα ἀυτα ἐν ἡμεις αλλοις δοξαζομεν. Quidquid autem a Platone, aliove philosopho bene dictum est, ex divino derivatum fonte, scilicet ex librorum Judaicorum lectione, ideoque nostrum esse contendit: ὁσα οὐν παρα πασι καλως ειρηται, ἡμων των χριστιανων ἐστι.

201. Aperte profitetur Justinus se a sene quodam christiano primam fidei notitiam hausisse, quum frustra sapientiam veram apud philosophos quæsiisset. Eo hortante prophetas sibi elegit magistros, qui, scilicet, in sacris libris, "creatorem universorum Deum et Patrem celebrabant; et missum ab eo Christum, qui Filius ejus est, hominibus nuntiabant."[5]

(1) Sub finem *sermonis parænetici ad Græcos.*

(2) Petavius, l. i. de Trinitate, c. i. Vide et Dictionnaire de Theologie, de Bergier art. Verbe.

(3) Apol. i. n. 60.

(4) Ibidem.

(5) Dial. cum Tryphone, n. 7.

202. Patet igitur omni prorsus specie veri destitui illam Priestleii et aliorum assertionem, Justinum Platonica placita de Verbo in Ecclesiam invexisse.

203. *Obj.* 4. Justinus loquitur de Filio, tamquam Dei ministro, eumque post Deum secundo loco, υἱον ἀυτου τȣ ὀντος θεȣ μαθοντες, και εν δευτερᾳ χωρᾳ εχοντες[1] christianos colere dicit. Igitur nonnisi præstantissimam creaturam eum habuit, cui nomen Dei minus proprie tribueretur.

204. *Resp.* Dicit quidem Justinus Filium Patris ministrare voluntati, ὑπηρετων τῃ βουλῃ ἀυτου[2] qua ratione et personarum distinctionem, et relationem Filii ad Patrem, indicat, et judaicæ obviam it suspicioni, ne summa Dei majestas minuatur. Cæterum eo ipso loco animadvertit eum nuncupari in Scripturis Deum, et esse quidem Deum, sed et angelum, seu nuntium a Patre; eum scilicet censet esse qui Abrahæ, Isaac et Jacob aliisque prophetis visus est: αναγεγραμμενος θεος . . . . ἀυτος ὢν και θεος, και αγγελος παρα τȣ πατρος πεπεμμενος.[3] Ea de causa secundo loco, μετα τον θεον, eum dicit adorari, ut intelligeretur Patris cultum illæsum manere, Filius enim una cum ipso colendus est. Personarum relatio, non cultus diversitas, plane significatur, nam Trypho idcirco contendit impium esse crucifixo homini eum deferre: προσκυνητον ἐιναι.[4] E contra eum vindicat Justinus recitato Psalmo, in quo thronus ejus dicitur in sæcula, ipseque Deus appellatur, cultu summo honorandus: ὁ θρονος σȣ, ὁ θεος, ἐις τον ἀιωνα του αἰωνος "thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi:" προσκυνησουσιν ἀυτω "adorabunt eum." Eum ante omnes creaturas genitum sæpissime dicit, προ παντων τῶν κτισματων ὁ θεος γεγεννηκε δυναμιν τινα ἐξ ἐαυτου λογικην:[5] "ante omnes creaturas Deus genuit Virtutem quandam rationalem ex seipso."[6] "Sed hæc ipsa vere ex Patre prolata progenies, ante res omnes creatas una erat cum Patre, et cum ea Pater colloquebatur." Equidem nisi Filium vere Deum agnovisset Justinus, perperam ea voce usus fuisset, cum divinæ majestatis detrimento, et Tryphonis offensione: et tota illa disputatio de Christo Deo verborum ambiguitate nixa fuisset. Eum provocavit Trypho ut ostenderet alium præter rerum conditorem Deum in Scripturis nominari, sensu scilicet obvio et nativo; cui ut responderet Justinus, plurima laudavit, inter quæ illa præclara de Messia vaticinia: ἐυθειας ποιειτε τας τριβους του θεου ἡμων: "rectas facite semitas Dei nostri:" ἐιπον ταις πόλεσιν Ιουδα· ἰδου ὁ θεος υμων: "die civitatibus Juda: ecce Deus vester."

(1) Apol. i. n. 13, p. 136.
(2) Dial. cum Tryph. n. 126, p. 328.
(3) Ibidem.
(4) N. 38, p. 98.
(5) N. 61, p. 164.
(6) Dial. n. 62, p. 168.

205. *Obj.* 5. Justinus bonorum angelorum exercitum una cum Filio colendum dicit,[1] nequaquam certe summo obsequio.

206. *Resp.* Ethnicis ut persuaderet christianos summa injuria atheos vocari, Patri et Filio, et bonorum angelorum sequentium eum, eique adsimilatorum, exercitui, et spiritui prophetico . . . venerationem et cultum tribui docet Justinus: nec distinguit accurate quid interesset discriminis inter cultum angelis tributum, et eum quo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus honorabantur; non enim id postulabat argumentum. Cæterum innuit Filii præ angelis honorem, ipsi enim sequi eum dicuntur, eique fieri similes: εκεινον τε και τον παρ'αυτȣ υἱον ἐλθοντα καὶ διδαξαντα ἡμας ταυτα, και τον των ἀλλων ἐπομενων και ἐξομοιȣμενων ἀγαθων ἀγγελων στρατον, πνευματε το προφητικον σεβομεθα, και προσκυνȣμεν. Aliunde patet Filio summum præstari cultum.

207. *Obj.* 6. Justinus, rationem reddens cur Pater patriarchis non apparuerit, dicit eum loco non moveri: "neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit."[2]

208. *Resp.* Justino visum est Filium patriarchis apparuisse, humanam præseferentem speciem: "Ac Christum quidem Dominum et Deum Dei Filium esse, et virtute prius apparuisse ut virum, et angelum, et in gloria ignis, velut in rubo et in judicio de Sodomis facto, jam pluribus demonstratum est."[3] κυριος ὢν ὁ Χριστος και θεος θεου υἱος υπαρχων, και δυναμει φαινομενος προτερον ὡς ανηρ. Ideo censuit id Filio præ Patre convenire, quod vir aliquando futurus esset. Cæterum non existimavit Verbum ipsum ambulare, aut dormire, aut loco moveri in sui natura, nam eum agnovit inseparabilem a Patre ἀχωριςος δυναμει: quapropter apparitiones ejus exhibet, veluti lucis emissiones, radiumque iterum ad lucis fontem redire. Dicit idcirco: "hanc autem Virtutem Δυναμιν a Patre abscindi aut separari non posse, quemadmodum lux solis in terra abscindi et separari nequit a sole qui est in cœlo, et cum sol occiderit, lux simul occidit: sic cum vult Pater, inquiunt, facit ut Virtus ejus prosiliat; rursus cum vult, illam ad seipsum reflectit." ατμητον δε και αχωριςον του πατρος ταυτην την δυναμιν ὑπαρχειν. Quidquid sit de similitudine hac, vel de opinatione Justini, Filium Patriarchis esse visum, liquet in ejus sententia Filium a Patre distingui, et tamen haud separari, eumque dici et esse Deum, ipse quippe erat qui dixit: EGO SUM QUI SUM.

209. Hæc plane ostendunt Justinum idem de Filio Dei sensisse quod patres Nicæni, eumque in ecclesia didicisse, quod fides constans majorum tradiderat. Quod ad modum suam explicandi sententiam, et ad argumenta quibus eam roborat, attinet, liberum est alias sentire, in dogmate ipso con-

(1) Apol. i. n. 6, p. 126.
(2) Dial. n. 127, p. 320.
(3) N. 128, p. 332.

cordia fidei servata. Equidem rei ipsius difficultas fecit ut in ea exponenda laboraret ingeniosissimus et doctissimus quisque : et præjudicia Judæorum quos alloquebatur Justinus tanta erant, ut iis aliquatenus argumenta et voces attemperaret, ne, dum Christi tueretur divinitatem, Patris majestatem lædere videretur. Hæc si quis secum perpenderit, voces quæ forsan occurrant duriores, vel similitudines minus accuratas, ad sensum Catholicum, et scopo auctoris congruum facile traducet. Qui autem præfracte negaverit Justinum Christum Deum prædicasse, eum verbis lusisse cum magno rei christianæ dispendio, fateri cogetur.

CAPUT V. DE PRIMÆVA FIDE.

210. Ante Justini ætatem eandem fuisse sententiam et fidem de Christo Deo, ex his quæ disputavimus, colligere est : nec enim novum dogma a se excogitatum proponere visus est, sed quod simplicioribus ipsis fidelibus innotuerat, ex majorum suorum traditione derivatum. Juvat autem adducere specialia pristinæ illius fidei documenta.

PROPOSITIO.

Ab Apostolorum temporibus constanter creditum est Christum esse Filium Dei, verum Deum, ejusdem ac Pater numericæ substantiæ.

Probatur I. ex baptizandorum vetustissima professione.

211. Πιστεύω εἰς τὸν θεὸν, τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα :[1] Credo in Deum, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum." Liquet Filium et Spiritum Sanctum, una cum Patre, Deum dici ; nominantur enim veluti explicandi gratia quid sit credere in Deum : nec aliquid dicitur quo dispares inter se videantur. Hanc formulam ab Apostolorum temporibus adhibitam fatetur Episcopius, licet Unitariis studens.

Probatur II. ex Patrum scriptis.

212. Antiquissima epistola quæ Barnabæ dicitur, a Clemente Alexandrino et Origene laudata, paulo post Hierosolyma incensa scripta videtur,[2] et orthodoxum habuit auctorem, quamvis Apostolum fuisse non constet. Illustre idcirco agnoscitur fidei vetustæ documentum. In Psalmum cix. dicit: ἰδε πῶς λέγει Δαβιδ αὐτὸν κύριον καὶ υἱὸν θεοῦ.[3] " Vides quomodo David eum Dominum vocet et Dei Filium." Alibi dicit :" " Dominus sustinuit pati pro

(1) Apost. Constit. l. vii. c. 42, et Cyrill. Hieros, catech. Myst. i. apud Bullum, *Judicium Eccl. Cath. c. iii.*

(2) § xvi. 6.

(3) § xii. 17.

anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit Deus ante constitutionem sæculi: 'Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram."[1] Vetat auctor ne imperiose et dure tractentur servi, Dei timore neglecto, qui venit vocare homines, heri et mancipii nullo habito delectu. "Ne in amaritudine imperes ancillæ aut servo tuo, qui in eumdem sperant; ne forte non timeas Deum, qui super utrumque est; quoniam non venit vocare secundum personam, sed super quos Spiritus præparaverat."[2] Liquet Christum, qui venit vocare homines, Deum hic dici, qui omnibus dominatur, et in quo spes omnis reponenda est: *τον ἐπ' αμφοτεροις θεὸν.*

213. *Hermæ liber*, *Pastor* dictus, sub finem sæculi primi scriptus, et ab Irenæo, Clemente Alexandrino, aliisque laudatus, insigni est fidei vetustæ documento. De Filio hæc habet: "Juravit Dominus per Filium suum: Qui denegaverit Filium et se, spondentes se vitam illius, et ipsi denegaturi sunt illum in advenientibus diebus."[3] De martyribus dicit. "Omnium eorum deleta sunt delicta, quia propter nomen Filii Dei mortem obierunt."[4] Similitudine proposita Domini, qui servo concredidit vineam colendam, eumque una cum Filio fecit hæredem, in diligentiæ præmium, omnium conditorem Deum Domini figura significari declaravit, Spiritum Sanctum Filio repræsentari, Filium autem Dei servo fideli. Difficultatem deinceps proponit: "Quare Filius Dei, in similitudine hac, servili loco ponitur! Respondet Angelus: Audi, inquit, in servili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate et imperio. Et dixi: Quo modo, inquam, Domine? Non intelligo. Quoniam, inquit, eis quos Filio suo tradidit, Filius ejus, Nuntios præposuit, ad conservandos singulos. Ipse autem plurimum laboravit, plurimumque perpessus est, ut aboleret delicta eorum. . . . Deletis igitur peccatis populi sui; ipse eisdem monstravit itinera vitæ, data eis lege quam a Patre acceperat. Vides igitur, esse Dominum populi, accepta a Patre suo omni potestate."[5] Meritò miratus est Hermas Filium ipsum Dei servo comparari; sed probe intellexit, angelo explicante, eum servi gessisse formam, ut morte sua mundi peccata deleret, ideoque potestate magna et imperio prædituni, ut, etiam tamquam homo, dominus foret, et divinæ consors ditionis. Non tunc tamen cœpit rerum dominari, nam "Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam."[6] "Nomen Filii Dei magnum et immensum est, et totus ab eo sustentatur orbis."[7] Ipsum Spi-

(1) § v.
(2) § xix.
(3) L. i. Vis. ii. n. ii. v. 13.
(4) L. iii. Simil. ix. n. 28.
(5) L. iii. Simil. v. § vi. n. 1.
(6) L. iii. Simil. v. § xii. 4.
(7) Ibidem, § xiv. 8.

ritus Sancti opera conceptum, et Deum in corpore humano habitasse etiam tradit Hermas, quærenti enim cur in similitudine Dominus in consilio adhibuerit Filium, scilicet Spiritum Sanctum, Filii figura repræsentatum, respondet angelus: "Quia Nuntius audit illum Spiritum Sanctum, qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus."[1] Hæc omnia ostendunt utramque naturam in Christo ab Herma agnitam, servilem hominis conditionem, et divinam a Patre originem, ante omnem creaturam, qua ratione et ipse Deus vere est. Cum *Arianorum* placitis hæc nequeunt conciliari, cum *Humanitariorum* adversa fronte pugnant.

214. S. Clemens Romanus, a Paulo cum laude commemoratus, quique Romanam Cathedram tenuit, secundus vel tertius a Petro, ad Corinthios scribens, eorum prioribus temporibus felicem conditionem exponit, et inter cæteras laudes dicit. "Dei viatico contenti, et accurate attendentes sermonibus ejus: dilatati eratis in visceribus et passiones illius præ oculis vestris erant."[2] τοῖς ἐφοδίοις τοῦ θεοῦ ἀρκούμενοι . . . . τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. Qui passus est, igitur, agnoscebatur Deus, et quidem, articulo Græco præposito, *emphatice*. Alias eum vocat Clemens sceptrum majestatis Dei: τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς.[3] Magnificum Dei sceptrum indicat summam potestatem, quæ Filii est, sicut et Patris.

215. S. Ignatius M. passim Christum vocat Deum. Sic in inscriptione epistolæ ad Ephesios: "per voluntatem Patris et Jesu Christi Dei nostri." In epistola ad Trallianos; "indivulsi manseritis a Deo Jesu Christo."[4] Ad Romanos, "in magnificentia altissimi Patris et Jesu Christi Unigeniti ejus Filii." "Secundum caritatem Jesu Christi Dei nostri." "Plurimam in Domino Jesu Christo Deo nostro, atque immaculatam salutem." "Nihil bonum quod videtur. Deus quippe noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet:"[5] ὁ γαρ θεος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν Πατρὶ ὢν μᾶλλον φαίνεται. . . Ἐάσατε με μιμητην εἶναι πάθους τοῦ θεοῦ μου.[6] "Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei." In epistola ad Magnetes: Ος πρὸ αἰώνων παρα Πατρι ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη:[7] "Qui ante sæcula apud Patrem erat, et in fine apparuit." Εἷς θεὸς ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτου, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀιδιος οὐκ ἀπο σιγῆς προελθὼν, ὅς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῳ πέμψαντι αὐτὸν. "Unus Deus est qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum; qui est Verbum ipsius æternum, non a silentio progrediens; quique in omnibus

(1) L. iii. Simil. v. § vi. 7.
(2) 1 ad Cor. § ii. 1.
(3) Ibidem, § xvi.
(4) N. 7.
(5) N. 3.
(6) N. 6.
(7) N. 6

ei qui ipsum miserat complacuit."[1] Distinctio Filii a Patre, æternitas ejus, et divinitas ex his testimoniis manifesto colligitur.[2]

216. Liceat his adjicere illustre quod tulit Ignatius Christo Deo testimonium, martyrium subiturus. Interrogatus a Trajano, se Theophorum, scilicet Deiferum, dixit; et questioni: quis est Theophorus? respondit: ὁ Χριστὸν ἔχων ἐν στέρνοις "Qui Christum habet in pectore."[3] Deum igitur fert, qui Christum habet.

Probatur III. Martyrum testimoniis.

217. Polycarpus martyrium jam subiturus, manibus post tergum revinctis, sic precatus est Patrem: περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ ἀιωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῳ, ἀγαπητῷ σοῦ παιδὶ, μεθ' οὗ καί[4] Πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας ἀιῶνας. Ἀμήν.[5] "De omnibus laudo te, benedico te, glorifico te, cum sempiterno et cælesti Jesu Christo, dilecto Filio tuo; cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria, et nunc, et in futura sæcula Amen." Testimonium summi cultus quem Christo præ martyribus tribuebant fideles, dederunt Smyrnenses, ex martyrii Polycarpi occasione; quum enim Judæi voluissent impedire ne martyris reliquiæ eis traderentur, affirmantes fore, ut, crucifixi cultu derelicto, Polycarpum adorarent, discrimen affectus quo prosequebantur Christi testes, a summo ejus cultu aperte declararunt: Τοῦτον μέν γὰρ ὑιόν ὀντα τοῦ θεοῦ προσκυνήσμεν, τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς τοῦ κυρίου ἀγαπῶμεν. ἀξίως ἕνεκα ἐυνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τον ἰδιον βασιλεά καὶ διδάσκαλον.[6] "Illum, siquidem, utpote Filium Dei adoramus; Martyres verò tamquam Domini discipulos et imitatores digne diligimus, propter illorum erga suum regem ac magistrum eximiam benevolentiam."

218. S. Symphorosa, quæ cum septem filiis sub Hadriano, anno circiter 120, est passa, Imperatori dixit: "si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro."[7]

219. S. Felicitas sub Antonio septem filios, ut in amore Christi fortes sese exhiberent, hortata est, qui monitis obtemperarunt. Ultimus eorum Publio, Urbis Præfecto, dixit: "Omnes qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittentur."[8]

220. S. Epipodius, adolescens, anno M. Aurelii 17, Lugduni passus, judici respondit: "Sempiternum verò Dominum nostrum Jesum Christum, quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio homo pariter et Deus famulis suis tramitem immortalitatis instituit, et ad cælestia regna perducit." . . . . "Christum cum Patre ac Spiritu Sancto

(1) Ad Magnes. n. 8. 4.
(2) Vide Maran. l. iv. c. iii.
(3) Act. Martyr. sincer. p. 15.
(4) εν apud Euseb. l. iv. hist. Eccl. c. 15.
(5) Act. Martyr. p. 42.
(6) Act. Martyr. p. 44.
7) Ibid. 24.
8) Ibid. p. 26.

Deum esse confiteor, dignumque est ut illi animam meam refundam, qui mihi et creator est, et redemptor."[1]

Probatur IV. ex hæresum divinitati Christi adversarum damnatione.

221. Ipso ævo Apostolico Cerinthus, Christum a Jesu distinguens, hunc merum hominem, Josephi et Mariæ filium, illum a Principalitate quæ est super omnia, in Jesum descendisse, aiebat:[2] Ebion etiam Jesum ante Mariam non fuisse docebat. Uterque cum suis asseclis a tota Ecclesia summo horrori habitus est. Contra eos Evangelium Joannis scriptum esse Hieronymus, veterum nixus auctoritate, tradidit.[3] Prior error Arianismo valde affinis est, Verbum enim nonnisi præstantissima quædam creatura, summi Dei opus eximium Arianis traditur: alter est *Unitariorum*, seu *Humanitariorum*, qui Ebionæorum instar,[4] in duas dividuntur classes, nonnullis conceptionem virgineam, aliis naturalem statuentibus; quæ tamen varietas ipsis parvi momenti videtur.[5]

OBJECTIONES.

222. *Obj.* 1. Si dogma de Christo Deo ab initio propositum fuisset, Judæorum maxime invidiam excitasset, quum ipsi unum esse Deum tenaciter admodum propugnarent: attamen controversiæ omnes cum ipsis de Messia, seu de Filio Dei erant, non de Christo Deo.

223. *Resp.* Maximam Judæorum invidiam ortam constat ex eo quod Christus, se et Patrem unum esse dicendo, se Deum faceret; eosque atheos habuisse ejus discipulos, quod eum Filium Dei agnoscendo, unitatem simplicitatemque divinæ essentiæ tollere viderentur: ὁτι αἱρεσις τις ἀθεος και ἀνομος ἐγηγερται ἀπο Ιησυ τινος Γαλιλαιυ πλανυ. . . . των ὁμολογεντων Χριςον και διδασκαλον και ὑιον θυ εἰναι, παντι γενει ἀνθρωπων ἀθεα και ἀνομα και ἀνοσια λεγετε.[6] Sic Justinus cum Tryphone Judæo loquens, exprobrat ei majores suos, post Christi resurrectionem ubique ejus discipulos diffamasse, asserentes "impiam quandam et exlegem sectam a plano quodam Jesu Galilæo excitatam esse." . . . . . "Quinetiam docuisse illum addidistis impia illa et nefanda ac detestabilia facimora, quæ adversus eos, qui illum Christum, et doctorem, et Filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis." Equidem si tota lis in eo posita fuisset, utrum Jesus verus esset Messias, nulla fuit ratio Apostolis, aliisque ejus præconibus, vocibus illis de Filio Dei, tanta cum emphasi utendi, nec Judæis justam præbuissent offensionem, quum sensu latiori, omnibus noto, adhiberentur. Igitur iis neglectis omnis vis ad probandum Jesum esse Messiam directa fuissent. Quod autem controversia de "Filio Dei," potiusquam de Christo Deo ageretur, contigit quia Christi divinitas non ita proponebatur, ut Dei quem coluerant Judæi

(1) Act. Martyr. p. 76. apud Maran. ibid.
(2) Irenæus adv. hær. l. i. c. xxv.
(3) Catal. Script. Eccl. in Joan.
(4) Vide Eusebium hist. l. iii. 27.
(5) Unitarian Miscellany.
(6) Dial. cum. Tryph. n. 108. p. 280.

honor tolleretur, sed ut personales explicarentur relationes. Cæterum quum Filius Dei diceretur, Deus etiam necessario agnoscendus erat; quapropter Justinus, ut Dei Filium esse demonstraret, eum Deum esse qui visus est Abrahæ, Moysi, et cæteris patriarchis, constanter docuit. Dialogus ille præclare exhibet controversiam de Christo, Judæos inter et Christianos, quæ ab initio viguit; nec enim tamquam nova induta facie nobis exhibetur, sed qualis semper extitit. Ipso Wolzogenio fatente: "inter hæc duo nomina Christi, *filius Dei* et *Deus*, quod dignitatem attinet, nulla est differentia, sed æque late patent."[1]

224. *Obj.* 2. In ipsa Ecclesia Christiana tantum dogma schismata et controversias gravissimas necessariò excitasset: attamen altum de iis silentium, tum in scriptis Apostolicis, tum in cæteris ante sæculum secundum medium.[2]

225. *Resp.* Divina dogmata non necessariò secum ferunt controversias, quamvis interdum superbia humana inde desumat litium materiem. Cæterum constat, Apostolis adhuc inter vivos, hæreses ex hoc dogmate certissimo de Christo Deo excogitatas: nec enim tantum de Mosaicis ritibus agebatur, vel utrum Jesus esset Messias; sed utrum carnem haberet humanam, vel tantum visus sit pati; adeo quippe videbatur Deo indignum nostras infirmitates suscipere: "negantes," uti ait Tertullianus, "Christum in carne venisse . . . . quoniam incredibile præsumpserant Deum carnem."[3] Alta illa de Christo sententia Marcionitis fuit occasio ut eum Judæorum Deo anteferrent, quos contra argumentatur Tertullianus ex Christi humiliatione et morte, ut quæ in Veteri Testamento de Deo ad turrim descendente irridebant, tueretur: "Si enim Deus et quidem sublimior, tanta humilitate fastigium majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret, et morti crucis; cur non putetis nostro quoque Deo aliquas pusillanimitates congruisse, tolerabiliores tamen Judaicis contumeliis, et patibulis, et sepulchris?"[4] Adeo claruit hoc dogma apud fideles, ut Deum Veteris Legis auctorem, contra hæreticos eum blasphemantes, opus fuerit vindicare, quo in argumento, præter Tertullianum, Irenæus præclare versatus est.[5] Quod de alto Apostolorum silentio a Priestleio dictum est, re non constat, nam in principio extitisse τον Λογον apud Deum refert Joannes, qui etiam testatur Christum dixisse: "Abraham exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. . . . Priusquam Abraham fieret, ego sum."[6] "Clarifica me, tu Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te."[7] Hæc præ-existentiæ testimonia indubia sunt: divinitatis etiam haud

(1) Compendium Rel. Christ. n. 28.
(2) Priestley, hist. chr. church, p. 1. § 11.
(3) Tertul. l. iii. adv. Marcion. c. viii. l. ii. c. iii.
(4) L. ii. adv. Marcion c. xxviii.
(5) L. iii. adv. hær. c. v. vi. l. iv. c. ii. v. l. v. c. i. n. 2.
(6) Joan. viii. 56.
(7) Joan. xvii. 5.

obscura indicia: nam "Deus erat Verbum," et, Christo magistro, novimus eum idem esse ac Pater: "Ego et Pater unum sumus." Non hæc obiter, sed consulto dicta sunt, ad dogma divinum mentibus altius insinuandum. Idem in scriptis aliis, quæ Apostolico ævo edita sunt, traditum jam vidimus.

226. *Obj.* 3. Philo Judæus, Platonicis studens institutis, patribus ecclesiæ Christianæ occasionem præbuit personam Verbo τῳ Λογῳ tribuendi.[1]

227. *Resp.* Apud Platonem nihil de Verbi persona occurrit; quapropter ab eo hujusmodi notionem derivare non potuit Philo. Λογος Platonicus seu potius νȣ̃ς ratiocinationem, vel cogitationem divinam designat: mundus ipse filius Dei vocatur.[2] Philo quidem plura tradidit christiano dogmati affinia, quæ ex libris Sapientialibus Veteris Testamenti collegisse videtur.[3] S. Joannes autem, qui nec Platoni studuit, nec Philonem habuit magistrum, de Verbo ea docuit quæ scriptoribus christianis fuerunt norma et lex scribendi. Levissimæ conjecturæ adversariis argumentorum loco habentur, omni deficiente documento.

228. *Obj.* 4. Ad annum usque 138, solus Deus Pater in omnibus ecclesiis christianis colebatur, Christo præcipuo inter vates habito ab omnibus; qui tamen non extitisse credebatur antequam in Judæa nasceretur.[4]

229. *Resp.* Præclara Christi cum Patre cultus, tamquam Dei ab ævo existentis, laudavimus jam ex Scripturis testimonia. In epistola Barnabæ Pater eum ante constitutionem mundi dicitur allocutus, consilii utpote et operis participem. Apostolos mittendo homines peccato obstrictos, "tunc palam fecit se esse filium Dei. Nisi enim venisset in carne, quomodo servati fuissemus nos homines, videntes eum? quandoquidem ii qui solem hunc, aliquando desiturum, opus manuum ejus, aspiciunt, non valent radios illius obtueri. Filius itaque Dei ideo in carne venit, ut summam imponeret peccatis eorum, qui ad mortem persecuti sunt Prophetas illius." τοτε ἐφανερωσεν ἑαυτὸν ὑιον θεοῦ ἔιναι. Εἰ γαρ μὴ ἦλθεν ἐν σαρκὶ, πῶς ἂν ἐσώθημεν ἀνθρωποι, βλέποντες ἀυτὸν. Extitit igitur antequam venerit in carne, estque rerum opifex, nam sol est opus manuum ejus ἡλιον ἔργον χειρῶν ἀυτȣ́.[5] Quæ ex Herma, et Clemente laudavimus, eum præextitisse plane ostendunt; imo Deus, Clementis et Ignatii testimoniis, exhibetur. Polycarpus, Episcopus Smyrnensis factus, anno circiter 96, martyr anno 169, Patrem cum Filio sempiterno et cælesti in vita et morte glorificabat; quem etiam universi fideles adorabant, uti jam, de martyrio Polycarpi agentes, ostendimus.

(1) Priestley per. II. § iv. p. 204.

(2) Vide Maranum l. iv. c. i. § viii. νους a Priestley dicitur p. 111. § vi. et a Petavio. l. i. de Trin. c. i.

(3) Confer Prov. c. viii. cum lib. 1. de leg. alleg. c. 52. Priestley fatetur Philonem Λογος a Scripturis derivasse: "The second of these principles, Philo, the learned Jew of Alexandria, called logos, a term borrowed from the Scriptures."

(4) Priestley per. II. Sect. iv. hist.

(5) Barn. ep. § v.

Refert etiam Plinius de christianis: "affirmabant hanc fuisse summam culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem."[1] Quomodo hæc cum Priestleii assertione constant?

230. *Obj.* 5. Ex Clementinis homiliis, quæ secundo sæculo prodierunt, quamvis fictæ narrationis speciem præbeant, vera colligi potest dogmatum christianæ ecclesiæ notio: attamen quæ iis continentur a Justini placitis longissime distant; quum enim Petrus dixisset eum qui natus est, Emmanuel, Deum fortem, in Scripturis appellari, animadvertit Mosen quoque Deum Pharaonis dici, quamvis nudus esset homo: "Nobis autem unus est Deus . . . cujus Christus filius est." Deinceps Simoni Mago respondit: "Dominus noster, neque Deos esse præter cunctorum opificem, pronuntiavit, neque se Deum esse prædicavit; sed eum qui ipsum dixerat Filium Dei constitutoris omnium, jure appellavit beatum. Respondit Simon: Non ergo tibi videtur eum qui ex Deo est, Deum esse? Et Petrus dicit. Qua ratione id esse possit effare. Hoc quippe nos tibi non possumus dicere, quoniam ab illo non audivimus."[2]

231. *Resp.* Explorata res est homilias illas esse supposititias, quod fatetur ipse Priestleius; quæ idcirco non possunt certi documenti fidei Christianæ habere auctoritatem. Ab Ebionita quodam eas confictas verosimile est, nam "Deum Judæorum" colendum docent, Christianorum nomen facetur, et alia Judaismi occurrunt vestigia. Mirum igitur non est fabulæ inventorem in ficta illa concertatione Petrum inter et Simonem Magum, exhibere Petrum Christi Dei explodentem dogma. Cæterum ex certis documentis, quæ ætate superant homilias, fides Christiana liquet.[3]

232. Liceat etiam ex operibus supposititiis quæ secundi sæculi fidem exhibent, Pseudo-Clementi respondere. Liber dictus *Testamenta* 12 *Patriarcharum*, quem citavit Origenes, quique sæculo saltem secundo extitit, a Judæo ad Christiana sacra traducto conscriptus, fidei quæ tunc vigebat documentum est, licet Patriarchis falsò sit adscriptus. In Testamento Simeonis dicitur: Τότε Σημ ἐνδοξασθήσεται, ὁτι κυριος ὁ θεὸς μέγας τῶ Ισραὴλ φαινομενος ἐπί γῆς ὡς ἀνθρωπος, καὶ σωζων ἐν αὐτῷ τον Αδὰμ.[4] Et paulò post: Ὁ θεος σῶμα λαβὼν, καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις ἐσωσεν αὐτοὺς.[5] Passim occurrunt in opere hoc dicta hujusmodi, ex quibus colligitur Christum agnitum esse magnum Deum Israelis, qui, corpore assumpto, salutem hominibus in cruce moriendo attulit.

(1) L. x. ep. 96.

(2) Clem. hom. xvi. § xv. xvi. Priestley etiam p 3. § iii.

(3) "The Greek Clementine homilies, a work apparently completed towards the end of the third century, and, to do it justice as a romance, a most splendid performance for style, plan, and argument. The vestiges however of Judaism are apparent." Clinch on Church Government, p. 404, note.

(4) N. 6. cit. a Marano, in opere de Div. D. N. J. C. l. ii. c. i. § iv.

(5) *Ibidem.*

233. Libri Sibyllini insuper ad secundum sæculum medium referendi sunt, criticorum judicio, et Christianæ fidei de Christo manifestò accommodati. In iis Christus magnus Deus passim appellatur, qui cælum condidit et terram, et in Virginis utero homo conceptus est.

Αὐτὸς ὁ γεννηθεις ὁ μέγας θεὸς.[1]

ANIMADVERSIONES.

234. Ex his quæ disputavimus constat Christum Deum verum agnitum fuisse ab ipsis rei christianæ exordiis, ipso se Deo Patri parem exhibente, quamvis originis ratione minor quodammodo haberi possit, et humana assumpta natura ipsis angelis minor factus sit. Deum autem unum esse semper docuit Ecclesia, ideoque unam utrique, Patri scilicet et Filio, ut interim de Spiritu Sancto sileamus, substantiam, naturam, et essentiam esse certo tenendum est. Id definientes Nicæni Patres Scripturarum tenuerunt veritatem, et fidem semel sanctis traditam, et perpetuo vigentem contra temeritatem humanam vindicarunt. Equidem ex scriptis ea occasione constat vetustos auctores, sanctissimos Ecclesiæ patres, concilium ejusque vindices fidenter appellasse, Arianis semper reluctantibus. Athanasius hos sic urget: "En igitur nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstramus; vos autem, o novi Judæi . . . . quos Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis? nullum certe prudentem et sapientem umquam proferitis."[2] Optime adnotat egregius doctor discrimen inter rationem qua de paschatis die censuerunt, et de fide mysterii: "De paschate quidem ita scripsere: *Decreta sunt quæ sequuntur:* tunc enim decretum est, ut omnes morem gererent; de fide vero nequaquam dixere: *Decretum est;* sed *Sic credit catholica Ecclesia* . . . ut declararent non recentiorum, sed apostolicam esse suam sententiam: quæque illi scripto tradidere, non ab illis inventa, sed ea ipsa sunt quæ docuerunt Apostoli."[3]

235. Jure optimo concilium vocem *ὁμοούσιον consubstantialem* adhibuerunt veluti fidei tesseram: nam certum jus habent Ecclesiæ præsules ea decernendi quæ ad depositi divini custodiam pro temporum varietate sunt necessaria: in ea autem temporum conditione, Arianis mira vafritie vocibus plerisque ambiguum tribuentibus sensum, easque ideirco ad fallendum usurpantibus, oportuit ea ratione fidem prædicare, qua eorum fraudi obviam iretur. Vocem illam admodum esse idoneam ex ipsius vi nativa patet; et multo magis ex Arianorum conatibus toties frustra repetitis ad eam tollendam. Sapienter igitur Nicæni patres eam sua auctoritate sanxerunt.

236. Liceret concilii definitionem de Christo Deo, Patri consubstantiali, vi auctoritatis quam ipse tribuit docendi quæ mandaverat vindicare, quod egregie præstitit Bullus, cæteroquin sibi non constans; si enim Christus docentibus in Ecclesia semper adsit, si cœtui episcoporum, qui Apostolo-

(1) L. vii. p. 659. cit. in opere prælaudato Marani § v.

(2) In lib. de decretis Nic. synodi, num. 27, p. 233, tom. i. edit. Bened.

(3) In lib. de Synodis Arimin. et Seleuc. n. 5.

rum tenent locum, suum det lumen, ut fidem divinitus revelatam tueantur; quo jure limes quidam divinæ pollicitationi ponitur, ut novatoribus a Tridentino concilio anathemate percussis, consulatur? Cæterum audiatur ipse eruditissimus fidei Nicænæ vindex: "In hac synodo agebatur de summo capite religionis christianæ, nempe, de personæ Jesu Christi Servatoris nostri dignitate; sitne ille ut verus Deus colendus, an in creaturarum, et rerum vero Deo subjectarum ordinem et censum redigendus. Si in hac maximi momenti quæstione toto cœlo errasse universos Ecclesiæ rectores, erroremque suum plebi christianæ persuasisse fingamus; quo pacto constabit fides Christi Domini nostri recipientis, se ad consummationem seculi Apostolis, adeoque eorum successoribus (nam cum promissio ad consummationem seculi se extendat, Apostoli autem tamdiu victuri non essent, omnino Christus in Apostolorum persona censendus est etiam successores ejus muneris compellasse) adfuturum?"[1]

237. Quod autem contendunt Unitarii, fidem de Christo Deo obtinuisse sensim sine sensu, ex altissima virtutum quibus effulsit admiratione,[2] certissimis documentis refellitur: liquet scilicet ab initio eum Deum fuisse agnitum. Summa cum injuria Christi instituunt comparationem inter cultus ejus progressum, et rationem qua idola per orbem olim coli cœperunt: constat enim eum coli ob divinam naturam quam sibi vindicabat miraculorum indiciis, et quam Apostoli ei tribuentes pari firmabant argumento. Id autem fateri coguntur Unitarii, a remota antiquitate fidem illam obtinuisse, et per orbem propagatam [3]

238. Atrocem calumniam patribus Nicænis intulit Joannes Clericus, eos Filium Patri consubstantialem prædicasse, eo sensu quo duo homines ejusdem sunt substantiæ, specie, scilicet, non numero; adeo ut tres dii ab iis agnoscerentur: sed quum unitas divinæ substantiæ fuerit semper in Ecclesia explorata, et inconcussa, liquet eos Deum de Deo Christum agnovisse, ob substantiam utrique communem. Formulam Nicænam fusius vindicavit Maranus, et Patrum mentem feliciter explicuit, sub finem egregii operis:[4] sed nobis ad alia festinantibus satis est fidem quam tradiderunt, ex Scripturis et primæva traditione propugnasse. Liceat Apostoli verbis hunc claudere tractatum: "Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Maran Atha."[5]

(1) Defensionis fidei Nicænæ Proœmium.

(2) Jesus and his Biographers, by W. H. Furness.

(3) "At an early period, the idea sprung up, and it has almost universally prevailed ever since, that the man of Nazareth was a super-human being—super-angelic, nay, the Supreme Being himself, the very God." Ibidem, p. 46.

(4) De div. D. N. I. C. l. iv. c. xxix.

(5) I Cor. xvi. 22.

TRACTATUS VI.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

PROŒMIUM.

1. De Christi divinitate speciali disseruimus tractatu, pro rei amplitudine, et majori hostium in eam impetu.[1] Eum a Patre distingui, et nihilominus ejusdem ac Pater esse substantiæ, eundem scilicet Deum, quamvis non eandem personam, ostendimus. Hæc quidem pertinent ad mysterium quod ipse nobis revelavit, trium in una divina natura personarum, ad quod jam progredimur, non quidem nostris viribus tantum arcanum scrutaturi, sed quod divinus docuit præceptor ab omni hominum temeritate vindicaturi.

2. Mysterium hoc, quod omnem humanæ mentis conceptum longe excedit, sola Dei revelatione innotescit, quamvis ratio ipsa suadeat divinam essentiam a rebus omnibus creatis infinito intervallo distare. Hinc Fulgentius animadvertit. "Quoties humanæ conditionis infirmitas semetipsam protinus cognitura, fines molitur aliquatenus suæ parvitatis excedere, atque cœlestis illuminationis prægnata conceptu, Conditoris sui ac Redemptoris inquisitionem cœperit parturire; sola, quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus."[2] Igitur eos somniare censemus qui ratione probari vel suaderi posse tantum arcanum existimant.[3]

(1) "Although the doctrine of the Trinity is ostensibly the main subject of dispute between Trinitarians and Unitarians, yet it is in reality respecting the character of Christ. Those who believe in his proper deity, very easily dispose of all the other difficulties in the Trinitarian system; while Anti-trinitarians find more fault with this doctrine than any other in the Trinitarian creed; and the grand obstacle to their reception of the Trinitarian faith is removed, when they can admit that Jesus Christ is God, as well as man So that the burden of labour on both sides is either to prove or disprove the proper deity of the Son of God."—History of all Religions, by David Benedict, *Trinitarians*, p. 71.

(2) Fulgent. l. ii. ad Trasim. c. i.

(3) "An essay on the doctrine of the Trinity, attempting to prove it by reason and demonstration," by Rev. James Kidd. London, 1815.

DOGMATIS EXPOSITIO.

3. Catholicum dogma verbis Augustini, quibus et majorum suorum fidem testatur, juvat explicare: "Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coæqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. Non tamen eandem Trinitatem natam de virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam et sepultam, tertio die resurrexisse, et in cœlum adscendisse, sed tantummodo Filium. Nec eandem Trinitatem descendisse in specie columbæ super Jesum baptizatum; aut die Pentecostes post adscensionem Domini, sonitu facto de cælo quasi ferretur flatus vehemens, et linguis divisis velut ignis sedisse super quemque eorum, sed tantummodo Spiritum Sanctum. Nec eandem Trinitatem dixisse de cœlo, *Tu es Filius meus*, sive cum baptizatus est a Joanne, sive in monte quando cum illo erant tres discipuli; aut quando sonuit vox, dicens, *Et clarificavi et iterum clarificabo;* sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam; quamvis Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Hæc et mea fides est, quando hæc Catholica fides."[1]

HÆRESUM RECENSIO.

4. Simon Magus, ipsa Apostolorum ætate, Valentinus, Montanus, Praxeas, aliique fidei desertores deinceps, dogma Trinitatis variis figmentis corrumpere et evellere studuerunt. Præ cæteris Sabellius, tertio sæculo Ptolemaide in Lybia natus, docuit eandem personam Patrem ob conditum mundum, Filium ob redemptionem, Spiritum Sanctum ob gratiæ opera vocari; quem errorem damnavit Concilium Alexandrinum an. 261. Michael Servetus, medicus Hispanus, decimo sexto sæculo, Trinitatem etiam impugnavit, ultimo idcirco damnatus supplicio, Genevæ, opera Calvini. Lelius Socinus, et Faustus, ejus nepos, Senis in Italia oriundi, eodem sæculo mysterium hoc cum cæteris rejecerunt, sectamque suo nomine donarunt.

5. *Priestleius*, Anglus, qui ultimo sæculo vixit, scientiarum laude ornatus, et post varias rerum vices, Northumbriæ in hoc ipso Pennsylvaniæ

(1) Aug. l. i. de Trinitate, c. iv. n. 7.

Statu, anno 1804 obiit, eorum adoptavit placita, ulterius forsan progressus. *Unitarii*, qui in *Statibus* orientalibus, Novæ Angliæ dictis, abundant, et per totam Americam fœderatam reperiuntur,[1] eum plerumque sequuntur. Patrem Deum unicum et supremum fatentur, Jesum autem Deum non esse, sed a Deo missum, Spiritum Sanctum esse nomen quo Dei efficacia designatur, non verò personam aliquam subsistentem contendunt.[2] Nomen *Unitariorum* affectant, ne hominis, Socini scilicet, habeantur sectatores, quamvis Christum, a quo vellent Christiani vocari, merum hominem plerique habeant. Insinuare etiam cupiunt Trinitatis cultores unitatem divinæ essentiæ tollere; quapropter iis aptissime conveniunt Tertulliani de Praxea ejusque asseclis verba: "numerum et dispositionem Trinitatis divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos et tres jam jactitant a

(1) "This name embraces most of the *Christian society* of this country; about one-third of the clergy, and one-half of the people among the Congregationalists in Massachusetts, and a few of this denomination in other states; the Shakers, and, as the Unitarians suppose, a considerable number both of the clergy and laity, among most of the denominations of Christendom." *Benedict's Hist. of all Religions, Recapitulation, p.* 358. De quo clero populoque intelligendus sit ex antea dictis patet: "Unitarianism of different shades is diffused pretty generally among the English Presbyterians, and considerably among the General Baptists in England; among the Lutherans in Germany, and probably more or less among all classes of Protestants; and Geneva itself, once the seat of Calvin and *orthodoxy!* is said to be almost entirely overrun with this sentiment. Germany has long been distinguished for the celebrity of her Unitarian divines."—*Ibidem, p.* 79.

In tractatibus Oxoniensibus, qui impræsentiarum adeo fama celebrantur, Presbyterianorum plerorumque in Anglia, Hibernia, sicut et Genevæ, errores contra Christum Deum, ad episcopalis regiminis rejectionem referuntur: "Can we any longer wonder at the awful fact, that the descendants of Calvin, the first Presbyterian, are at the present day in the number of those who have denied the Lord who bought them?—No. xlv. p. 331, edit. Americanæ. Altius repetenda est mali origo, ex eo scilicet quod Ecclesiæ auctoritas posthabita sit. Inde factum ut apud ipsos Anglicanos Hoadley, aliique, Socini imbuti institutis, præsules extiterint.—*Vide in ipsis tractatibus, n. xxii. p.* 145. In iis dicitur quinquaginta annos episcopali functus esse munere. Equidem ex Anglia in Germaniam sicut in Gallias, impietas illa est derivata: "It is a point well worthy of remarking, that according to some who know much of German literature, the mischief was occasioned by the importation of Deistical books and opinions from England."—Tract. 57. Causam prodit, sibi vix conscius sectam suam se damnare: "Could such a downfall so easily have taken place, had not the authority of the Primitive Church, as a witness and interpreter of holy writ, been intentionally disparaged from the beginning, and private, that is to say popular and fashionable judgment set up instead, for strictly Presbyterian purposes.—*Ibidem*?" Hæc Scripturas interpretandi ratio, *liberalis* aliquando dicta, ubique in regionibus Protestanticis mysteria christiana evertit: "has greatly tended to encourage a habit of explaining away the mysteries of the faith IN ALMOST ALL PROTESTANT COUNTRIES"!!! En arboris fructus!—*Ibidem, p.* 401.

(2) Vide Abstract of Unitarian belief, in Unitarian Miscellany, vol. i. pp. 12, 13.

nobis prædicari, se verò unius Dei cultores præsumunt; quasi non et unitas inrationaliter collecta, hæresim faciat, et trinitas rationaliter expensa veritatem constituat."[1]

DOGMATIS RUDIMENTA,

SEU

DOGMATIS IN VETERI TESTAMENTO REVELATIO.

6. Quamvis Trinitatis mysterium, Unigenito Filio ipso enarrante, maxime innotuerit, credendum et colendum, quod ad ejus dignitatem explicandam, et opus redemptionis æstimandum fuit necessarium et opportunum, non omnis tamen tanti arcani notitia pristinis hominibus denegata est. Equidem ipso Geneseos initio nomen plurale ad Deum designandum adhibetur, quod cum verbo singularis numeri conjunctum aptissime indicat personas in una natura divina plures esse. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים "In principio creavit Deus."[2] Id magis animadvertere est in iis quæ hominis creationem respiciunt, Deus enim ita loquens inducitur: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ "Et dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram."[3] Post Adæ lapsum exhibetur Deus vanam quam conceperat homo spem frustratam irridens: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ: "Et dixit Jehova Elohim: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est."

7. Novimus *Philologiæ* cultores dicere Hebræos pluralem numerum pro singulari quandoque usurpare, ad rei magnitudinem, et excellentiam denotandam, et nomina *appellativa*, præsertim quæ dominium notant, plurali numero aliquando poni:[4] sed ut prætermittamus doctissimi Glassii animadversionem אֱלֹהִים nomen *proprium* esse, id fidenter dicimus nullum adhuc exemplum prolatum, quod his quæ laudavimus vim detrahat: agitur enim de nomine plurali cum singulari verbo conjuncto, et de tota serie verborum. Quod ex libro Regum protulit Rosenmüller testimonium *parallelum* non est; nam David, populo sibique pœnas metuens, plurali singularique numero uti vicissim potuit: "incidamus, quæso, in manum Domini, quoniam multæ miserationes ejus sunt, et in manum hominis non

(1) L. adv. Praxeam. c. iii. Vide *Sermon on the Unity of God, by Thacher.* Boston, 1815, *Unitarian Miscellany*, et alia eorum opera passim. Thacher dicit: "Unless the proposition of the Trinity means that there are three Gods, it does not convey to me the smallest gleam of meaning."

(2) Gen. i. 1.

(3) Ib. v. 26. Vide dissertationem in hunc locum a P. Petro Curti S. J.

(4) Philologia Sacra a Glassio can. xxiv. xxv. in editione Dathii.

incidam:"[1] נִפַּלְתָּה נָּא בְיַד־יְהוָה כִּי־רַבִּים רַחֲמָיו וְאֶפְּלָה בְיַד־אָדָם Erat præterea ratio discriminis manifesta, quia pestis plurimos erat interemptura, dum hostium vis ipsum in fugam egisset.

8. Judæis placuit Deum consilium cum angelis habuisse de homine condendo; sed repugnat quod ad Dei imaginem, haud angelorum, homo conditus dicatur: וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ "Et creavit Deus hominem ad imaginem suam."[2] Ad eos directus est sermo, ad quorum imaginem creandus erat homo: hos autem divinas esse personas, et quidem singularis et unicæ naturæ, ex testimonio hoc liquet.

9. Rationalistis, qui angelos inter mentis figmenta recensent,[3] visum est Moysen Deum humanitus repræsentare, pro pristinæ ætatis simplicitate. Hanc narrandi rationem *scenicam*, *dramaticam*, *poeticam* vocant, nihil soliciti dummodo fidei arcana prorsus tollere valeant. Animadvertit Fürnesius neminem somniare Deum revera creando mundum locutum esse, ideoque quæ ab eo dicta referuntur, nonnisi à scriptore excogitari ad rem vividius repræsentandam. Quod igitur Deus hominem creaturus aliquos alloquens exhibeatur, consilium divinæ mentis de opere magni momenti, pro humanæ naturæ dignitate, pandere videtur.[4] Fatemur Deum voces non protulisse, humano modo, et sacrum scriptorem eas referre, ut divinam agendi rationem aliquatenus intelligamus: sed fundamentum sermones illos Deo tribuendi in ea exquirere necesse est, nisi velimus finxisse Moysen, nobisque illudere statuisse. Nullum poeseos indicium in creationis relatione occurrit, sed rerum omnium origo ratione simplicissima exponitur. Immane est discrimen inter divinorum operum narrationem, et humanorum colloquiorum a dramatis vel historiæ scriptoribus descriptionem.

10. Quod alii finxerunt, Deum magni principis instar, plurali uti nume-

(1) II. Reg. (apud Hebræos Samuel. ii.) xxiv. 14. Vulgatus interpres septuaginta secutus, discrimen numeri neglexit; nisi placeat codices variasse: sed sensus omnino servatur

(2) Gen. i. 27.

(3) "The term, 'angel,' was by no means synonymous, in the Hebrew use of the word, with a visible, personal shape. Whatever appeared at the moment to be an instrument in the hands of Providence was considered and spoken of as an angel." Ita Furnesius christiano nomine scripturas evertens. p. II. c. iv. p. 181.

(4) "According to the poetic and scenic style of the primitive period, when this account of the creation was written, God is described as speaking—as addressing directly the objects created. But when the writer comes to the creation of man, he shews his sense of man's dignity, and his superiority to the other works of God, by representing the Deity as first planning this, his best work, before he created it. To express this idea, God must be introduced as *telling* what he is about to do; and if so, then such a form of speech must be adopted, as would imply the presence of some being or beings, to whom the plan of the Divine mind was communicated; otherwise all the effect of representing the Deity as speaking, might, to an imaginative mind, be lost." Jesus and his Biographers, p. II. ch. vi. p. 228. Note.

ro, a pristinæ ætatis simplicitate longe est alienum : nec nodum solvit, nam singularis numeri verbum cum pluralis formæ nomine conjungitur, et specialis prorsus est de Deo et divinis operibus loquendi ratio.

11. Illud quoque præ cæteris habendum est insigne plurium in Deo personarum documentum, quod Christus ipse adhibuit, Pharisæos interrogans quomodo David, divino Spiritu afflatus, Deum exhibeat Dominum suum alloquentem, si Christus, ab ipso David prognatus, divina careret origine : " Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?" Vim hujus testimonii inde liquet quod " nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare."[1]

12. Plura alia occurrunt in Veteri Testamento quæ Verbum divinum et Spiritum Sanctum spectant.[2] Equidem constat de Spiritu Sancto Joannem Baptistam sæpius fecisse mentionem, quin Judæi adstantes commoverentur; quod contingere vix poterat, nisi aliqualem illius notitiam, e divinis libris et majorum suorum traditione derivatam, habuissent. Consonum etiam fuit divinæ sapientiæ ut indicia quædam in veteribus libris sacris mysterii trium in Deo personarum darentur, quæ inservirent fidei conciliandæ doctrinæ clarius a Filio Dei, in carne apparenti, propositæ. Docti homines Catholici et Acatholici Judæorum antiquam sententiam sæpius illustrarunt, et novissime Drach, qui e Judæo factus est Christi discipulus.[3]

DEFINITIONES.

13. In tanto mysterio tractando accurata vocum significatio maxime attendenda est : ideo præcipuas definiendas in limine duximus,[4] quædam jam dicta repetere haud inutile judicantes.

14. *Essentia* rei alicujus est id quo res est et constituitur. Sic hominis essentia in anima rationali cum corpore conjuncta reponitur. Dei essentia in ipsa existendi necessitate, quæ omnem perfectionem includit, meritò a plerisque agnoscitur. Οὐσια apud Græcos essentiam designabat, et aptissime divinam essentiam, est enim Deus *Ens* τὸ ὄν, idque nomen sui proprium esse Moysi declaravit. Vox autem illa latius sæpe usurpata est, pro *persona* scilicet, antequam Ecclesiasticus usus vocibus definitam significationem alligasset.

(1) Matt. xxii. 46.

(2) Vide hæc apud Petavium de Trinitate l. ii. c. vii.

(3) Vide *deuxieme lettre d'un Rabbin converti.*

(4) Qui voces eruditissime, pro more, explicatas et illustratas videre velit adeat Petavium *de Trinitate,* toto fere libro iv. Ex *dissertatione prævia tractatui de Trinitate,* in tomo viii. cursus completi Theologiæ, Parisiis hoc anno, 1839, edito, nonnullas mutuati sumus definitiones.

15. *Existentia*, ὑπαρξις Græce, prædicatur de ente actu posito. Dei essentia est ut existat.

16. *Natura*, φυσις apud Græcos, aliquando idem sonat ac essentia: aliquando entis indolem, ac certam constitutionem. Perrone eam definit "principium actionis, ac operationum rei intime inhærens."

17. *Substantia*, cui respondet Græce ὑποστασις, rem significat, quæ alia non indiget ut ei inhæreat. Cæterum jam a sæculo quinto vox græca ad subsistentiam designandam determinata est Ecclesiasticorum scriptorum consensu. Essentiæ, naturæ, substantiæ Dei nullum est discrimen.

18. Substantia *incompleta* dicitur "quæ non est sui juris, quia videlicet venit in compositionem alterius, qua veluti terminetur, cuique tribuuntur ipsius operationes et affectiones: v. g: corpus humanum est substantia incompleta." Substantia *completa* intelligitur quæ sui est juris, seu sui suarumque operationum et affectionum domina, vel potius principium, nec enim libertas necessariò requiritur. "Si substantia completa rationis est expers, dicitur *suppositum*, ut agnus, liber: si verò rationalis dicitur *persona*."

19. *Persona* igitur "definiri potest substantia intelligens, et sui juris." "*Personalitas* est ratio constitutiva personæ, seu ille existendi modus quo fit ut substantia intelligens sit sui juris." *Subsistentia* eodem sensu sumitur, quamvis ad *supposita* plerumque referatur: ὑποστασις jam usu ecclesiæ ad personam designandam determinatur, quamvis προσωπον vim Latinæ vocis accuratius exprimat.

20. *Principium*, dum de divinis personis est sermo, est illud quod in se habet rationem alterius: v. g: Pater est principium Filii. Distinguitur a *causa*, quæ dat originem rei alteri natura distinctæ. Contigit tamen vocem hanc pro principio aliquando usurpatam esse.

21. *Generatio* est "actio qua ens aliquod vivens ex sua substantia alterum producit, item vivens, et vi productionis natura simile sibi." *Processio* in divinis est unius personæ ab altera, vel a duabus aliis, origo. Sic Filii a Patre origo, *processio*, vel *generatio passiva* dici potest. Spiritus Sancti origo ab utroque *processio* proprie dicitur: nec enim gignitur, sed ineffabili alia ratione procedit.

22. *Relatio* est unius ad alterum respectus. Quæ inter divinas personas intercedit relatio, dicitur *essentialis*, *intrinseca* et *immanens*; quia ad essentiam divinam intime pertinet, et in ea consistit, numquam desitura.

CAPUT I. DE SPIRITU SANCTO.

23. Probata jam Filii divinitate, de Spiritu Sancto, qui tertia est Trinitatis persona, tractandum videtur, antequam ipsum trium personarum in una divina natura mysterium probemus: quum enim de Patre nulla sit controversia, si duas alias personas divinæ naturæ consortes ostenderimus, tres in Deo personas esse fateatur quisque necesse erit. De Spiritu Sancto autem eo magis agendum est, quod jam non ejus divinitas tantummodo impugnetur, sed eum esse et subsistere negent Unitarii, veterum hæreticorum plerorumque impietatem longe prætergressi.

24. Fuerunt quidem, ipsa Ignatii M. ætate, qui Spiritum Sanctum esse negarent; ex quibus nonnulli Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum eundem esse dicebant.[1] Horum vestigia pressere plures ante Arii tempora; qui quum Filii divinitatem impugnaret, Spiritum Sanctum creaturis pariter ascensebat.[2] Totas tamen vires contra Filium direxit; quapropter nonnisi post ejus obitum vehementes in Spiritum Sanctum fuerunt sectatorum ejus impressiones. Variæ, pro hæreticorum more, fuerunt sententiæ, "nam alii ἐνέργειαν meram, id est, efficientiam esse dicebant: alii creaturam: alii Deum: alii cuinam attribuendus esset generi ignorabant."[3]

25. Macedonius Semiarianus, qui Arianorum opera ad sedem Constantinopolitanam pervenerat, sæculo quarto medio, dogmati insidias struxit: neque Deum appellare volens, neque creaturam ausus dicere, id tamen insinuans; quod plures ex ejus asseclis aperte profitebantur. Alexandrina synodus, præside Athanasio, Spiritum Sanctum Deum esse docuit:[4] synodus Illyriciana etiam, anno circiter 367, ejus divinitatem vindicavit.[5] "De quæstione certior factus episcopus Romanus, *(Liberius,)* scripsit ad Orientis Ecclesias, ipse cum Occidentis episcopis, ut Trinitatem colerent ejusdem substantiæ, ejusdemque gloriæ. Quo perfecto, tamquam re semel a Romana Ecclesia dijudicata, singuli acquieverunt."[6] Macedonianus error in concilio Constantinopolitano, anno 381, profligatus est; sicut et in Romano, idem sub tempus habito, Damaso præside.

26. Unitarii hodierni, longius progressi, negant Spiritum Sanctum ulla-

(1) Ep. ad Trallianos.

(2) Ita testatur Epiphanius in hær. 69. N. 52. 56. Ambrosius lib. de symbolo c. 2. Augustinus l. de hær. c. 69.

(3) Gregor. Naz. Orat. 37 de Spiritu S.

(4) In ep. Synod ad Antiochenos apud Athanasium, et apud Socratem l. iii. c. 7.

(5) Apud Theodoret. l. iv. hist. c. 7. et seq.

(6) Sozomen. l. vi. c. 22. μαθὼν ὁ Ῥώμης ἐπίσκοπος ἔγραψε ταις ἀνὰ την ἕω ἐκκλησίαις, σὺν τοῖς ἀπὸ της δύσεως ἱερεῦσι, τριάδα ὁμοούσιον καὶ ὁμόδοξον πρεσβεύειν. τούτῳ δε γενομένῳ, ὡς ἐπι κεκριμένοις ἅπαξ παρὰ της Ῥωμαιων ἐκκλησίας, ἡσυχίαν ἦγον ἕκαστοι.

tenus subsistere; et vocibus illis Dei virtutem designari contendunt:[1] "illam nimirum virtutem, per quam Deus omni tempore fideles suos sanctificat, ac divinis donis replet."[2] Igitur oportebit imprimis ostendere Spiritum Sanctum veram esse personam, a Patre et Filio distinctam, quippe qui vere subsistit. Hoc quum perfecerimus, eum verum esse Deum, Patri Filioque consubstantialem, eundem scilicet Deum, ostendemus. De eorum qui dicuntur *Shakers* errore, qui Spiritum Sanctum voce fœminini generis designant, et per *Annam Lee* pleniorem revelationem factam quam a Jesu Christo affirmant, agendum haud censemus: adeo abhorret hoc hæresis portentum ab omni christianorum sensu atque sententia.[3]

PROPOSITIO.

Spiritus Sanctus per se subsistit, a Patre et Filio vere distinctus. Probatur, ex Scripturis.

27. Fuse de Spiritu Sancto post ultimam cœnam Apostolos allocutus est Christus: "Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit et in vobis erit." . . . "Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis."[4] "Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis."[5] "Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. . . . Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis."[6]

(1) "The Holy Ghost is a most significant term, to express conveniently in one word all those miraculous interpositions and influences, separately from the particular instrumentality of Jesus on earth, which God exerted in the earthly establishment of the Gospel, and has exerted, and will exert in its propagation." Unitarian Misc. vol. v. p. 209.

(2) Wolzogenii declaratio duarum sentent. c. i.

(3) "They believe that there is in Deity, two incomprehensible primary principles, corresponding with male and female, as Father and Mother." Benedict's *history of all Religions.*

(4) Joan. xiv. 15. et seq.

(5) Joan. xv. 26.

(6) Joan. xvi. 7.

Hæc omnia plane designant personam subsistentem, a Patre et Filio distinctam : nec, nisi manifestissima vi illata, possunt de mera virtute divina intelligi. Nullum in adeo continuato sermone allegoriæ vestigium reperitur ; sed e contra tota orationis series suadet de persona audiente, docente, et omnia peragente, quæ personæ sunt propria, agi.

28. Ubique Spiritus Sanctus persona exhibetur. De Apostolis, eo eorum mentibus illapso, dicitur : "repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis."[1] Dat igitur, pro summo suo arbitrio, et potestate, linguarum, sicut et rerum divinarum, scientiam.

29. Petro jussit Spiritus Sanctus ut Cornelium adiret : "Surge itaque, descende, et vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos."[2] Hæc eum vocantem Cornelium, mittentem nuntios, Petro jubentem, ostendunt; quæ personam vere subsistentem notant.

30. Ministrantibus Domino Antiochiæ quibusdam prophetis et doctoribus, dixit illis Spiritus Sanctus : "Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos . . et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam."[3] Est igitur Spiritus Sanctus persona suam revelans voluntatem, et homines mittens ad sacris fungendum muneribus.

31. Scripturarum testimoniis, quæ numero et claritate insignia sunt, Patrum, conciliorumque documenta adjicere liceret; sed quum ea, sicut et alia plura ex Scripturis desumpta, adducendi opportunior erit occasio, dum de divinitate Spiritus Sancti agendum fuerit, ea impræsentiarum prætermittimus.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

32. *Obj.* 1. Spiritus Sanctus *virtus Dei* δύναμις ὑψίστου, *digitus Dei* ἐν δακτύλῳ θεου, *donum Dei* τὴν δωρεὰν του θεου, in Scripturis appellatur : ergo res quædam ἐνεργεια, non autem persona, designatur.

33. *Resp.* Spiritus Sanctus nonnumquam in Scripturis sumitur pro effectu quem ipse producit : sed plurima sunt testimonia in quibus ipse Spiritus, veluti divina persona, revera subsistens, designatur. Equidem non constat de eo esse sermonem apud Lucam eo loci quo δύναμις ὑψίστου obumbratura Virgini Mariæ ab Angelo dicitur ;[4] quum enim πνεῦμα ἅγιον præcedat, articulo omisso, sunt qui putant divinæ Verbi personæ illapsum in uterum, assumptione carnis, significari. "Virtus Altissimi Dei," inquit Gregorius Nyssenus, "qui est Christus, per adventum Spiritus Sancti,

(1) Act. ii. 4.
(2) Act. x. 26.
(3) Act. xiii. 2. 4.
(4) Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Luc. i. 35.

formatur in Virgine."[1] Non tamen repugnamus, ut ipse Spiritus Sanctus intelligatur, cujus fœtus in Mariæ utero formatus est: sed nihil nos cogit ut secundum sententiæ membrum veluti prioris meram repetitionem habeamus, quum divinus Spiritus descendentis influxus aptius innuatur. Cæterum si ipse Spiritus utroque loco accipiatur, illa designatio non potest obstare ne persona habeatur, tot aliis suffragantibus testimoniis.

34. Quod, referente Luca, "in digito Dei"[2] Christus ejiciat dæmonia, "in Spiritu Dei" ἐν πνευμάτι θεοῦ a Matthæo redditur: nec tamen sequitur Spiritum Sanctum esse meram Dei potentiam, quæ utroque loco significari videtur, articulus quippe, quo Spiritus Sanctus plerumque designatur, deest. Cæterum ex malitia qua divina illa prodigia Pharisæi dæmoniacæ operæ adscribebant, Christus sumpsit occasionem eorum exaggerandi crimen, qui sic in ipsum Spiritum Sanctum erant contumeliosi: "Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro."[3] De Spiritu Sancto ipso plane loquitur: ἡ δὲ τοῦ Πνέυματος βλασφημία . . . κατὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, eumque personam divina fulgentem majestate exhibet, quam violare summum est et inexpiabile scelus. Hæc de vi, aut re inanima, intelligere perabsurdum est.

35. In *Actis Apostolorum*[4] Petrus refertur Simoni mago prædixisse interitum, quod donum Dei τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ, potestatem scilicet quam petierat impertiendi manuum impositione Spiritum Sanctum, existimasset pecunia comparari posse. Non ipsum Spiritum Sanctum donum Dei vocari, sed potius illam potestatem, inde colligitur.

36. *Obj.* 2. "Christus a discipulis suis discessurus præcipit eis, ut maneant in urbe Hierosolyma *donec induantur virtute ex alto*, id est donec accipiant Spiritum Sanctum. Luc. 24. 49. Actor. 1. 8. Vocatur autem Spiritus iste Sanctus, quia fideles per eum sanctificantur, et quia Deus per eum sanctissima et excellentissima opera perageie solet." Wolzogen.

37. *Resp.* De Lucæ loco jam egimus. Virtute ex alto induti erant Apostoli, Spiritu Sancto in eos illabente, lumen, fortitudinem, viresque ut impertiretur. "Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis."[5] Non indignum animadversione est omitti articulum priori loco, poni posteriori, quo innui videtur discrimen inter gratiam et dona Spiritus, quibus repleti sunt Apos-

(1) Orat. in diem Natalem Christi t. II. p. 780. cit. a Petavio de Trinitate l. iii. c. vi. § iv.

(2) Luc. xi. 20.

(3) Matt. xii. 31.

(4) Act. viii. 20.

(5) Act. ii. 4.

toli, et Spiritum ipsum qui ea dabat: ἐπλήσθαν ἅπαντες Πνεύματος ἁγίου . . . . τὸ Πνεῦμα ἐδίδου. Ideo pollicitus erat Christus: "accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos."[1] Hic plane distinguitur virtus a Spiritu, tamquam effectus a causa: λήψεσθε δύναμιν, ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς. Ipse sanctificat fideles: "sanctificati estis . . . in Spiritu Dei nostri."[2] Iis est præstantissimorum operum auctor; nam ab eo ipsi moventur et aguntur. Hæc de mera ἐνεργεια cogitare absonum est.

38. *Obj.* 3. Pro rudioris ævi ingenio vis Dei in hominum animas concipiebatur et describebatur, veluti natura quædam a Deo prodiens, et subsistens.

39. *Resp.* In more positum est Rationalistis testimonia Scripturarum maxime perspicua explicare, vel potius evertere, rudioris ævi indolem, et cogitandi et scribendi rationem allegando, et pleraque ad mythos et allegorias referendo: sed quod nullo documento nititur, temere affirmatur, et jure optimo denegatur. Quæ adduximus testimonia non vulgi errorem, vel scriptorum ipsorum notiones temere haustas exhibent; sed Christi Domini doctrinam et promissiones, quibus Apostolica de Spiritu Sancto sententia et fides innitebatur.

40. *Obj.* 4. Columbæ instar, Spiritus Sanctus in Christum descendere dictus est, quia Joanni Christus baptizatus divina repleri virtute visus est: forte autem fortuna contigit ut columba circumvolans capiti Christi insidere fere videretur.[3] Non igitur concludere inde licet Spiritum Sanctum personam esse.

41. *Resp.* Pro lubito fingunt Unitarii et Rationalistæ, sibique credi postulant, dum simplicem et certam Evangelistarum narrationem ad figmenta sua detorquent. Profectò dicit Matthæus, baptizato Christo: "ecce aperti sunt ei cœli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se."[4] Id verbis fere eisdem testatur Marcus. Luca referente: "descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum." καταβῆναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστεραν, ἐπ' αὐτον.[5] Joannes Evangelista affirmat Baptistam id cœlitus sibi datum Messiæ indicium declarasse.[6] Qui hæc omnia inter phantasiæ figmenta recensent, sua omnia nobis pro certissima historia obtrudunt.

42. *Obj.* 5. Apostoli Spiritus Sancti persona repleti dici non potuerunt: "quomodo enim Spiritus Sanctus, omnipræsens, modo locali animos hominum occupare dici poterit? Igitur *repleri Spiritu Sancto* erit, operante et adjuvante Deo aliquid agere." Liquet Dei vim intelligi quæ Apostolos

(1) Act. i. 8.
(2) I. Cor. vi. ii.
(3) Jesus and his Biographers, p. ii. ch. iii. p. 153.
(4) Matt. iii. 16.
(5) Luc. iii. 22.
(6) Joan. i. 32, 33.

roboravit. "Quasi flammulæ ignis" visa est, scilicet verosimile est "electreas scintillas visas esse, quæ alias etiam conspiciuntur, et hominibus insidere, nec tamen urere, solent."[1]

43. *Resp.* Divina quidem virtute repleti sunt Apostoli, Spiritu ipso Sancto corda ipsorum roborante: nec ideo modo locali animos hominum occupat, nec enim loco movetur vel continetur, sed ob specialem influxum gratiæ suæ et virtutis, in cordibus justorum, tamquam in templis, habitare dicitur: "Nescitis," sic Paulus interrogabat Corinthios, "quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?"[2] "An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?"[3] Quæ de flammulis Rosenmüller post Michaelem profert, ridenda potius sunt quam refellenda: manifesto enim tollunt divinæ potentiæ miraculum quod Lucas commemorat. Nec mirum Rationalistas notitiam alienarum linguarum Apostolis negare concessam, et cætera omnia divinæ virtutis indicia et effectus suis interpretationibus in irritum mittere: sed præstat ingenue et aperte sacrum scriptorem accusare mendacii.

44. *Obj.* 6. "Quod Spiritus Sanctus ne quidem persona omnino sit, præter alia documenta, vel ex eo satis intelligitur, quod alioqui Christus Spiritus Sancti Filius, et Spiritus Sanctus Christi Pater foret." Ita Wolzogenius post Crellium.

45. *Resp.* Spiritus Sanctus non est dicendus Pater Christi, quamvis ejus opera Christus conceptus sit. Patris appellatio designat eum qui ex sua substantia alium similem sibi gignit: quod divinæ Spiritus Sancti operationi, qua corpus Christi formatum est in Virginis utero, non convenit. Hæc quidem tribus personis communis fuit, sed Spiritui Sancto præsertim adscripta, eo quod bonitas et sanctitas, quæ consueverunt, speciali quadam ratione, ei tribui, in ea effulgeant. Non ideo Pater nuncupatur, quod divinitus conceptus sit Christus; sed quod ex utero ante luciferum eum genuerit, ex sui substantia. Nec Christus ideirco Filius est Dei, quod divina illa Spiritus Sancti operatione conceptus sit, sed ob ipsam generationem æternam Verbi, quod humanam naturam assumpsit. Verba angeli jam ostendimus eam accipere explicationem, qua Christus Filius Dei prædicandus foret ob unionem illam *hypostaticam*. Liceat hic adjicere sapientissimam Petavii animadversionem, ex concordia eventus cum Isaiæ vaticinio, virginem concepturam et parituram filium, jure optimo angelum dicere, ideo Mariæ filium vocandum esse Filium Dei, quia qui ita concipiendus et nasciturus prædictus est, Emmanuel, scilicet Deus nobiscum, erat nuncupandus.[4] Mira est inter vatis et angeli verba concentio.

(1) Rosenmüller in loca.
(2) I Cor. iii. 16.
(3) I Cor. vi. 19.
(4) De Trinitate, l. iii. c. vi.

46. *Obj.* 7. De rebus inanimis passim loquuntur sacri scriptores tamquam de personis. Sic Paulus de caritate prolixo sermone disserit: "non quærit quæ sua sunt."[1] Peccatum dicitur seducere et occidere, lex loqui, sanguis et aqua testari, sanguis Abel clamare, cœli enarrare Dei gloriam. Imo dicit Psaltes: "Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt."[2] Ita objicit Wolkelius.

47. *Resp.* Non diffitemur sacros scriptores passim uti metaphoris atque figuris. De his autem universim dici potest, earum usum non esse legitimum, nisi vel ipsa rei natura, vel communis loquendi usus earum sensum plane indicet. In objectis quidem locis nemo, licet rudis, falli potest, adeo manifestæ sunt, et communi usu veluti tritæ figuræ: quum e contra tam constans sit sermo de Spiritu sancto sanctificante homines, loquente, docente, mittente, ut nemo, nisi vi verbis illata, intimo sensu repugnante, ea omnia ad rem inanimam, vel meram ἐνεργειαν, referre queat.

48. *Obj.* 8. Divina vis vel *Verbi* nomine דָּבָר, veluti vox a Deo prolata, vel halitus sub imagine, רוּחַ in Scripturis exhibetur. "Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum."[3] Pro more sacri vatis eandem sententiam utroque membro enuntiat; de persona nequaquam canens.

49. *Resp.* Potius dicendum Psaltem eo loci trium personarum opus in mundi creatione celebrare, uti S. Irenæus olim animadvertit.[4] Quod si quis tantam vim iis inesse vocibus deneget, saltem nihil inde colligi potest quod Verbi et Spiritus Sancti subsistentiam, tot aliis ex testimoniis manifestam, evertat.

(1) I Cor. xiii. 5.
(2) Ps. xxii. 4.
(3) Ps. xxxii. 6.
(4) L. i. adv. hær. c. xix. in edit. Massueti, xxii.

CAPUT II. DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

50. Quæ Spiritum Sanctum subsistere probant, ea pleraque divinam ejus naturam ostendunt: quam tamen quum vehementius impugnaverint et veteres et recentiores hæretici, specialius vindicare oportet.

PROPOSITIO.

Spiritus Sanctus verus est Deus, ejusdem ac Pater et Filius substantiæ, idem Deus.

Probatur I. ex Scripturis.

51. Christus, Apostolos mittens ad docendum et baptizandum gentes, dixit: "baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti."[1] *βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα του πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.* Liquet de Patre, Filio, et Spiritu Sancto, eadem ratione, et cum eadem emphasi, sermonem hic fieri, et baptismum iis invocatis administrandum. Quum autem baptismus fiat in remissionem peccatorum, Spiritus Sancti auctoritate, pariter ac Patris et Filii, ablui peccata constat. Est igitur Deus, cujus est peccata delere. Præterea credenti administrandus est baptismus; ideo enim præcedit prædicatio et doctrina, ut qui Evangelium audiunt, credentes baptismo Ecclesiam ingrediantur. Ergo in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, pariter credendum, utpote ejusdem potentiæ, naturæ, et majestatis.

52. Audiatur Faustinus præclare hac de re disserens: "Cum præcipit Dominus, ut gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizentur, apertissimum est Spiritum Sanctum non esse creaturam, vel ex ipsa societate, quæ illi una cum Patre et Filio est: vel quod numquam præciperet Dominus, ut in creaturæ nomine aliquis baptizaretur. Multum enim divinæ potentiæ derogaretur, si cum confessione divini nominis, par quoque creaturæ confessio poneretur. Et bene, quod unum nomen posuit dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis, et perfectæ Trinitatis."[2]

53. Illustre divinæ Spiritus Sancti majestati testimonium tulit Christus, occasione desumpta ex malignitate Pharisæorum, divina quæ patrabat prodigia dæmonum principi tribuentium. Hanc blasphemiam contra Spiritum Sanctum dixit; non enim humanæ ejus naturæ tantum detrahebant, sed virtuti et majestati divinæ, Spiritui ipsi Sancto quo repletus erat, et cum quo, in unitate divinæ naturæ, conjungebatur. "Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum

(1) Matt. xxviii.
(2) L. contra Arianos.

Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro."[1] Ergo gravissimum est crimen in Spiritum Sanctum peccare: ergo Deus est.

54. Petrus Ananiam, fallaciter de pretio agri agentem, mendacii in Spiritum Sanctum arguit, eumque idcirco dicit Deo mentitum: "Ananias, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? . . . Non es mentitus hominibus, sed Deo."[2] Mendacium coram Petro protulerat Ananias; sed illud habuit Petrus veluti Spiritui Sancto dictum, vel quod ille vovisset se totum agri pretium Deo dicaturum, vel quod Apostolo, ex Spiritus Sancti lumine agenti, mentitus esset. Ideo autem Deo mentitus dicitur, quia Spiritum Sanctum veluti fallere mendacio tentasset. Ergo Spiritus Sanctus Deus est.

55. Missio et auctoritas Apostolorum Spiritui Sancto tribuuntur: quos tamen pro Deo legatione fungi constat. Saulum et Barnabam segregatos jam vidimus, Spiritu Sancto jubente, in opus in quod eos elegerat. Sic Paulus testatur episcopos a Spiritu Sancto constitutos esse, ut pascant regantque Ecclesiam: "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei."[3] Equidem constituere Ecclesiæ rectores, divinamque eis impertiri auctoritatem, Dei solius est.

56. Rerum præscientiam, earumque revelationem, Spiritui Sancto tribuit Apostolus: . . . "Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent."[4]

57. Quæ Isaias de Deo se mittente dixit, gloria Jehovæ visa, Apostolus de Spiritu Sancto interpretatur: "Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum . . . et sanem eos."[5] Dominum Deum Israel, qui locutus est per os prophetarum, celebravit Zacharias;[6] et Spiritu Sancto impellente eos vaticinia scripto retulisse dicit Petrus.[7] Est igitur ipse Jehova, Deus Israel.

58. Revelationem ad Spiritum Sanctum refert Apostolus, ei plenam notitiam omnium arcanorum tribuens. Fidei mysteria a sæculo abscondita, utpote vim intellectus humani superantia, dicit, adjungens: "Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est: ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei."[8]

(1) Matt. xii. 33.
(2) Act. v. 4.
(3) Act. xx. 28.
(4) Ibid. 23.
(5) Ibid. xxviii. 25. Isaiæ, vi. 9.
(6) Luc. i. 68. 70.
(7) II Pet. i. 21.
(8) I Cor. ii. 10.

59. In eo sita est vis hujus comparationis, quod sicut mens humana tantum sibi conscia est suorum arcanorum, sic et Spiritus Dei novit divina arcana: qua ratione etiam intimus nexus Spiritum Sanctum inter et Patrem ostenditur, et divinæ essentiæ, utrique, sicut et Filio, communem, unitas: deficit autem, sicut pleraque a rebus naturalibus ad divina translata, quatenus Spiritus Sanctus vere a Patre distinguitur, quum Spiritus humanus pars sit hominis. Æqualitas autem Spiritus Sancti Patri inde sequitur, quum tanta Dei notitia inferiori tribui non possit: "quia nemo inferior superioris scrutatur arcana; divinæ enim solius est potestatis arcana novisse."[1]

60. Totam doctrinam Apostolorum ex Spiritu Sancto intus eos docente pendere, Christus ipse testatus est, pollicens eum docturum eos omnem veritatem. Ergo Spiritus sanctus infinita pollet scientia, estque erroris prorsus nescius: proinde Deus est.

61. Sanctificatio hominis Spiritui Sancto tribuitur: "justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri."[2] Omnia opera divina pro summo arbitrio dicitur peragere: divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. . . . Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult."[3] Ipse igitur Spiritus qui omnia operatur in omnibus est Deus. Ita aliàs: "Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?"[4] "An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?"[5] Templum igitur Dei sunt fideles, quia templum sunt Spiritus Sancti, quem habent a Deo, et qui ipse Deus est.

62. Liceat hæc ex Scriptura argumenta verbis Fulgentii summatim recensere: "Dicatur, igitur, si cælorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus: si potest vivificare, qui non est Deus: si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus: si potest charitatem tribuere, qui non est Deus: si potest in credentibus habitare, qui non est Deus: si potest gratiam dare, qui non est Deus: si potest membra Christi habere, qui non est Deus; et digne Spiritus Sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur si ea quæ de Spiritu Sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere; et dignè Spiritus Sanctus dicetur creatura. Si autem hæc creaturæ

(1) Ambros. l. 2. de Sp. S. c. 12.
(2) I. Cor. vi. 11.
(3) I. Cor. xii. 6.
(4) I. Cor. iii. 16.
(5) I. Cor. vi. 19.

possibilia numquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu Sancto, quæ tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire: ac sic ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis, nec quisquam dubitet Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, personarum trinitate servata, unum Deum naturaliter dicere, qui potuit universa sola voluntate condere; qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare; qui omnia potest immensitate divinitatis implere."[1]

Probatur II. Ex traditione divina.

63. Justinus, loco jam citato, Patrem, et Filium, cum comitante Angelorum exercitu, et Spiritum propheticum coli et adorari testatur: πνευμα τε το προφητικον σεβομεθα, και προσκυνεμεν.[2]

64. Athenagoras: "Ipsum illum Spiritum Sanctum, qui in prophetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus, emanantem et redeuntem veluti radium solis. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant?" Liquet Spiritum Sanctum, licet Deus non vocetur, Patri et Filio conjungi εν τη ἑνωσει, eumque agnosci vaticiniorum auctorem, qui scilicet cælesti lumine ævi futuri arcana panderit. Radii autem emanantis et redeuntis similitudo ab Athenagora adhibita est, ut intelligeretur Spiritum procedere, quin separetur.

65. S. Irenæus dicit "per manum Patris, id est, per Filium et Spiritum Sanctum factum esse hominem, secundum similitudinem Dei."[3] Afflatum autem, quo homo vivere cœpit, Deo naribus suis spiritum vitæ spirante, ab ipso divino Spiritu distinguit: "Aliud est afflatus vitæ, qui et animalem efficit hominem; et aliud spiritus vivificans, qui et spiritalem efficit eum." . . . . "Esaias distinguens ea quæ prædicta sunt, ait, spiritus enim a me exiet, et flatum omnem ego feci. Spiritum quidem proprium in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum: afflatum autem communiter in conditione et factura ostendens illum. Aliud autem est quod factum est ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis, spiritus autem sempiternus."[4] Igitur Spiritus ille Sanctus quem Deus novissimis temporibus effudit, est sempiternus, hominis conditor, et animæ vitam impertitur, Deus idcirco habendus. ἐν θεῷ, vel εἰς θεὸν λογίζομενος.

66. Tertullianus: "Duos definimus et Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto . . . Duos tamen Deos, et duos Dominos numquam

(1) Fulgentius l. iii. ad Trasimundum c. 35. cit. a Petavio l. ii. de Trin. sub finem. cap. ult.

(2) Apol. i. (alias ii.) n. 6.

(3) L. v. adv. hær. c. 6.

(4) Ibidem. c. 12.

ex ore nostro proferimus: non quasi non et Pater Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque."[1]

67. S. Cyprianus: "Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?"[2]

68. Dionysius Alexandrinus: "Deus enim Israelis est Jesus ille, qui est Verbum sæcula antecedens: nec non et Spiritus Sanctus." θεὸς γάρ Ισραὴλ Ἰησοῦς ὁ πρὸ αἰώνων λόγος, ὡς καὶ τὸ ἅγιον πνευμα.[3] Verus igitur est Deus, et per se subsistens, a Patre Filioque distinctus: τὸ ενυπόςατον τῶ πατρὸς πνεῦμα ὁ ἦν ἐν τῷ υἱῷ.[4] "Subsistens Patris Spiritus, qui erat in Filio." Patri et Filio dicitur ejusdem formæ ὁμοειδὲς.[5] Peccato haud obnoxius prædicatur quia Deus est: "Nisi enim Christus Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut et Pater Christi, et Sanctus Spiritus."[6]

69. Nil igitur novi professi sunt Patres Constantinopolitani, Spiritum Sanctum prædicantes Dominum et vivificantem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum. Nil novi decrevit Romana synodus sub Damaso: "Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit."[7]

OBJECTIONES DILUUNTUR.

70. *Obj.* 1. "Spiritus Sanctus nusquam in tota Sacra Scriptura expresse Deus dicitur: quod non potuisset non saltem semel fieri, si is Deus Altissimus esset. Quod enim allegari solet locus Act. V. v. 3. 5. . . . ex hoc loco neutiquam liquet, Spiritum Sanctum Deum appellari. . . . Potest enim aliquis duobus simul mentiri, nempe uni per alterum. Eodem modo etiam dicitur, eos qui persequuntur fideles, persequi Christum ipsum: qui Apostolos audiunt, eos audire ipsum Christum." Ita Wolzogenius.[8]

71. *Resp.* Unitarii fatentur Christum sæpius in Scripturis dici Deum, quin ideo eum verum Deum agnoscant: parum igitur profuerit appellationem quam desiderant ostendisse Spiritui Sancto tributam fuisse. Cæterum Deus certe vocatur eo loci: "quum τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον v. 3. et ὁ θεος v. 4. invicem permutantur, *Spiritum Sanctum fallere* idem est ac fallere Deum, qua est omnipotens et omniscius." Ita Rosenmüller, voces ultimas consultò adjiciens, ut vim manifestam testimonii ad Spiritum Sanctum probandum Deum minuat.[9] Potest equidem aliquis Deo per alterum

(1) L. adv. Praxeam. c. 13.
(2) Ep. 73. ad, Jubajan.
(3) Resp ad Paulum Sam. p. 289.
(4) Ib. p. 283. Resp. quarta.
(5) p. 284.
(6) In ep. ad. Paul. p. 277.
(7) Epist. Damasi ad Illyricianos apud Theodoretum l. v. hist. Eccl. c. ii.
(8) Compendium Rel. Christ. n. 57.
(9) Scholia in locum.

mentiri; quod ea occasione contigit, nam mendacium Apostolo dictum, Spiritui Sancto dictum censebatur; sed cum addatur, ideo non hominibus, sed Deo mentitos, planum est verbum Deum ad Spiritum Sanctum referri. Nihil est quod suadeat Spiritum Sanctum nominari veluti sequestrem; sed quod ipsi, qui Petro aderat, divino lumine eum replenti, fraudem facere visus sit Ananias. "Ergo per se intelligitur, Petrum hoc voluisse; incidisti in Satanicam illam cogitationem, ut fraude fallere velles nos Apostolos, Spiritu Sancto repletos."[1] Adducta a Wolzogenio exempla ad rem non faciunt, nam Spiritus Sanctus ipse est cui per Apostolum mentiti sunt Ananias et Sapphira. Ita veteres simpliciter et præclare intellexerunt: "Deus ergo de Deo est," ait S. Epiphanius, "et Deus Spiritus Sanctus, cui mentiti sunt qui de agri pretio interverterant." ἀρα θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ᾧ ἐψεύσαντο.[2]

72. *Obj.* 2.° "Quod Spiritus Sanctus non sit Deus Altissimus hinc constat, quod diserte et aperte a Deo Altissimo distinguatur, dum vocatur Spiritus Dei, virtus Dei, digitus Dei, donum Dei Matt. c. 3. v. 16. et c. 10. v. 20. Eph. 4. 30. Luc. i. 35. Luc. xi. 20. Act. 8. 20. Spiritus autem Dei non potest esse ipse Deus: alioquin enim sui ipsius spiritus foret." Ita Wolzogenius.[3]

73. *Resp.* Quum vox "Deus" sæpius ad Patrem referatur, utpote fontem divinitatis, Spiritus Sanctus recte vocatur Dei Spiritus, a Patre enim et Filio procedit; ideoque Spiritus Patris, et Spiritus Filii nonnumquam dicitur. Nihil in hac ratione eum designandi incongruum. Insuper Spiritus Dei nuncupatur, ad eum a spiritibus creatis, humano scilicet et angelico discernendum.[4] Vidit utique Joannes "Spiritum Dei descendentem sicut columbam"[5] super Jesum, quem hoc indicio agnovit Filium Dei, cui Pater etiam, cœlitus emissa voce, testimonium tulit.

74. Altero, quem indicat Wolzogenius, loco, de Spiritu Sancto per martyres loquente est sermo; quibus scilicet sapientiam et vim loquendi, cui adversarii resistere non possent, ipse impertiretur: "non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis."[6] Nihil dicitur quod hunc a Deo distinguat, sed divina ejus potestas plane indicatur.

75. Ephesios monuit Apostolus: "nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis."[7] Hæc certe de mera ἐνεργεια nullatenus explicari queunt; quamvis enim contristandi vox minus proprie accipiatur, nulla loquendi ratio sinit ut de mera virtute dicatur. De Spiritu Sancto dici potest; sicut Deus doluisse dicitur, hominibus plerisque

(1) Rosenmüller ibidem.
(2) Hær. 74. n. 6.
(3) Comp. Rel. Christ. n. 57.
(4) Vide Petavium de Trinitate l. iii. c. vii. § xix.
(5) Matt. iii. 16.
(6) Mat. x. 20.
(7) Eph. iv. 30.

ad scelera prolapsis. Quod autem "Dei" adjungatur, divinam ejus naturam indicat, qua scilicet a Spiritibus creatis, licet sanctis, distinguitur.

76. *Obj.* 3. "Nusquam in sacris litteris mandatur, ut Spiritum Sanctum adoremus, vel invocemus; neque etiam ullum adorationis aut invocationis istius exemplum invenitur." Ita Wolzogenius.

77. *Resp.* Quæ de Deo colendo in Scripturis traduntur, Spiritum Sanctum, qui Deus vere est, complectuntur: nec opus est ut speciale detur illius colendi præceptum vel exemplum. Ejus invocatio plane præscribitur, nam baptismus eo invocato, cum Patre et Filio, administrandus est; qua ratione ipse fons gratiæ et sanctitatis largitor agnoscitur. Constat non omnia quæ præcepta sunt, vel quæ peracta sunt, in Scripturis referri; quæ ex Christianæ antiquitatis consensione et usu dum innotescunt, omnimoda veneratione sunt excipienda. Cæterum Unitarii Scripturis præcipientibus Christum adorandum et invocandum non cedunt; ideoque immeritò scriptam postulant auctoritatem, quam adeo negligunt. "Objicis mihi," inquiebat olim Augustinus Maximino Ariano, "quod dicam Spiritum Sanctum æqualem esse Filio. Dico plane. Da, inquis, testimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus? Ut video, hinc eum vis ostendi æqualem Christo, si adoratur ut Christus. Jam ergo confitere Patri æqualem, quem tu ipse adorari confiteris ut Patrem."[1]

78. *Obj.* 4. "In plurimis Scripturæ locis Spiritus Sancti mentio omittitur, ubi ejus meritò facienda esset mentio, si sit Deus Altissimus: ut cum Christus vitam æternam statuit in cognitione Patris, tamquam solius veri Dei, et in cognitione Jesu Christi quem ille misit. Joan. xvii. 3. . . . . Johannes Apostolus scribit: *communionem nostram esse cum Patre et Filio ejus Jesu Christo.* I. Joan. i. 3. Cur non addit, etiam cum Spiritu Sancto, si ipse quoque est Deus summus? Item: *Si in vobis maneat quod audivistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis.* I. Joan. ii. 24. Cur non etiam in Spiritu Sancto? In Apocalypsi Joannis dicitur, omnes creaturas, quæ umquam fuerunt, dixisse: *Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et robur in sæcula sæculorum.* Apoc. 5. 13. Cur non dictum: Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: uti hodie in templis cantari solet?" Ita Wolzogenius.

79. *Resp.* Quum Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unum sint, numquam unus, alterve, excluditur, ubi de divina substantia est sermo: quæ igitur de Patre, vel Filio dicuntur, exceptis personalibus relationibus, de Spiritu Sancto etiam intelligenda sunt. De cognitione Spiritus Sancti objecto loco Joannis siletur, sed eam etiam requiri ex formula baptizandi colligitur: quapropter vehementer miratus est Paulus quosdam se profiteri discipulos, qui utrum Spiritus Sanctus esset ignorabant.[1] Communionem

(1) Aug. l. iii. contra Max. c. 3.

nostram esse cum Spiritu Sancto, sicut cum Patre et Filio, liquet ex Pauli salutatione: "Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis."[2] "Nequaquam socios, et participes creaturarum," jure optimo animadvertit Cyrillus Alexandrinus, "rogabat fieri eos, qui crediderant, sed potius participatione divinæ naturæ sanctificari."[3] Fideles in Spiritu Sancto manere, ipsumque in iis, veluti in templo, habitare, pluribus probatur testimoniis: "Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus."[4] "Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis."[5] "Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei."[6] Quod, in Apocalypsi, Dei Patris, et Jesu Christi gloria Apostolo exhibita sit, consonum fuit divino consilio pandendi quæ ærumnas Christi et martyrum secuta sunt præmia; sed nihil detrahit Spiritus Sancti majestati et gloriæ, quæ ipsi cum Patre et Filio est communis.

80. *Obj.* 5. "Christus inquit: Nemo novit Filium nisi Pater; et nemo novit Patrem nisi Filius.' Matt. xi. 27. Cur vero Patrem et Filium non novit etiam Spiritus Sanctus, si est quoque persona supremæ Deitatis." Ita Wolzogenius.

81. *Resp.* "Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei." Non igitur divina persona excluditur, sed creatura quæcumque. Equidem Spiritui Sancto passim adscribitur revelatio tota; quam tamen Filius loco objecto sibi vindicat; non utique ut excludat Spiritum Sanctum, vel Patrem.

82. *Obj.* 6. Crellius in c. xvi. Joan. v. 13. sic ratiocinatur: "Negatur hic Spiritum Sanctum loquuturum a semetipso: contra affirmatur, eum quæ audierit loquuturum, et de eo quod Christi sit accepturum. . . . At Deus ille summus quidquid loquitur, a semetipso loquitur, et ob idipsum verax est quia a semetipso loquitur. Non audit etiam ille, quid loqui debeat, nec legati instar ab alio instruitur. Nil accipit ille a quoquam; immo de suo omnibus largitur. Non glorificavit is Christum, aliquid ab eo accipiendo, sed ei dando. Quomodo ergo Spiritus Sanctus Deus ille summus est?"[7]

83. *Resp.* Processio personarum et naturæ unitas a Christo apud Joannem indicantur. "Non enim loquitur a se, hoc est, non sine mea et Patris communione. Neque enim divisus ac separatus est Spiritus, sed quæ audit loquitur: audit videlicet per unitatem substantiæ, et per proprie-

(1) Act. xix. 2.
(2) II. Cor. xiii 13.
(3) Liber quod Spiritus Sanctus sit Deus, p. 331. tom. II. ed. Paris. 1604.
(4) Rom. viii. 9.
(5) Rom. v. 5.
(6) Rom. viii. 15.
(7) Crell. l. i. S. 3. p. 469. cit. a Petavio l. iii. de Trinit. c. viii. § i.

tatem scientiæ." Ita Ambrosius.[1] Sic et Didymus: "Hoc est, non sine me, et Patris arbitrio: quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate. Quia non ex se, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, et loquitur, a Patre et me illi est."[2] "Ab illo audiet," inquit Augustinus, "a quo procedit. Audire illi scire est: scire verò esse."[3] Fallitur Crellius verba Christi humano sensu interpretans, neglecto divino, quod respiciunt, mysterio. Nihil Spiritui Sancto detrahitur, a Patre audiendo, de Filii substantia,[4] quæ et Patris est, accipiendo: originis enim ordo, non inferior quædam natura, tempore posterior, his indicatur. Ideo autem Christus hæc dixisse censendus est, ut Apostoli intelligerent Spiritum Sanctum quæ Christus tradiderat in mentem illis revocaturum, quum eadem revelaret, ex eodem Deitatis fonte derivata. Dolentes de proximo suo recessu Apostolos consolari etiam voluit, Paracletum iis pollicendo, qui ejusdem divinæ majestatis consors est, idemque Deus.

84. *Obj.* 7. "Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus."[5] Id de divina persona cogitare nefas est.

85. *Resp.* Postulare pro nobis dicitur Spiritus Sanctus, quia adjuvat infirmitatem nostram, et gemitus excitat, ex intimo corde suspiria ducta. Per μετάληψιν id enuntiatur, quod de nobis intelligatur necesse est.[6] Quod autem *postulare* dicatur, Hebræorum more significat eum facere ut postulemus, variata enim conjugatione verbi, significatio transfertur ad actionem quam alius, nobis impellentibus, facit. Ideo de eo prædicatur, uti animadvertit præclarus doctor Augustinus, quia "nobis interpellandi et gemendi inspirat affectum. Sicut illud in Evangelio: 'Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.'[7]" Sic et gratias agit Apostolus Deo triumphanti nos in Christo θριαμβεύοντι ἡμᾶς,[8] quod scilicet nobis triumphum agere de hostibus concedat.

86. *Obj.* 8. Apostolus de Israelitis dicit: "omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari."[9] Ergo ex mentione facta Spiritus Sancti in præcepto baptizandi, non licet inferre eum esse divinam personam.

87. *Resp.* Locus non est *parallelus*. Dixerat Apostolus patres omnes sub nube fuisse, et omnes per mare transiisse, et statim addit: καὶ πάντες εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ: scilicet monet illam commorationem sub nube et transitum per mare, mysterio non ca-

(1) L. de. Sp. S. c. 12.
(2) L. ii. de. Sp. S.
(3) Tract. 99. in Joan.
(4) Vide Petavium l. iii. de Trin. c. viii. § viii.
(5) Rom. viii. 26.
(6) Bloomfield in locum.
(7) Aug. ep. 105.
(8) II. Cor. ii. 14.
(9) I. Cor. x. 2.

ruisse, sed typum quemdam et imaginem esse baptismi. Nullo modo nubem et mare eum Moyse conjungit, prout conjungitur Spiritus Sanctus cum Patre et Filio in baptismi formula.

88. *Obj.* 9. Formula baptismi nequaquam probat Spiritum Sanctum æqualem Patri; nam consueverunt scriptores sacri res, vel personas, omnino dispares inter se conjungere: "Crediderunt Domino, et Moysi servo ejus."[1] "Nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius."[2] "Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus."[3] Ita Wolkelius.

89. *Resp.* Quandocumque dispares personas, vel res, conjungi contingit, discrimen innuitur, nisi alias innotescat. Sic liquet Moysi credi tamquam Domini famulo: fideles verbo gratiæ divinæ commendari, ut cælesti semine servato, Deo sint grati: eosque roborari in Domino, divinitus concessis suæ potestatis auxiliis. Hæc nullam difficultatem faciunt: sed in errorem necessariò induceremur, si Spiritus Sanctus Patri non esset æqualis, et nihilominus cum ipso et Filio recenseretur in baptismi formula, nomine eodem, scilicet auctoritate eadem, nullo facto discrimine.

90. *Obj.* 10. Hilarius dicit: "baptizare jussit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, id est, in confessione et auctoris, et unigeniti, et doni Auctor unus est omnium . . . . et unus spiritus donum in omnibus."[4] Præterea eum numquam appellat Deum.

91. *Resp.* Ipse Hilarius alibi dicit: "b ptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: ut quorum est una divinitas, sit una largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est."[5] Igitur donum vocat, quia datur nobis ut charitatem in corde diffundat. Nihil obstat quod voce Dei non utatur Hilarius, quum divinitatem Spiritus Sancti agnoscat. Sic Patrem alloquitur: "Profunda tua Sanctus Spiritus tuus, secundum Apostolum, scrutatur et novit, et interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur: et ego naturæ suæ ex te per unigenitum tuum manantis potentiam creationis nomine non modo eloquar, sed etiam infamabo? Nulla te, nisi res tua penetrat: nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ, atque alienæ a te virtutis causa metitur. Tuum est quidquid te init: neque alienum a te est, quidquid virtute scrutantis inest."[6]

92. *Obj.* 11. S. Basilius testatur Dionysium Alexandrinum negasse Spiritum Sanctum esse Deum;[7] ipseque numquam eum Deum nuncupat, a Gregorio Nazianzeno ideo laudatus.[8]

93. *Resp.* Fefellit Basilium fama mendax: constat enim ex Dionysii

(1) Exod. xiv. 31.
(2) Act. xx. 32.
(3) Eph. vi. 10.
(4) De Trinitate l. ii. n. 1.
(5) Ad calcem Comm. in Matth.
(6) De Trinitate l. xii. n. 55.
(7) Ep. 41.
(8) Orat. 20.

scriptis eum Spiritum Sanctum Deum prædicasse : " Non impune," ait, " feret is, qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est ; Spiritus autem est Deus."[1] οὐ γὰρ ἀζῶος ἀπελεύσεται βλασφημῶν κατα τὸ φιλανθρώπου πνέυματος τὸ ἁγίου. πνὲυμα δε ὁ θεός. Basilius Deum certe nuncupavit Spiritum Sanctum : " Quibus designantur in Scriptura Pater et Filius esse Deus, eisdem designatur et Spiritus Sanctus Deus . . . . ex quo patet Trinitatem esse consubstantialem."[2] " Confitendum est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum ; quemadmodum divinæ Scripturæ, et qui sublimiora contemplati sunt, docuerunt."[3] Cæterum laudat eum Gregorius Nazianzenus, quod, quum Ariani omnem quærerent occasionem turbarum, in concionibus a nuncupando Spiritu Sancto Deo abstinuerit, ne lupus gregem invaderet, ipso amoto, vi fraudeve ipsorum.

CAPUT. III. DE TRIBUS IN DEO PERSONIS.

94. Quum Patrem Deum esse omnes agnoscant, Filium autem et Spiritum Sanctum Deum quoque esse probaverimus, liquet tres esse personas in uno Deo. Solet hoc mysterium *Trinitas* vocari, ut trium in una essentia personarum unitas intelligatur : quamvis Petavio placeat vocem tres personas designare, non naturam unicam. Illud impugnarunt olim Sabelliani, et quotquot personarum in Deo negabant distinctionem, Judaicis inhærentes placitis ; cæterique qui Filii et Spiritus Sancti divinitatem impugnabant.

PROPOSITIO.

Sunt in una Dei essentia tres personæ a se invicem distinctæ.

95. *Probatur I. Ex Scriptura.* Christus Apostolos mittens dixit : " docete omnes gentes ; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti."[4] Tres plane distinxit ; eos tamen unum esse Deum insinuavit, singulari numero " in nomine," quod auctoritatem in Scripturis designat.[5] Eos esse eundem Deum in quem credendum sit, quique gratiæ omnis et salutis sit largitor, inde colligitur : qui enim prædicanti crediderit, baptizandus est, et hac ratione filius Deo nascitur, Spiritus Sancti opera. " Baptizari in aliquem," jure animadvertit Rosenmüller, alioquin sibi non constans, " est baptismo obligari ad ejus cultum religiosum, et professionem

(1) Resp. ad Prop. Pauli. Samos. t. 1, Bibl. Græc. col. p. 290.
(2) L. v. ad. Eunomium.
(3) Ep. 141.
(4) Matt. xxviii. 19.
(5) Mat. xviii. 20. συνηγμενοι ἐις τὸ ἐμὸν ὀνομα " congregati in nomine meo."

religionis, ab eo institutæ."[1] Colendi igitur sunt Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, et auctores fidei nostræ agnoscendi, in unitate utique divinæ naturæ; quæ et voce singulari, et nominum conjunctione, et ipsa ritus solemnitate, satis indicatur. Optime igitur Hilarius jam laudatus: "Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut QUORUM EST UNA DIVINITAS, sit una largitio, NOMENQUE TRINITATIS UNUS EST DEUS."[2]

96. Idem probatur celebri illo Joannis testimonio, quod authenticum a Tertulliano, Cypriano, et posterioribus scriptoribus agnitum ostendemus: "Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt."[3] Personarum distinctio manifestò statuitur; tres quippe testes dicuntur: quod ex comparatione cum aqua, sanguine, et Spiritu magis elucescit: unitas verò naturæ etiam traditur: οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι. Quod si hac ex parte deficiat comparatio, mirum non est; nec enim in rerum natura divinitatis haberi potest imago perfecta. Optime tamen ex testimonio cælitus Christo dato a Patre, Filium suum dilectum prædicante; a Verbo, qui, promissis stans, emisit inde Spiritum Sanctum: et a Spiritu Sancto, tot sui indicia præbente, qui tres testes unius sunt naturæ, transit Apostolus ad commemorandum testimonium quod in terra præbetur, quodque unum est, licet testes diversæ sint naturæ. Discrimen autem in recepto Græco textu indicatur: εἰς τὸ ἕν. In antiquis nonnullis codicibus deerant omnino voces de trium testium terrenorum unitate. Accedunt omnia quæ adduximus Scripturæ testimonia ex quibus Christum Filium Dei, Patri consubstantialem, et Spiritum Sanctum Deum esse constat.

Probatur II. Ex traditione quam Patres testantur.

97. POLYCARPUS, martyrium subiturus dixit: "Te glorifico per . . . . dilectum Filium tuum, per quem tibi, una cum ipso,[4] in Spiritu Sancto, gloria nunc et in sæcula sæculorum, Amen." Liquet Filium et Spiritum Sanctum, ex martyris sententia, cum Patre glorificandum esse in ævum: sunt igitur idem Deus; nec enim gloria illa quæ Deo tribuitur, posset creaturis esse communis. Smyrnenses qui martyrium Polycarpi ad Ecclesiarum notitiam devenire curarunt, claudunt epistolam eadem fere δοξολογία: "cum quo *(Christo)* gloria et honos Deo Patri et Sancto Spiritui." μεθ' ἐ δόξα τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι. Similis formula a comitibus S. Ignatii adhibita est, et a primordiis Ecclesiæ viguisse noscitur, cum varietate mysterio admodum accommodata: "Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto," "Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto," vel in unitate Spiritus Sancti."

(1) In locum.
(2) Comment in Matth., can. 33., et calce libri.
(3) I. Joan. v. 7.
(4) Alias σὺν *cum*.

98. Justinus in Apologia I°. cultum Christianum sic describit: *ἐπι πασι τε ὑις προσφερομεϑα, ἐυλογημεν τον ποιητην των παντων δια τϑ ὑιϑ ἀυτϑ Ιησϑ Χριϛϑ, και δια πνευματος τϑ ἁγιϑ.*[1] "In omnibus oblationibus laudamus creatorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum, et per Spiritum Sanctum." Hæc sane indicant Filium et Spiritum Sanctum in cultu cum Patre consociari. Id jam clarius tradiderat testimonio jam citato: "Eum et Filium ejus . . . et Spiritum propheticum colimus et adoramus:" *ἐκεινον τε και τον παῤ ἀυτϑ ὑιον . . . πνευμα τε το προφητικον σεβομεϑα, και προσκυνϑμεν.*

99. Athenagoras, exposita Christiana fide de Patre, Filio, et Spiritu Sancto, atheismi, quod objiciebant Ethnici, crimen sic repellit: *τις ἐν ὃϛ ἀν ἀπορησαι, λεγοντας ϑεον πατερα και ὑιον ϑεον και πνευμα ἁγιον, δεικνυντας ἀυτων και την ἐν τῃ ἑνωσει δυναμιν, και την ἐν τῃ ταξει διαιρεσιν, ἀκϑσας ἀϑεϑς καλϑμενϛ;*[3] "Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant?"

100. S. Irenæus angelorum ministerio Patrem indigere negat; "ministrat enim ei ad omnia sua progenies et figuratio sua, id est Filius et Spiritus Sanctus, Verbum et Sapientia, quibus serviunt et subjecti sunt omnes Angeli."[4] Quamvis ministerii vox durius sonet, liquet apud Irenæum nihil servile indicari, sed personarum relationem: Filium autem et Spiritum Sanctum eundem ac Pater Deum esse, ex eo quod Angeli illis serviant, patet. Creationis et mundi gubernationis participes exhibentur: Omnia haud per Angelos facta dicit; "sed per Verbum et Spiritum suum omnia faciens et disponens, et gubernans, et omnibus esse præstans."[5] "Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: 'Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.[6]

101. Tertullianus, ad Montanistas delapsus, fidem de Trinitate retinuit, et contra Praxeæ sectam personas confundentem, vindicavit: "Se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quam si ipsum eundemque et Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; et nihilominus custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum: tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti

(1) Apol. i. n. 67. p. 222. ed Wirc.
(2) Ib. n. 6. p. 126,
(3) Leg. pro. Christ. n. 10. p. 126. ed. Wirc.
(4) L. iv. c. 17.
(5) L. i. c. 19.
(6) L. iv. c. 37.

et formæ et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti deputantur."[1] Sic Apostolicum Præsulem Romanum, mœchiam dimittentem ex potestate Petro tradita, arguit, quod illa Petro tantum, vel saltem spirituali homini, non psychico competat: "secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet, aut Apostolo, aut Prophetæ. Nam et Ecclesia proprie et principaliter ipse et Spiritus, in quo EST TRINITAS unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus."[2] "Duos tamen Deos, et duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus: non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque."[3]

102. CLEMENS ALEXANDRINUS præclarum Trinitati præbet testimonium: *εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ, εἷς δε καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος καὶ τὸ Πνευμα τὸ ἅγιον ἓν, καὶ το αὐτὸ πανταχοῦ.*[4] "Unus quidem est universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum; et Spiritus Sanctus unus, qui et ipse est ubique." Sub finem operis sic glorificat Trinitatem: "Soli Patri, et Filio, Filio et Patri, Pædagogo et Magistro Filio, una cum Sancto Spiritu; per omnia uni; in quo omnia; per quem omnia unum; per quem est quod semper est; cujus membra omnes; cujus sunt gloria et sæcula: qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus: cui gloria nunc et in sæcula sæculorum. Amen."[5]

103. ORIGENES: *ἡμεῖς μὲν τοι γε τρεῖς ὑποστάσεις πειθόμενοι τυγχάνειν, τον πατέρα καὶ ὑιὸν καὶ ἅγιον πνευμα.* "Nos autem qui tres personas esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum persuasi sumus."[6]

104. DIONYSIUS, Romanæ Ecclesiæ ab an. 259 usque ad an. 269 episcopus, reprehendit illos, qui, cum Sabellio, personas divinas confundunt, vel, eas e contra separantes, tres deitates efficiunt: "Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum; et in Deo manere et habitare Spiritum Sanctum. Jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam et summam, omnipotentem Deum universorum dico, colligi et coalescere, prorsus est necesse."[7]

105. "Non igitur dividenda est in tres Deitates admirabilis et divina unitas, neque sub nomine creationis minuenda est dignitas, et immensa Domini majestas; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et Christum Jesum Filium ipsius, et in Spiritum Sanctum; uniri autem universorum Deo Verbum: 'Ego enim,' inquit, 'et Pater unum sumus;' 'et ego in Patre, et Pater in me.' Ita enim et divina Trinitas, simulque sancta prædicatio Monarchiæ conservari possint."[8]

(1) Adv. Praxeam c. 2.
(2) De Pudicitia c. 21.
(3) L. adv. Praxeam c. 13. supra cit.
(4) Pædagog. l. i. c. 6.
(5) Pedagogi l. iii. sub finem. Græcum textum omittimus, sicut et alias sæpe, ne legentibus nimis graves simus.
(6) Tom. 2. in Joan. p. 56. cit a Huetio.
(7) Apud Athan. de decretis Syn. Nic. t. 1. p. 275.
(8) Apud Athanas. ibidem.

106. Dionysius Alexandrinus dicit imvisibilem et imminutam Trinitatem in unitatem colligi: *ὅτω μὲν ἡμεῖς εἰς τε την τριαδα την Μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ την τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς την Μονὰδα συγκεφαλαιόμεθα.*[1] "Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus."

107. S. Gregorius Thaumaturgus, in celebri fidei confessione quæ divinitus tradita fertur, singularum personarum deitatem prædicat, unitatem verò essentiæ: "Trinitas perfecta quæ gloria et æternitate, ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate: neque superinductitium aliquid et adventitium, quasi prius non existens, posterius verò adveniens. Non ergo defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas." *ἡ ἀυτη τριὰς ἀέι.*[2]

108. His domesticis fidei vetustæ testibus alienum addere liceat. Extat dialogus *Philopatris* dictus, qui Luciano, qui anno 170 floruit, aut alteri scriptori coævo, a plerisque, a nonnemine auctori prioris ætatis tribuitur; in quo Christianorum fides, dum irridetur, exponitur. Triphon, Christiani personam sustinens, Catechumeno ex Ethnicismo quaerenti quo nomine sibi in posterum jurandum, respondet: *ὑψιμέδοντα θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, ϐρανίωνα υἱὸν πατρὸς, πνευμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τρίων, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε ζῆνα, τὸν δέ γ' ἄλλον θεόν*: "Deum altè regnantem, magnum, immortalem, cælestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria. Hæc tu Jovem puta, hunc existima Deum."[3] Ethnicus post aliqua regerit: *οὐκ οἶδα τί λέγεις· ἓν τρία, τρία ἓν*; "Non intelligo quid dicas; unum tria, tria unum." Filius et Spiritus, ex sententia Christianorum, plane exhibentur, omnibus summi Numinis perfectionibus præditi, et unum cum Patre.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

109. *Obj.* 1. Infirmum est argumentum ex baptismi formula desumptum, nam Dominus, et Gedeon, Dominus et Moyses, in Scripturis conjunguntur, quin pares sint: nimis autem puerile est ex singulari numero "in nomine" unius naturæ divinæ desumere argumentum. Nihil quidem aliud Christus ea loquendi ratione innuit, quam ut christiani ea religione obstringantur quæ Deum Patrem agnoscat, Jesum Messiam, et Spiritum Sanctum, vim scilicet divinam.

110. *Resp.* Loca non sunt parallela. "Domino et Gedeoni, Gladius Domini et Gedeonis,"[4] conclamarunt milites, ducem suum appellantes,

(1) Apud Athanas. t. 1. p. 262. Montfaucon. t. 1. p. 1. p. 255.
(2) Vide oper. Greg. Thaum. p. 1. ed. Paris. 1622.
(3) Prope finem. Vide apud Bullum Defensio Fidei Nicænæ Sect. ii. c. iv.
(4) Jud. vii. 18. 20.

dum divinum implorarent auxilium, et spem quam fovebant manifestarent. Sic crediderunt Israelitæ Domino, et Moysi servo ejus; per quem scilicet divina eis innotuerunt mandata. In adjunctis verbis et orationis serie invenitur discriminis ratio; quum Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus una censeantur, nullo disparis naturæ dato indicio. Vis argumenti ex singulari numero non pendet, desumitur enim præcipue ex invocatione trium personarom, tamquam gratiæ et salutis auctorum. Cæterum spernendum non est argumentum inde etiam petitum; quum *nomen* auctoritatem apud sacros scriptores passim significet, et S. Paulus simili argumento ex promissione facta Abrahæ, et semini ejus, uti non sit dedignatus. Rationalistarum autem explicatio arbitrio conficta est, repugnante obvio verborum sensu, et usu loquendi, quem ex traditione vetustissima, et Patrum scriptis colligere est. Equidem absonum est verba Christi ita interpretari, ut jussisse censeatur baptizare auctoritate Dei, et Messiæ, et vis cujusdam divinæ.

111. *Obj.* 2. Verba Christi *pleonasmum* continent[1] Matthæo familiarem, baptizari scilicet εἰς τὸ ὄνομα "in nomen," idem est ac baptizari in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum: sicut dicitur quis in nomine prophetæ, justi, vel discipuli aliquem recipere, quando prophetam, justum, discipulum, propter dotes has domo excipit.[2] Israelitæ in Moysen εἰς τὸν Μωυσην baptizati ab Apostolo dicuntur, quia legem et cultum ab eo præscriptum amplecti debuerunt, divina protectione in mari, et sub nube dignati. Ergo discipuli baptizandi erant in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, quia legem et cultum, quem Filius, tamquam Patris legatus, præscripsit, amplecti debuerunt, Spiritus Sancti dono remunerandi. Non dissentit Hilarius qui dicit Christum "baptizare jussisse in confessione auctoris, et unigeniti, et doni."[3]

112. *Resp.* Usus est optima legum interpres: constat verò a vetustissimis temporibus baptismum conferri consuevisse, ipsis Christi verbis: "in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti," trium personarum auctoritate et invocatione, quæ etiam trina immersione significabatur.[4] Equidem Matthæi interpretem constat εἰς præpositionem cum accusativi casus nomine pro ἐν cum dativi nonnumquam usurpare. Sic Christus ne juremus temere vetans exhibetur, μήτι ἐν τῷ οὐρανῷ . . μήτε ἐν τῇ γῇ . . μήτε εἰς Ἱεροσολυμα.[5] Alio loco refert Christum congregatis εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα in nomine suo se adfuturum promisisse;[6] quod manifestò de iis qui ejus auctoritate conveniunt, eumque invocant, intelligendum est. Tertullianus, juxta pristinam versionem

(1) Rosenmüller in locum.
(2) Matt. x. 41. 42.
(3) L. ii. de Trinitate n. 1.
(4) Justinus M. Apol. i. n. 61.
(5) Vide Bloomfield in Act. xix. 3. et Matt. v. 34.
(6) Matt. xviii. 20.

Latinam, quæ idiotismum exemplaris Græci servabat, accusativi casus voces legit; "Ite, inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,"[1] attamen personarum discrimen significari singulis vocibus, et baptismi ritu, persuasum habuit: "novissime mandans ut tinguerent in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur."[2] Quod autem ex Hilario objicitur, longe alienum est ab Unitariorum et Rationalistarum commentationibus; nam jam ejus recitavimus verba, quibus unam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti divinitatem et largitionem celebrat. Quod donum vocet Spiritum Sanctum, gratiam quam largitur spectat, nec aliquid ejus, vel trium personarum supremæ majestati detrahit. Frustra igitur conantur Rationalistæ verborum illorum vim infirmare. Demus equidem *pleonasmum* ibi reperiri: nonne constat, ipsis etiam judicibus, in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum nos baptizari, ita ut legem et cultum eorum amplectamur? Israelitæ in Moysen baptizati dicuntur, qui quum famulum et ministrum Dei se exhiberet, oportebat legem quam a Deo acceperat servare, et ritus quos Deus per ipsum præscripsit peragere. Igitur Christo magistro oportebit Deum Patrem agnoscere, cum quo unum est, et Spiritum Sanctum, alium Paraclitum, doctorem omnis veritatis.

113. *Obj.* 3. Baptizandi forma præscripta potest illustrari baptismo Christi, qui utique non est baptizatus, tribus invocatis personis, sed Patris auctoritate, qui eum Filium esse, Messiam scilicet, voce cordis ejus insonante, testatus est,[3] Spiritu Sancto, instar columbæ, delabente, vi quadam divina in ejus animam immissa. Hæc Christi inauguratio velo quodam mythico obtecta exhibetur. Haud absimili ratione quilibet Dei Patris auctoritate baptizatur, filiusque agnoscitur Dei, dum ipse Messiam confitetur, et vim in se divinam experitur.

114. *Resp.* Scripturis illudunt qui sic clarissima earum testimonia detorquent Rationalistæ. Equidem non novimus aliquam verborum formam a Joanne, dum Christum baptizaret, adhibitam; illustre tamen trium in Deo personarum testimonium ea occasione est datum: vox enim cœlitus emissa audita est, qua Pater testatus est Christum esse filium ejus dilectum; et Spiritus Sanctus, cum donorum copia, in eum delapsus est, columbæ symbolum intuentibus objiciens. Quod autem audeat Furnesius vocem

(1) De Baptismo c. xiii.

(2) Adversus Praxeam c. xxvi.

(3) Non veretur Furnesius vocem cœlitus emissam prorsus negare, et ad fervidam Jesu mentem eam referre. In exemplum adducit *vocem* quam peccator quidam visus est sibi audire cum ad pœnitentiam invitantem. Ex fabella (vulgo *tract*) illustrationem mutuatus est audax nimis Filii Dei irrisor: "I took up the other day a tract which had been thrown in at my door, and which related the experience of an individual in whom a deep sense of sin had been awakened. In his distress he states that he heard a voice saying to him, Repent of thy sins, and thou shalt be forgivven." Quare non adjunxit ebriosos, qui *mania a potu* laborant, voces etiam audire? p. ii. ch. iii. p. 163.

illam explicare de quadam intima Christi conscientia, qua sibi videbatur eam alte sonantem audire, detorquendi scripturas libidinem prodit. Profecto Matthæus et Lucas ipsa verba referunt tamquam audita, non mente Jesu tantummodo concepta. Nihil est insuper quod indicet Spiritum Sanctum vim quamdam divinam illic designare: sed testimonium Joannis probat ipsum Spiritum Sanctum corporali specie tamquam columbæ apparuisse. Igitur fingunt somniantque qui mythos quærunt in simplici rerum gestarum narratione.

115. *Obj.* 4. Ea ratione tres testes cœlestes unum prædicantur in versiculo Joanni tributo, quo tres testes terrestres unum sunt: sed hæc unitas est testimonii, haud naturæ.

116. *Resp.* Non sic instituitur a Joanne comparatio: sed quum de Christo veniente per aquam et sanguinem locutus fuisset, et de Spiritus testimonio, ad cœlestes testes mentem elevavit, eosque simpliciter et absolute declaravit unum. Aquam, sanguinem, et Spiritum testium habere rationem in terris deinde subjunxit, quos in unum convenire testimonium animadvertit: εἰς τὸ ἓν εἰσιν. Hæc verba deesse in vetustis codicibus non est observatione indignum, licet, si retineantur, nihil detrahant vi textus præcedentis: vera enim et absoluta testium cœlestium unitas occasionem idoneam præbuit sermoni de testium terrestrium minus stricta unitate; comparationes quippe non accuratam singulis in rebus exigunt consonantiam.

117. *Obj.* 5. In Scripturis, quoties de Filio et Spiritu Sancto una cum Patre fit mentio, huic nomen Dei simpliciter datur, aliis non ita: "Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen."[1] Inde colligere est Apostolum optare ut fideles Christo sint accepti, a Deo amentur, ipsum diligentes, et ut participes fiant cœlestis doni, quod Sanctus Spiritus non inepte dicitur.

118. *Resp.* Quod nomen Dei Patri plerumque tribuatur congruum est, quia fons est et principium aliarum personarum: quum autem Dominus noster nuncupetur Christus, et gratiæ largitor agnoscatur, divinitas ejus manifestò declaratur. Communicatio Sancti Spiritus fit quidem dona sua impertiendo, quibus ornatur anima, et efficitur templum Dei, quia in ea habitat Spiritus Dei. Hæc divinam ejus naturam ostendunt.

119. *Obj.* 6. Numquam consuevit Ecclesia vetustis temporibus preces ad Filium vel Spiritum Sanctum dirigere: imo jussit concilium Carthaginense III., "ut cum ad altare assistitur semper ad Patrem dirigatur oratio."[2] Ipsa doxologia Patris præstantiam, et singularem majestatem prædicabat: "Gloria Patri, per Filium in Spiritu Sancto."

120. *Resp.* Ecclesiæ consuetudo Patrem præsertim in precibus solemnibus appellandi, apte indicabat ipsum esse fontem divinitatis, primam scilicet Trinitatis personam, cujus honor totam respicit Trinitatem, uti

(1) II. Cor. xiii. 13.
(2) C. xxiii. apud Labbe tom. ii. col. 1170.

animadvertit S. Fulgentius, in canonem Africanum scribens: "dum ad solius Patris personam sermo dirigitur, bene credentis fide tota *Trinitas* honoratur: et quum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus *omni Trinitati* uno eodemque offertur litantis officio."[1] Ex contextu quidem canonis patet concilio propositum esse præcavere, ne singulorum arbitrio preces solemnes Ecclesiæ immutarentur, vel novæ inducerentur formulæ; mox enim præcedunt hæc verba: "Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet."[2] In doxologia honor ejus item servatus est, et gloria illi tributa per Filium, utpote secundam personam, et mediatorem Dei et hominum. In Spiritu Sancto gloria data est, quia Pater et Filius in illo conjunguntur, intima dilectione, et naturæ, quæ tribus est communis, unitate. Cæterum formula illa varietates admisit, quæ tamen idem sonabant: nonnusquam enim dicebatur: "Gloria Patri, et Filio, cum Spiritu Sancto:" quam "formam ac regulam a presbyteris, qui ante ipsum vixerunt, acceptam" ipse adhibuit Dionysius Alexandrinus.[3] Alias dicebatur: "Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto;" qui usus jam invaluit.

121. *Obj.* 7. "Tam impenetrabile ac imperceptibile, imo rationi omni contrarium mysterium . . . meritò deberet tam clare et expresse in sacris literis contineri, ut ad id efferendum et declarandum nullis aliis vocibus ac phrasibus, quam quibus id ipsa Sacra Scriptura expressit, opus esset." Wolzogenius.[4] Similia ex Wegscheider Perrone descripsit, qui optime animadvertit Rationalistas Socinianorum objectiones, apparatu quodam eruditionis, veluti novas urgere.

122. *Resp.* Clare quidem mysterium hoc proponi debuit; sed scripto, vel voce præconum, pro Dei revelantis arbitrio. Profectò Scriptura tres personas in baptismi formula conjungendo, unica omnium invocatione, unam potestatem et auctoritatem omnium ostendit; et Patrem, et Filium unum esse declarat; et tres testes in cœlo, Patrem, Verbum, et Spiritum, unum quoque esse. Ideo dici potest dogma in sacris litteris ita contineri, ut aliis verbis opus non sit, ad illud enuntiandum. Cæterum ob argutias hæreticorum, qui ipsas Scripturas ad suam perditionem detorquent, formulæ fidei explicatius dogma enuntiant, ne verborum ambagibus suum virus hæretici celent. Falluntur autem qui putant Scripturas novi Testamenti ideo exaratas ut dogmata omnia innotescerent, verbis quam maxime perspicuis proposita; nam res gestas potius exhibent, dogmataque nonnulla, veluti ex occasione et obiter plerumque. Id quidem divini consilii visum est, ne in Ethnicorum manus forte aliqua delapsis, mysteria altissima forent irrisui. Satis igitur indicantur ut prædicationi et fidei Ecclesiæ ferant testimonium; sed profundus quem celant sensus non patet omnibus.

(1) Ad Monim. l. iii. c. v.
(2) Ibidem.
(3) Sub finem *Apologiæ suæ*,
(4) Declaratio duarum contrariarum sententiarum c. iii.

123. *Obj.* 8. Plures Trinitatis defensores fassi sunt eam nonnisi *inferri* ex Scriptura.

124. *Resp.* Ipse Wolzogenius satis habet " ut per legitimam ratiocinationem et consequentias ex ea eliciatur." Cæterum licet haud tot verbis in Scriptura mysterium proponatur, Pater dicitur Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, et unicuique personæ perfectiones divinæ tribuuntur, et unus Deus alte prædicatur. Quum alioquin Pater a Filio, Filius, et Pater a Spiritu Sancto distinguantur, perspicuum fit Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, licet inter se distinctos, eundem esse Deum, et proinde tres esse in una Dei essentia personas. Accedit publica et solemnis Ecclesiæ prædicatio, fides, et cultus, divinæ revelationis documenta indubia.

125. *Obj.* 9. Adeo sunt discordes Trinitatis vindices in discrimine inter essentiam et personam definiendo, et ipso dogmate explicando, ut pateat nec ipsos nosse quid de ea credendum sit.

126. *Resp.* Constans est omnium Catholicorum doctrina et fides, tres in Deo personas a se invicem distingui, sed eandem numero habere substantiam. Dogma non pendet a vocibus quibus doctores scholastici notiones aliquas definiunt: nec est qui valeat tantum arcanum accurate intellectu complecti. Quod si Protestantici quidam Trinitatis vindices in ipsis notionibus discordes videantur, eorum sententiæ nihil possunt publicæ et notissimæ fidei Ecclesiæ præjudicare. Omnes ea docente novimus quid credendum sit, quamvis nemo majestatis supremæ abyssum scrutari possit.

127. *Obj.* 10. Distinctio inter essentiam et personam gratis fingitur; nam persona nihil est, sed substantia intelligens persona dicitur. Igitur tres personæ in una essentia absurdum quid præseferunt.[1]

128. *Resp.* Persona quidem non est aliquid essentiæ additum, sed ipsa essentia intelligens quæ subsistit: attamen ex eo quod triplex sit ratio subsistendi, essentiæ unitas non tollitur, nec subsistentia vacuum fit nomen. Fatemur alioquin unicuique essentiæ naturali unicam esse subsistentiam; sed quum, Deo ipso docente, noverimus eum Patrem esse, et Filium, et Spiritum Sanctum, *unum* tamen, unam scilicet essentiam divinam; tres subsistentias, seu triplicem subsistendi modum necessariò agnoscimus: nec mirum naturam divinam omne in rerum natura longe excedere.

129. *Obj.* 11. Si subsistentiæ plures essentiæ divinæ tribuantur, nulla erit ratio qua earum numerus certò definiatur.[2]

130. *Resp.* Dei revelatio est unica et sufficiens ratio qua subsistentias divinas definiamus. De ipsius natura nil nisi eo docente nosse gloriamur.

131. *Obj.* 12. Subsistentia modus tantum est, non res aliqua: modum autem in Deo cogitare est nefas.

132. *Resp.* Modus, quo sensu vulgò intelligitur, accidens quoddam sonat, formam scilicet mutationi obnoxiam: sed modus subsistendi ad

(1) Vide Wolzogenii Declar. c. iv.
(2) Ib. c. v.

essentiam divinam refertur, adeo ut hæc necessariò subsistat in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto. Accurate et profunde Augustinus: "In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est: nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Filius, et non ita semper quasi ex quo natus est Filius, ut ex eo quod numquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater; sed ex eo quod semper natus est Filius, nec cœpit umquam esse Filius. Quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur."[1]

133. *Obj.* 13. De distinctione inter naturam et subsistentiam silet Scriptura, nec explicat relationes Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; quæ omnia adeo enucleate evolvunt Theologi, ut dogma de Deo trino undequaque tueantur.

134. *Resp.* Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum Scripturæ prædicant, plurimaque tradunt quæ ad relationes personarum pertinent: his innixi, certissimisque divinæ traditionis documentis, Theologi dogma tuentur. Non est autem exigendum, ut distinctiones quas adhibent, ad subtiles hæreticorum argumentationes diluendas, ipsis verbis in Scripturis enuntientur.

135. *Obj.* 14. Ex dogmate Trinitatis, prout a Catholicis tenetur, sequitur personarum mutua immanentia περιχωρησις a Græcis, *circumincessio* a Latinis dicta: hæc verò absurdis scatet; nec quid hujusmodi a Christo traditum, qui Patrem in se, et se in Patre esse affirmans, nil aliud insinuavit quam arctam et strictam voluntatis et amoris conjunctionem: quomodo discipulos secum conjungi voluit "sicut tu Pater in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint."[2]

136. *Resp.* Nihil absurdi in eo quod Pater in Filio, Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in utroque sit, ineffabili quodam nexu, et substantiæ unitate. Profecto non semel, nec obiter, sed magna cum vi, id affirmavit Christus; quum enim se et Patrem unum esset affirmasset, fidem operibus postulavit: "Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre."[3] Hæc ad unitatem naturæ referri liquet. Postulanti Philippo ut Pater illis ostenderetur, "dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum; et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?"[4]

(1) L. v. de Trin. c. v. n. 6.
(2) Joan. xvii. 21. Vide Wolzogen. Decl. c. vi.
(3) Joan. x. 38.
(4) Joan. xiv. 9.

Non quælibet amoris et voluntatis conjunctio sufficit, ut quis censeri possit Patrem videre, Filio viso; sed una utriusque natura facit, ut alter in altero sit, ideoque videatur, quatenus in terris licet. Longe superat unitas hæc illam quam Christus Apostolis apprecatur, quæ quum prius non extiterit, ad naturam referri nequit, sed ad gratiæ donum, quo corda affectu conjunguntur: nec mirum hanc exemplari suo longe inferiorem esse.

137. *Obj.* 15. Deus *essentialis* et *personalis* inducitur prodigiosa quadam distinctione, ut dogma Trinitatis incolume sit. Sic nomen *Deus* de unaquaque persona sejunctim prædicatur, personaliter, uti aiunt; simpliciter verò designat essentiam divinam seu totam Trinitatem.[1]

138. *Resp.* Non repugnat ut Deus vocetur diversa ratione, prout vel subsistentias divinas, vel naturam respicit. Simpliciter quidem persæpe designat divinam naturam, quæ utique est tota Trinitas: sed Deus Pater designat eandem naturam speciali sub respectu, quatenus subsistit fons totius divinitatis. Nihil hic prodigii, a quo ratio divinitus illustrata abhorret; sed altissimum mysterium, quod naturam creatæ omni præstantem designat.

139. *Obj.* 16. Per annos saltem quatuor millia Deus unicus colebatur, quin de tribus in eo personis quis cogitaret. Aliusne nobis colendus erit Deus?

140. *Resp.* Idem Deus nobis et omnibus, quotquot spiritu et veritate coluerunt, per omnia retro sæcula. Eum unum adorarunt, rejectis falsis diis, et ejus naturam omni cogitatu humano superiorem agnoverunt. Non eos penitus latuit plures in Deo esse personas, quum plurima hujus dogmatis indicia in veteribus Scripturis reperiantur. Cæterum quod hæc veritas non omnibus fuerit proposita ea claritate qua Christus eam revelavit, ostendit divinæ Sapientiæ œconomiam illi hominum ætati et conditioni accommodatam; sed idem est Deus, licet clarius cognitus, ipso Filio ejus Unigenito, qui est in sinu Patris, enarrante.

141. *Obj.* 17. Quæ de Deo unico in Scripturis dicuntur, non potuerunt ab iis ad quos directa sunt intelligi nisi obvio sensu, de Ente omnino singulari. De distinctione ens inter et personam, quæ posteriori ætate inducta est, ne cogitare quidem potuerunt."[2]

142. *Resp.* Obvio sane sensu accipienda sunt quæ de Dei unitate dicuntur; sed simul necessariò cogitandum eum omnem aciem mentis effugere, et infinito intervallo res omnes creatas superare. Qui primi revelantem Deum audierunt, vel revelationis facti sunt participes, nequaquam de eo sicut de rebus creatis cogitarunt, sed arcanum divinæ essentiæ toto animi obsequio coluerunt. Distinctio inter essentiam et personam, quod ad voces attinet, est posterior; sed Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, in unitate naturæ divinæ colebantur, saltem ex quo tempore Christus iis invocatis bap-

(1) Wolzogen. Decl. c. viii.
(2) Channing's Ordination Sermon.

tismum perfici jussit. Non igitur tres personæ in uno Deo coli cœperunt, quando voces definitæ sunt, et usu Ecclesiæ sancitæ, ut hæreticorum argutiis obviam iretur.

143. *Obj.* 18. "Trinitatis dogma ad hanc formulam revocare licet: Deus Pater ut Spiritum Sanctum sese per Jesum Christum hominibus manifestavit." Ita Wegscheider.[1]

144. *Resp.* Dogma divinum non est humano arbitrio immutandum, sed toto mentis obsequio recipiendum. Profectò Deus Pater non se ut Spiritum Sanctum revelavit, nam Spiritus Sanctus a Patre procedit, et Filio rogante mittitur, ut discipulos consoletur, et edoceat. Quæ coacervat Wegscheider testimonia de Deo unico, summo, adorando, nil obstant, nam trium personarum mysterium proponitur, salva unitate divinæ naturæ. Quod autem ipse Jesus Deum coluerit, seque a Patre legatum eoque minorem etiam professus fuerit, aliàs explicuimus, ad humanam referentes naturam pleraque quæ objici a Socinianis consueverunt.

145. *Obj.* 19. Persona, nisi sit vanum mentis figmentum, est aliqua perfectio, vel aliqua perfectione constituitur: et quidem distinguitur a divina natura; secus, quum natura sit communis, unaquæque persona alias includeret, et tolleretur omnis personarum distinctio. Attamen nulla esse potest perfectio a divina natura distincta, hæc enim necessariò omnem complectitur perfectionem. Ergo persona, vel personalis relatio *in divinis* est purum putum figmentum.

146. *Resp.* Personalis relatio est quidem perfectio, sed relativa, non absoluta, et a natura divina *virtualiter*, uti dicunt Scholastici, non re distinguitur. Hæc necessariò habet omnem perfectionem absolutam, imo et relativam, non ita tamen ut relatio tollatur, quæ personas inter se distinguit, quamvis unaquæque totam et eandem naturam divinam habeat. Relatio illa personalis non novam includit perfectionem, a natura distinctam, sed est respectus personarum ad se invicem; Patris relatio ad Filium non potior est perfectio quam Filii ad Patrem, sed alia aliam necessario excludit, quamvis quidquid absolutæ perfectionis in tribus personis sit, iis sit commune; communis quippe est natura quæ omnis est perfectio. Non igitur mentis est figmentum personalis illa relatio, quam Deo docente certò novimus.

147. *Obj.* 20. Illud certissimum rationis principium: *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, adversatur manifestò Trinitatis doctrinæ: "Tres illæ personæ divinæ realiter inter se distinctæ, realiter sunt idem uni cuipiam rei, nempe essentiæ divinæ. Ergo personæ illæ tres realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eædem."[2]

148. *Resp.* Nullatenus adversatur, nam personæ divinæ in una essentia

(1) § 9. Apud Perrone tract. de Trinitate n. 56.

(2) Crellius l. ii. sect. i. c. 3. p. 517. cit. et refutatus a Petavio de Trinitate l. iii. c. ix. § xiv.

conveniunt, et unaquæque idem est Deus. Relatio personalis in comparationem non venit, est enim specialis subsistendi ratio, ideoque quamvis quælibet persona habeat totam divinam essentiam, non tamen est alia persona, ipsa quippe relatio distinctionem constituit. Cæterum si quid obscurum, et cum rationis principiis vix conciliandum, in dogmate hoc videatur, de divinis arcanis, et de essentia divina præsertim, non est humano modulo judicandum. Pulchre Cyrillus Alexandrinus dicit: "Si nihil inter nos et Deum est discriminis, divina nostris metiamur."[1]

149. *Obj*, 21. Trinitatis nomen in Scripturis non reperitur, nec in scriptis Apostolicorum, qui dicuntur, patrum, nec aliorum qui eos proxime secuti sunt: quod argumento est ipsum dogma Apostolis, et patribus duorum priorum sæculorum ignotum fuisse, vox enim primum occurrit apud Theophilum Antiochenum tertii sæculi scriptorem.

150. *Resp.* De voce haud agitur, sed de mysterio trium in uno Deo personarum, quod in Scripturis reperiri liquet ex baptizandi formula, et ex celebri versiculo epistolæ Joannis, ut interim de innumeris testimoniis quæ Filium et Spiritum Sanctum speciatim respiciunt sileamus. Apostolici Patres trium personarum mentionem certe fecerunt. S. Ignatius M. ad Magnesianos scribens, ait: "studete igitur ut conformemini in dogmatibus Domini et Apostolorum . . . . in Filio, et Patre, et Spiritu."[2] Hermas Filium et Spiritum Sanctum commemoravit, hunc que in similitudine sub filii imagine intimum Patris consiliarium, et corporis quod Filius assumpsit conditorem exhibuit.[3] Illustria etiam in Ignatii et Polycarpi martyrio data sunt fidei de tribus in uno Deo personis testimonia. Hæc quum præsto sint documenta, constat dogma Trinitatis agnitum fuisse a rei christianæ initio. Vocem non videtur Theophilus invenisse, qua utitur potius tamquam recepta et usu jam trita: animadvertit scilicet tres dies quæ præcesserunt luminarium creationi imagines esse Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque sapientiæ, qua voce designabant veteres nonnulli Sanctum Spiritum: τυποι εἰσιν της τριαδος, τυ θευ, και τυ λογυ αὐτυ, και της σοφίας αὐτυ.[4]

151. *Obj.* 22. Si dogma trium personarum in uno Deo fuisset ab initio rei christianæ in Ecclesia celebre, nullus fuisset locus concertationibus de divina Christi natura: negantes enim statim damnati essent, utpote qui totum fidei fundamentum, notissimum omnibus mysterium, evertebant. Attamen de ea vehementer disputatum novimus: nec ausi sunt Patres Nicæni aliquid de Spiritus Sancti divina natura, quam pariter negabant Ariani, decernere. Ergo nonnisi paulatim dogma illud invectum est, Nicænis Filium Deum prædicantibus, Constantinopolitani concilii episcopis Spiritum Sanctum eo dignantibus honore.

(1) L. xi. in Joannem.
(2) C. xiii.
(3) L. iii. simil. ix. c. xii. xiii.
(4) Ad Autolycum l. ii. n. 15.

152. *Resp.* Fuit quidem omni tempore, ab ipsis rei christianæ exordiis, celebre in Ecclesia trium personarum in uno Deo mysterium: ideoque damnatus est Arius statim ac illud violare ausus est, Filii supremæ majestati detrahendo. Cæterum quum variis artibus celaret vel commendaret errorem, plures a fidei simplicitate abduxit. Quod de Spiritu Sancto nihil decreverint Nicæni Patres, contigit, quia de Filio tota erat concertatio, nec nisi obiter, et per consequentiam, Spiritus Sancti divinitas impugnata est. Idem impræsentiarum contingit, Unitarii enim contra Filium præsertim pugnant, adeo ut tota controversia eum respicere videatur. Non igitur mirum Nicænos Patres nihil symbolo de Spiritu Sancto adjecisse, quum ad damnandum præcipuum errorem toti essent intenti. Cæterum insignia laudavimus testimonia fidei primævæ, quæ ostendunt vana esse de dogmatis progressu figmenta.

153. *Obj.* 23. Unaquæque persona divina dicitur a Theologis propriam habere voluntatem, propriisque fungi muneribus. Pater mittit Filium, nec ipse mittitur. Filius mediator est, carne assumpta, quin Pater, vel Spiritus Sanctus fiat homo. Hæc entia distincta plane denotant.

154. *Resp.* Unicuique personæ quædam tribuuntur relatione personali innixa: sed omnes actiones quæ *ad extra* dicuntur, scilicet quæ res creatas respiciunt, sunt iis communes. Quum personalis relatio vera sit, de unaquaque persona rite affirmantur quæ ea innituntur. Filius a Patre procedit, et ideo ab eo mitti dicitur ut originis relatio una cum assumptione humanæ naturæ indicetur. Pater autem nequaquam mittitur, quum a nemine procedat, et humanam naturam non assumpserit. Quod autem Filius assumpserit carnem, Patre vel Spiritu Sancto eam non assumente, contigit quia conjunctio facta non est in natura divina, sed in Filii persona. Ita rem se habere ex divina Scriptura novimus, quæ Verbum carnem factum docet, quin de Patre aut Spiritu Sancto id alicubi affirmetur. Si hæc mens humana vix percipiat, non ideo de iis quæ revelavit Deus dubitandum est.

155. *Obj.* 24. Purus putus Platonismus est illud Trinitatis mysterium, quod liquet ex eo quod ejus vindices fateantur et contendant Platonem trinitatem docuisse.[1]

156. *Resp.* Immane est discrimen inter Platonis, et Platonicorum triadem, et mysterium christianum, uti colligere est ex ipsis scriptis in quibus conati sunt quidam, zelum habentes, sed non secundum scientiam, Trinitatem a Platone agnitam ostendere: το αγαθον, νους seu λογος, et ψυχη κοσμου, apud philosophum occurrunt, sed vocibus his longe alia vis tribuitur ac tribus quas colimus divinæ naturæ personis. Jam animadvertimus *mentem* seu *Verbum* ei esse æonem quendam a summo Deo creatum, quo usus est instrumento in cæteris creandis.[2] *Anima* autem *mundi* non Spiritus est ille

(1) Vide Kidd on the Trinity Prop. xxxiv. p. 538. Citat Cudworth et Ogilvie.

(2) Petavius de Trinitate l. c. i. Alii nonnisi verborum sine sensu congeriem in Platonis triade vident.

divinus Patri et Filio æqualis, sed substantia Spiritu et materia constans et ante mundum creata.[1] Ipsi qui magno studio laborarunt ut eum christiani dogmatis auctorem ostenderent, fassi sunt ejus placita non omnino doctrinæ nostræ esse conformia, sed similia ; quatenus ille ex antiquissima generis humani traditione, vel ex Judæorum libris arcanum illud colligere, vel suspicari potuit.[2] Sed melius inter somnia reponitur tota trinitatis Platonicæ notio.

CAPUT IV. DE VERSICULO JOANNIS.

157 De authentia testimonii ex epistola Joannis desumpti, quo ad trium personarum distinctionem et unitatem probandam usi sumus, specialius agendum censemus : illud enim prorsus rejiciunt Unitarii et Rationalistæ, assentientibus etiam haud paucis inter Protestantes qui mysterium Trinitatis agnoscunt, nonnullis hærendo prodentibus.[3] Ex Catholicis Ricardus Simon, temeritatis opinionum notatissimus, illud authenticum esse negavit ; sed tota Theologorum natio contra sentit.[4] De eo nullum speciale Ecclesiæ decretum hactenus prodiit : sed Vulgata Scripturarum versione continetur, solemniter legitur in Missa, ideoque inclusum censetur Tridentino decreto quo libros sacros cum singulis suis partibus amplecti jubemur sub anathematis pœna. " Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit."[5] Sunt qui, Tridentina auctoritate noti, *extrinsecam*, uti aiunt, authentiam, ex Ecclesiæ scilicet usu et probatione derivatam, ei necessariò tribuendam existimant : liberum alioquin censentes de ejus *intrinseca* authentia, utrum scilicet in Joannis autographo fuerit, judicium.[6] Cæterum non hæc nobis arridet distinctio : non enim Ecclesia decernendo velle videtur externam quamdam vim apud fideles sacris scriptis tribuere, nisi quatenus agnoscit et declarat iis inesse intrinsecam vim a Spiritu Sancto derivatam. Sepositа autem impræsentiarum Ecclesiæ auctoritate, quæ apud Rationalistas et Unitarios floccifit, ea breviter perpendemus momenta quæ ad veram illius loci lectionem dignoscendam valeant.

(1) Vide Dictionnaire de Théologie par Bergier, art. Trinité.

(2) Kidd : " With as much accuracy as could be expected, all things considered.' p. 540.

(3) Horne, *Introduction*, vol. iv. p. ii. ch. iv. Bloomfield in locum.

(4) Hug non suam prodit mentem. *Einleitung* ii th. 3. h. § 153, not.

(5) Sess. iv.

(6) Dissertation sur le fameux passage de S. Jean, *Bible de Vence*, vol. xxiii. art. ii. p. 542.

158. Dum de lectione vera agitur critici consueverunt *externa* subsidia adhibere, et *intrinseca* spectare indicia. Codices manuscripti textus, præsertim vetustiores, versiones antiquæ, et citationes quæ in patrum operibus occurrunt, vel in decretis pontificum, et conciliorum, extrinseca sunt subsidia, quæ utiliter adhiberi possunt ad genuinam dignoscendam lectionem. Intrinseca indicia ex orationis serie desumuntur; ea enim plerumque anteferenda est lectio, qua oratio sibi sit constans.

159. Referente Hug, versiculus de quo est quæstio, in solo codice Græco Montfortiano, seu Dublinensi, in collegio Ssmæ Trinitatis Dublini servato, reperitur.[1] Ad seculum autem quintodecimum, vel quartodecimum, codex ille refertur. Codex *cyprius*, qui eum continet, a Perrone memoratur. Complutenses Bibliorum editores eum in codice aliquo reperisse liquet, nam in Bibliis ab ipsis editis reperitur.

160. In Concilio Lateranensi, anno 1215 habito, cui aderant Græci, versiculus ille citatur, veluti ex canonica Joannis epistola: quod autem post alium versiculum de Spiritu, aqua, et sanguine adjicitur, "sicut in codicibus quibusdam invenitur," ad ultima verba "et hi tres unum sunt," refertur, desunt enim in vetustis codicibus: sed prior versus integer tamquam Joannis indubie citatur.

161. Equidem apud Græcos versiculum illum diu antea obtinuisse, ex eo inferre licet, quod apud ipsos, schismate jam a nobis per tot sæcula divulsos, obtineat, etiam in Liturgia: inverosimile quippe est eos a Latinis eum mutuatos esse post schisma, vel retenturos, nisi per plura antea sæcula locum habuisset in codice sacro, et indubiæ agnitus fuisset auctoritatis.

162. Retrogradiendo ad octavum pervenimus sæculum, quo certe extitit *Prologus ad Scripturas*, qui nomen Hieronymi præsefert, quique inter præfationes Hieronymianas illo sæculo et sequenti recensitus reperitur. Auctor illius, quisquis fuerit, infideles translatores arguit quod versiculum de Patre, Verbo, et Spiritu Sancto consultò omiserint.[2] Hornius fatetur a sæculo saltem septimo apud Latinos versiculum hunc obtinuisse.[3]

163. Septimo floruit sæculo S. Maximus, Abbas Constantinopolitanus, qui anno 662 martyr obiit. Auctor censetur dialogi contra Arium olim Athanasio tributi, in quo refertur eum, itinere in Africam instituto, hunc retulisse versiculum, quem in codicibus Africanis repererat: "nonne in ter beatissima nomenclatura fidelibus datur (*baptismus*)? adde his omnibus, quod ait Joannes: *et hi tres unum sunt*" οὐκ ἐν τῇ τρισμακαρίᾳ ὀνομασίᾳ δίδοται τοῖς πιστοῖς; πρὸς δὲ τούτοις πᾶσιν Ιωάννης φάσκει, καὶ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσίν.

164. Cassiodorus, dignitate prætoriana illustris, deinceps monachus, medio quinto sæculo natus, ad sæculum fere vitam protraxit. Ille magnam

(1) Einleitung, 1 th. h. iv. § 25, p. 167.

(2) Inter opera S. Hieronymi, t. x. p. 1057, in nota *a*, edit. Vallers.

(3) Horne, Introduction, vol. iv. p. ii. ch. iv.

posuit industriam, monachorum adhibita opera, ut collatis Græcis codicibus emendatissimus sacer textus haberetur; jussitque ut in ambiguis locis "duorum vel trium priscorum emendatorumque codicum auctoritas inquireretur." Recensuit tamen hunc versiculum, nulla dubitatione de ejus authentia indicata.[1] Tanti viri judicio et testimonio certiores sumus eum jam quinto sæculo authenticum habitum fuisse.

165. Eucherius, anno 434, laudat hunc versiculum: "numerus ternarius refertur ad Trinitatem in Joannis epistola: tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis."[2]

166. Marcus Celedensis, in fidei expositione ad Cyrillum directa, idem laudavit testimonium: "Nobis unus '*Pater*,' et unus '*Filius*,' ejus verus, Deus, et unus '*Spiritus Sanctus*,' verus Deus, et hi '*tres unum sunt;* una divinitas, et potentia, et regnum. Sunt autem *tres personæ*, non duæ, non una."[3]

167. Phæbadius, qui floruit quarto sæculo medio, disputans contra Arianos: "Dominus 'Petam,' inquit, 'a Patre meo, et alium advocatum dabit vobis. Sic alius a Filio 'Spiritus,' sicut alius a Patre 'Filius.' Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona: unus tamen Deus (omnia) quia tres unum sunt."[4]

168. Hæc quæ recitavimus testimonia probant versiculum sæculis quinto et quarto jam innotuisse in Galliis, in quibus præfuerunt Eucherius et Phæbadius: in Italia sæculo saltem quinto, Cassiano vivente. De Hispaniis habetur codex vetus Hispalensis versionis Hieronymianæ, gothicis litteris exaratus, qui eum continet.[5] Igitur antiquitatem hanc saltem apud Occidentales versiculo nemo poterit denegare. Jam verò de *recensionum* principio, apud recentiores celebrato, agendum est.

169. Imprimis animadvertendum textum Græcum, prout in primo et secundo sæculo circumferebatur κοινη ἐκδοσις a criticis appellari, eumque a privatis quibuscumque plurimis mendis et mutationibus censeri corruptum.[6] Hujus vetustissimæ editionis nullum superest exemplum quod epistolas catholicas habeat.[7]

170. In codicum usu recentiores critici *familias* quasdam, quas vocant *recensiones* distinguendas docent: existimant enim in præcipuis Ecclesiis codices fuisse, cæterorum veluti exemplaria, quos plerique imitabantur et

(1) Vide Complexiones Cassiodorii in loc. cum notis Maffei.

(2) In libro formularum Spiritualis intelligentiæ, c. xl. n. 3.

(3) Inter opera Hieronymi, t. ix. p. 73, cit. a Hornio, vol. iv. p. ii. ch. v. § iv. p. 451.

(4) Contra Arianos, c. xlv.

(5) Cf. Joseph Blanchini vindiciæ Canonicarum Script. Vulgatæ, lat edit. vol. un. in fol. Romæ, 1740, p. 203.

(6) Hug. Einleitung, 4. h. § 22.

(7) Ibidem, § 34.

describebant. *Alexandrina* igitur *recensio* codex Alexandriæ adhibitus dicitur, ad quem referuntur plurima exemplaria illi plerumque conformia. Hunc a Clemente Alexandrino, et Origene, et deinceps ab Alexandrinis et Ægyptiis usurpatum dicunt. *Occidentalis* designata est *recensio* ab Afris, Italis, Gallis, aliisque occidentalibus adhibita, quam Tertullianus et Cyprianus in suis citationibus secuti sunt. *Constantinopolitana recensio* vocatur quæ in patriarchatu Constantinopolitano latissime est propagata. Hæc ex Griesbach huc transtulimus.[1] Auctus est recensionum numerus ab aliis criticis novissimis. *Africanam* familiam à cæteris distinctam admittendam esse contendit Perrone, post Wiseman, haud levibus adductis argumentis.[2]

171. Ea est *recensionum*, seu *familiarum* utilitas, si criticos audiamus ut de lectione dijudicandum sit, non ex codicum numero, plurimi enim codices ex eodem desumpti exemplari instar unius habendi sunt, sed ex recensionum consensione: magnum quippe est primæ lectionis indicium, si in vetustis codicibus diversarum recensionum inveniatur. Hæc non omnibus placuerunt, nec carent difficultate: attamen quum apud plerosque recipiantur, ea admittenda non repugnamus. Illud autem haud prætermittendum quosdam extare codices *anomalos*, quos ad nullam recensionem referre licet.

172. Sed ad recensionem Africanam ut veniamus, Wiseman censet versionem latinam Scripturarum in Africa primum prodiisse, sæculo saltem secundo; nam præ manibus eam habuit Tertullianus. Equidem quum Italis plerisque sermo Græcus esset familiaris, et nemo ex patribus ante Tertullianum Latine scripsisse noscatur, verosimile est Africanorum causa, utpote non adeo Græce callentium, versionem primum factam: quod ex illius regionis *idotismis*, qui in antiqua versione Latina abundant, satis comprobatur. Africana autem versio e Græco codice, vel illius, vel prioris sæculi, facta sit necesse est. Ergo si constet versiculum hunc in Africana versione repertum fuisse, antiquissimæ recensionis auctoritas ei favebit. Jam vero luculenta præsto sunt testimonia, quibus id ostenditur.

173. Tertulliani celebris est locus: "connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero; QUI TRES UNUM SUNT,[3] non unus: quomodo dictum est: *Ego et Pater unum sumus*, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem."[4] Quamvis verbis perspicuis non laudet versiculum de quo agitur, voces illas "TRES UNUM

(1) *Conspectus potiorum observationum criticarum*, præfixus N. T. G. t. i. p. 23. Hug *recensionem* Hesychii per Ægyptum obtinuisse, Luciani Constantinopoli, et late per orientem, Origenis in Palæstina censet. Has vero recensiones, veluti textus vulgaris emendationes consulto susceptas putat, Hieronymo auctore. Einleitung, h. iv. § 36.

(2) Tract. de Trinitate, c. ii. prop. ii. n. 69.

(3) *Sint*, in aliquo codice legitur.

(4) L. adv. Praxeam, c. xxv. alias xxxi.

SUNT," non casu, sed consultò usurpasse censendus est, tacite citando scripturam, pro patrum more. Quod autem adjungat, ad unitatem illam explicandam pertinet, tres enim unum sunt, juxta Joannis de testibus dictum, ea prorsus ratione qua Christus se et Patrem unum dixit, scilicet substantiæ unitate. Tertullianum autem recurrere consuevisse ad Græcos fontes constat, nàm adversariis aliquando eorum objicit auctoritatem. "Sciamus plane non sic esse in Græco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem."[1] Licet igitur inferre præ manibus eum habisse Græcum codicem, in quo voces illæ de Patre, Filio, et Paracleto referebantur.

174. CYPRIANUS, Griesbachio ipso judice, eadem qua Tertullianus usus est recensione: testimonium autem controversum procul dubio plus semel laudavit. "Cum TRES UNUM SINT, quomodo Spiritus Sanctus placatus ei esse potest qui aut Patris aut Filii inimicus est."[2] Manifestius adhuc: "Dicit Dominus: '*Ego et Pater unum sumus*;' et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est. ET HI TRES UNUM SUNT."[3] Hæc plane est consueta ratio citandi Scripturam, et accurate respondit vocibus Græcis: οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι.[4] Quod autem nonnulli voluerint mysticam interpretationem vocum de testibus terrenis illic excogitare, simplici et obviæ orationis seriei repugnat. Nec moramur Facundum Hermianensem, sæculi sexti scriptorem,[5] qui Cypriani interpres admitti nequit, textu obstante, sicut et antiquiore aliquantulum interprete Fulgentio, qui mentem Cypriani felicius assecutus est.

175. AUGUSTINUS a plerisque censetur manco usus fuisse codice, vel Africana et Itala versione vicissim, nam mysticam octavi versiculi explicationem semel adhibuit: alias versiculum septimum visus est laudasse. Cæterum in mysticam illam interpretationem excurrit, quum Filium ac Patrem unius esse naturæ contenderet ex Christi verbis: "Ego et Pater unum sumus;" et provocaverit adversarium, ut aliquo exemplo ostenderet res diversæ naturæ unum dici: quumque sibi objiceret Spiritum, aquam et sanguinem unum dici, licet natura discreparent, respondit ea ad Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum potius referenda.[6] Alias tamen haud obscure priorem versiculum adhibet: "Pater et Filius unum sunt. Ita etiam Spiritus Sanctus unum cum eis est: *quia hæc tria unum sunt*."[7] "Hi sunt tres testes; et *tres unum sunt*, quia unius substantiæ sunt."[8] "Deus itaque sum-

(1) L. de monog. c. xi.

(2) Ep. ad Jubajan.

(3) L. de unit. Eccl. c. iv.

(4) Vers. 7.

(5) Facundus, Constantinopoli scribens, exul jam a patria, usus videtur manco codice, ideoque conjectavit Cyprianum mysticæ indulsisse interpretationi, quum voces de testibus cælestibus in codice præ manibus non reperisset.

(6) L. ii. adv. Maximin. Arianum, c. 22.

(7) L. iv. de Trinitate, c. xx, n. 29.

(8) Contra Maximinum, l. ii. n. 3.

mus et verus cum Verbo suo et Spiritu Sancto, *quæ tria unum sunt.*"[1] Hæc plane non casu fortuito dicta sunt, sed pro patrum more, quo Scripturæ verba consueverunt laudare. Igitur videtur Augustinus versiculum de quo quæstio legisse in recensione qua utebatur, et ad translatum sensum verba sequentis versiculi retulisse, ut objectioni adversarii obviam iret. Accedit "codex manuscriptus operis inscripti *Speculum*, quod S. Augustini creditur, nuper repertus in bibliotheca Sessoriana, qui quidem codex antiquissimus est, atque, ut creditur, sæc. vii., Africanus pariter."[2]

176. Vigilius Tapsensis, anno circiter 484, eum etiam citat: "Sicut et in hoc exemplo veritatis: in quo nomina personarum evidenter sunt ostensa, ut unitum nomen divinitatis, clause est declaratum, dicente Joanne Evangelista in epistola sua: *tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo, Pater, et Verbum, et Spiritus: et in Jesu Christo unum sunt;* non tamen unus est, quia non est in his una persona."[3] Alias omittit illas voces *in Jesu Christo*, quæ commentationem sapiunt, et simpliciter dicit scriptum a Joanne: "et hi tres unum sunt."[4]

177. Illustre est, et extra omnem dubitationis aleam positum, testimonium quadringentorum et sexaginta episcoporum Africæ, qui, anno 484, Carthaginensi episcopo Eugenio præside, convenerunt, Hunnerico Vandalorum rege Ariano jubente, ut fidem Scripturæ testimoniis tuerentur. Hi versiculum illum adduxerunt, veluti indubiæ apud omnes auctoritatis: "Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque, Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt."[5] Ita refert Victor Vitensis.

178. Fulgentius, episcopus Ruspensis anno 507 creatus, fidei insignis vindex contra Arianos, quibus favit Thrasimundus, Vandalorum rex, sic loquitur: "In Patre ergo, et Filio, et Spiritu Sancto unitatem substantiæ accipimus, personas confundere non audemus. Beatus enim Joannes Apostolus testatur, dicens, *Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus: et tres unum sunt.* Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus in epistola de Unitate Ecclesiæ confitetur; dicens, Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit: qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi ecclesiam spargit. Atque ut unam Ec-

(1) De Civ. Dei, l. v. c. ii.

(2) Perrone, qui citat. Wiseman: "Two letters on some controversy concerning I. John, v. 7, &c." Rome, 1835. Conjicit Perrone duplici recensione usum esse Augustinum, Africana scilicet et Itala, et in hac defuisse versiculum: sed conjectura hac non est opus, si quis advertat animum ad rationem cur mystica interpretione semel usus sit Augustinus.

(3) L. i. de Trinitate.

(4) L. vii. in Biblioth. PP. Ed. Lugd. t. viii. p. 771.

(5) Vide Victor. Vitens. hist. Persec. Vandall. l. iii.

clesiam unius Dei esse monstraret, hæc confestim *testimonia de Scripturis* inseruit: Dicit Dominus, *Ego et Pater unum sumus:* et iterum de Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: *et hi tres unum sunt.* Non ergo ex tribus partibus unum colimus Deum, sed Apostolicæ fidei regulam retinentes perfectum consempiternum Filium de perfecto et sempiterno Patre, sine initio genitum, et potestate non imparem, et natura fatemur æqualem, Sanctum quoque Spiritum non aliud fatemur esse quam Deum; nec a Filio nec a Patre diversum, nec in Filio, nec in Patre confusum."[1]

179. Illud igitur pro comperto habendum censemus extitisse versiculum de quo quæstio in recensione Africana, et in vetustissima versione Latina, in Africa facta, seculo saltem secundo: quod sane magno authentiæ indicio est.

180. Cæterum non dissimulamus eum desiderari in quibusdam Latinæ seu Italæ versionis exemplaribus, unde factum ut nonnulli patres Latini eum prætermiserint. Illud contigisse verosimile est, quod Itala versio vel ex codice Græco in quo casu desiderabatur facta sit, aliquanto recentius versione Africana, quando scilicet Græcæ linguæ notitia non adeo vulgaris erat apud Italos: vel potius quod Africana versio ad Italiam translata codici hujusmodi Græco fuerit accommodata. Cæterum injuria fuisse sublatum, vetustioris codicis, ex quo Africana versio facta erat, nos suadet auctoritas, sicut et sermonis contextus.

181. Necessariò admittendum videtur versiculum illum ab antiquitate valde remota codicibus plerisque Græcis defuisse; nam ideo in versionibus plerisque, et patrum scriptis desideratur. Sed hujusmodi in re plus valere debet unius recensionis Africanæ auctoritas, et eorum qui ea usi sunt patres, quam codicum et patrum cæterorum: quia *positivum* testimonium negativo argumento longe plerumque prævalet, quod de testimoniis ex epistolis catholicis desumptis præsertim dicendum est, quum pauciores supersint codices quibus continentur, et rarius a Patribus citentur. Quod autem nequidem citari consueverit a plerisque Patribus occasione concertationum de divinis personis, probabilem satis admittit explicationem; quod scilicet vel de Christo Deo, vel de Spiritu Sancto plerumque agebatur, et præsto erant plurima de utroque specialia testimonia. Post utriusque divinitatem vindicatam, celebrius evasit dogma Trinitatis, ad quod probandum jure optimo adhiberi consuevit. Præterea constat rariora fuisse epistolarum catholicarum exemplaria, ideoque contingere facile potuisse, ut Patres plures codicibus, in quibus deerant, uterentur, vel exemplari aliquo in quo versiculus ille desiderabatur. Præterea obvia est ratio qua omissio contigerit; difficile e contra concipitur, quomodo, nemine reclamante, in textum inductus fuerit versiculus, et in publico documento adhibitus.

(1) In lib. resp. contra. Arianos. Sic etiam lib. de Trinitate c. 4. et in defens. fidei adv. Pintam.

182. Equidem ut intelligantur quæ de omissionis occasione dicturi sumus, præstat textum ipsum lectoris oculis subjicere.

ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι.

καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καί τὸ αἷμα. καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν.

183. Ex verborum similitudine facile poterat, ut patet, omissio contingere, quum scribentis oculus a voce μαρτυροῦντες prioris versiculi ad eandem vocem in posteriori transferretur. Plurima omissionum exempla quæ simili ratione occurrerunt, omnibus qui codices manuscriptos tractarunt nota sunt.

184. Quod si voces intermediæ textui additæ censeantur, illud vel consultò contigisse dicendum est, vel casu fortuito ; pia quadam adnotatione e margine in textum translata. Nemo facile affirmabit additionem consultò factam, nam interpolator illud sibi proposuisse videretur, ut trium personarum in unitate divinæ naturæ dogma probaret : sed eam inserendo sese adversariorum telis objecisset, fraude facile detegenda. Vix cogitari potest adnotationem pio animo in margine factam, casu in textum inductam, nam si voces ἐν τῇ γῇ " in terra" extiterint, prior versiculus voces quibus respondent ἐν τῷ οὐρανῷ " in cœlo" continens, ad textum pariter pertinere necessariò agnoscendus erit, ne mutilus videatur. Quod si eas abfuisse placeat, quum in nonnullis desiderentur codicibus, mirum est interpretem voces illas " in cœlo" suæ inseruisse adnotationi, vel de Patre, Verbo, et Spiritu Sancto cogitasse, quum spiritus, aqua et sanguis nullam ad eos relationem, saltem ordine illo servato, innuant. Spiritus Sanctus spiritui textus respondere posset : Filius homo factus sanguinis nomine quodammodo exhiberi ; sed quomodo aqua, quæ medium occupat locum, Patris præberet notionem ? Non igitur adnotationis speciem versiculus septimus præsefert.

185. Præterea si veluti additio rejiciatur prior versiculus, dura illa loquendi ratio, nullam idoneam ob causam, adhibita videbitur, quod spiritus, aqua et sanguis testes exhibeantur, Grammatices neglectis regulis ; testes enim masculino genere, illa autem neutro, in Græco idiomate, occurrunt. " Dici debebat : τρία ἐισὶ μαρτυροῦντα" uti animadvertit Glassius:[1] quod autem subjungit, Apostolum uti masculino genere quia de iis " tamquam de personis loquitur," non satisfacit : nam series orationis non postulabat ut tamquam personæ inducerentur, nisi præcesserit mentio eorum qui testes et personæ sunt. Figura congrua erat, et ratio Grammatices regulas negligendi obvia, ut a testibus cælestibus ad testimonia in terra data transiretur.

186. Pergit Apostolus : " Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est : quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo." Jam verò si prior ille versiculus

(1) Can. xix. Philologia sacra.

admittatur, omnia constant, nam Pater de Filio testis exhibetur, cœlitus emissa voce, dum baptizaretur: imo Verbo et Spiritu Sancto pariter cum Patre testantibus. Quod si omittatur, nonnisi obscure spiritus, aquæ, et sanguinis testimonium ab Apostolo veluti Dei testimonium indicabitur. Igitur intrinsecis rationum momentis innititur Vulgata lectio.

187. Id sane non prætermittendum tres testes cœlestes appellari ea ratione qua Joannes consuevit, quam facile neglexisset commentator aliquis vel interpolator. ὁ Λογος Verbum a Joanne in Evangelio designatur. Ipse etiam cœlitus data de Christo testimonia a Patre et Spiritu Sancto retulit; et voces illas Christi quo unitas naturæ declaratur: "Ego et Pater unum sunt." Hæc styli et vocum concordia suam vim habet, ut Joanni versiculus ille tribuatur.

188. Favent igitur versiculo intrinseca indicia et extrinseca argumenta gravissima, ex usu solemni Latinorum et Græcorum, sicut et ex Africana recensione seu versione antiquissima, et aliis capitibus, quæ recensuimus. derivata.

CAPUT V. DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

189. *Processio*, uti jam diximus, est origo, seu emanatio unius personæ divinæ ab alia, seu a duabus aliis: ita tamen ut persona procedens extra naturam divinam non exeat; est enim communis eadem omnibus natura. *Immanens* ideirco processio nuncupatur, quia manet in divina essentia juxta illud Christi: "Pater in me est, et ego in Patre."[1] Pater qui a nemine procedit "fons supersubstantialis Deitatis"[2] ab antiquo scriptore, qui diu Dionysius Areopagita habitus est, nuncupatur. Duæ tantum in Deo processiones sunt, Filii scilicet a Patre, Spiritus Sancti a Patre et Filio. *Æternæ* hæ sunt, *substantiales*, et *necessariæ*. *Metaphysicæ* etiam dicuntur, eo quod nullam inducant mutationem, subjectionemve: nec enim persona procedens altera est ullatenus inferior.

190. *Generationis* nomine designatur processio Patris a Filio. Cæterum recte monet Gregorius Nazianzenus: "Tuas illas fluxiones et divisiones, et sectiones prius abjice, ac de incorporea illa natura, quasi de corporea disputare desine. Atque ita fortasse dignum aliquid generatione divina concipere animo queas."[3] "Credis genitum esse? ne quæras quomodo."[4]

(1) Joan. x. 38.

(2) L. de divinis nominibus c. 2. Scriptor hic floruit sæculo sexto ineunte. Nomen non fraude, sed quod Dionysii sapientiam imitari sibi proposuerit, adeptus est, judice Gorres.

(3) Orat. xxxv.

(4) Basil. hom. xxix.

191. *Processio* simpliciter vocatur origo Spiritus Sancti. "Distinguere inter illam generationem, et hanc processionem," (ait Augustinus) "nescio, non valeo, non sufficio."[1] Idem fatetur Joannes Damascenus: "generationem inter et processionem discrimen intercedere edocti sumus: cæterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus necimus."[2] Aquinas aliquid explicationis causa proferre audet: "verosimilis ratio cur Verbum dicatur et sit genitum, potius quam Spiritus Sanctus, est quia Verbum procedit per intellectum, qui præcise quatenus est intellectus perfectissimus vim habet producendi terminum similem in natura: e contra Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quæ sumpta præcise quatenus est voluntas perfectissima parem vim non habet."[3]

Controversiæ de Spiritus Sancti processione relatio.

192. De Spiritus Sancti processione magna exarsit controversia Græcos inter et Latinos. Eum a Patre procedere in confesso apud omnes est, id enim Christus clarissimis verbis docuit,[4] et Concilium Constantinopolitanum I. agnovit, Symbolo, cum ea explicatione recitato: "qui ex Patre procedit." Synodus Caleciensis anno 447, Toletani III. anno 589, et IV. anno 633, et XI. anno 675, in fidei professione agnoverunt Spiritum Sanctum etiam a filio procedere, sed nihil symbolo addiderunt. Contigit deinceps ut adderentur voces: "Filioque," quod ægre tulerunt Græci. Anno 767 in Concilio Gentiliacensi prope Parisios, Constantini Copronymi legati cum episcopis Gallis ea de re disputarunt; et postea improbavit Leo III. additionem, quam an. 809 sanxerat concilium Aquisgranense. Cæterum non ideo restitit quod Spiritum Sanctum a Filio procedere negaret; nam legatis Græcis dixit "posse utrumque fieri,"[5] seu utraque ratione cani symbolum, sed quod additio periculum dissidiorum afferret, et a supremo tribunali haud manaverit. Hinc acquieverunt postea Pontifices, adeo ut ante sæculum elapsum Photius Nicolao I. id criminis loco objecerit.[6]

193. Schisma a Photio, Constantinopolitanæ sedis invasore, cœptum, et postea sedatum, renovavit undecimo sæculo Michael Cærularius, eandem inter alias prætexens rationes. Redierunt Græci ad unitatem anno 1274 concilio Lugdunensi; sed deinceps iterum lapsi, anno 1439 pacem in concilio Florentino iterum inierunt, huic definitioni subscribentes: "definimus quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et ex Filio, et ex utroque

(1) L. ii. contra Maximin. c. xiv.
(2) L, i. de fide Orthodox. c. 8.
(3) 1. p. q. 27. art. 2.
(4) Joan. xv. 26.
(5) T. ii. conc. Gall. p. 256.
(6) In epistola encyclica cit. a Petavio de Trinitate l. vii. c. iii. § iii.

æternaliter tamquam ab unico principio, et unica spiratione procedit." . . "Definimus insuper explicationem verborum illorum '*Filioque*' veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam." Dolendum Græcos, Marco Ephesino suadente, brevi in schisma prolapsos, quod adhuc durat.

194. Quum hæc apud nos non agitetur controversia,[1] satis erit aliqua recitare Catholici dogmatis documenta, et difficultates præcipuas breviter diluere. Filius se missurum Spiritum Sanctum sæpius dixit, quæ ratio loquendi *in divinis* originem indicat: "Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre:"[2] "mittam eum ad vos."[3] De iis quæ Filii sunt accepturus dicitur, quod originem etiam denotat: "Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet et annunciabit vobis."[4] Sæpius etiam dicitur Spiritus Filii, utique quia de Filio procedit. "Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu."[5] "Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra."[6] Patres, etiam Græci, processionem a Filio satis clare agnoverunt. S. Basilius: "Dignitate secundum esse a Filio, ut qui ab illo esse habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat pietatis sermo tradit."[7] S. Epiphanius: "Jam verò cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ab ambobus; ut Christus his verbis asserit: 'Qui a Patre procedit;' et, "Hic de meo accipiet."[8] Spiritus Sanctus igitur, juxta Epiphanium *ab ambobus* παρ' ἀμφοτέρων est. Id iterum dicit, et propugnat paulo inferius. S. Cyrillus Alexandrinus: "Quamvis enim Spiritus in substantia propria sit, quatenus Spiritus est, et non Filius; est tamen ab ipso non alienus. Profunditur autem ab ipso, non minus profectò quam ex Deo et Patre."[9]

195. Alia plurima Græcorum et Latinorum patrum testimonia apud Petavium videre est.[10] Id insuper animadvertendum nonnullos dicere Spiritum procedere ex Patre *per* Filium. Sic Cyrillus Alexandrinus: ἅγιον δέ πνεῦμα προσερεῖς τὸ ἐκ θεὸ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς: "Sanctum vero Spiritum

(1) Episcopaliani palam nobis hac in re assentiuntur: "The Holy Ghost, proceeding from the Father and the Son, is of one substance, Majesty and Glory, with the Father and the Son, every and eternal God." Art. vi. Concinunt Presbyteriani Confession of Faith, ch. ii. § iii. Methodistæ, Baptistæ, pro more, illos hosque imitantur.

(2) Joan. xv. 26.

(3) Joan. xvi. 7.

(4) Joan. xvi. 14.

(5) Act. xvi. 7.

(6) Gal. iv. 6.

(7) L. iii. contra Eunomium.

(8) In Anchorato No. 67. No. 71. Videt et hær. lxxiv.

(9) Ep. ad Nestorium.

(10) L. vii. de Trinitate c. iii. et

appellabis, qui ex Deo Patre per Filium naturaliter profunditur."[1] Jam verò nulla est ratio cur *per Filium* Spiritus dicatur procedere, nisi Filius, una cum Patre, illius principium sit.[2]

196. Quod Scriptura dicat eum a Patre procedere, non dicat pariter, eadem verborum formula, eum procedere a Filio, non obstat; nam aliis verbis idem dicit: nempe, eum a Filio mitti, de eo quod est Filii accipere, et Filii esse Spiritum.

197. Quod ad Symbolum Constantinopolitanum attinet, meritò adjectum est Spiritum Sanctum a Patre procedere, ut ejus divina natura vindicaretur contra Macedonii impietatem. De ejus processione a Filio nihil dictum, quum Macedonius eum a Filio creatum assereret: quapropter ambiguitatem voces de processione a Filio pati poterant, et hæresi favere.

198. Concilium quidem Ephesinum statuit "alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, ac componere, præter eam quæ definita est a Sanctis Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu;" modum imponere volens novis fidei formulis, sub quibus hæresis latere facile potuit: sed hominibus singulis, non conciliis, vel Ecclesiæ lex illa est imposita; eadem scilicet est semper conciliis œcumenicis et Pontificibus summis auctoritas, quæ Nicæno et Constantinopolitano primo fuit, fidei dogmata antiquitus tradita pleniori symboli explicatione contra hæreses novas vindicandi et tuendi.[3]

(1) L. ii. dialog.

(2) Vide Petavium de Trinitate l. vii. c. xvi.

(3) Concilii hoc decretum in medium afferre consueverunt Protestantes, ut articulos Tridentinos rejiciant: ipsi tamen novas condiderunt fidei professiones, et plurimos excogitaverunt articulos de quibus silet vetus symbolum. Nobiscum insuper profitentur Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere.

CAPUT IV. DE VOCIBUS THEOLOGICIS.

199. De vocibus pluribus, quas passim Theologi usurpare consueverunt, de hoc mysterio tractantes, jam diximus; quædam supersunt explicandæ.

200. *Relatio*, in divinis, est ordo, seu respectus, unius personæ ad alteram. Aliæ sunt *communes* tribus personis, uti sunt *identitas æqualitas:* aliæ *personales*, quæ scilicet ex processionibus oriuntur. Quatuor numero hæ sunt: *paternitas*, scilicet, *filiatio*, *spiratio activa*, et *spiratio passiva.* Paternitas est relatio Patris gignentis ad Filium quem gignit: Filiatio est relatio geniti ad genitorem: Spiratio activa est relatio Patris et Filii ad Spiritum Sanctum, quem ambo, instar unici principii, spirando producunt: Spiratio passiva est relatio Spiritus Sancti ad Patrem et Filium. Relationes hæ reales sunt, secus nulla esset personarum distinctio. Cæterum celebre est axioma Anselmi: "Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio."

201. *Circumincessio*, Græce περιχωρησις, dici solet mutua personarum divinarum in se invicem existentia, vi scilicet naturæ unitatis: "Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?"[1] Hinc S. Fulgentius: "Totus est Pater in Filio et Spiritu Sancto, totus Filius in Patre et Spiritu Sancto, et totus Spiritus Sanctus in Patre et Filio."[2]

202. *Missio* de divinis personis prædicatur, habita ratione processionis, et relationis alicujus ad creaturas. De Patre igitur numquam dicitur, quia a nemine procedit; de Filio autem sæpe, sicut et de Spiritu Sancto.

203. *Nomina propria* ea sunt quibus personæ distinguuntur: Pater, scilicet, Filius, et Spiritus Sanctus. *Appropriata* nomina ea sunt quæ omnibus licet conveniant, uni alterive plerumque tribuuntur. Sic prima persona *Pater noster* et *Creator* præsertim dicitur.

204. *Filius* Verbum vocatur, estque imago Dei invisibilis.[3] *Spiritus Sanctus* vocatur *amor* Patris et Filii, *donum* etiam *Dei.* Ei tribuuntur quæ bonitatem divinam præcipue commendant: v. g. conceptio Christi in utero Virginis, hominis sanctificatio. Omnia tamen opera divina *ad extra*, uti aiunt Theologi, communia sunt tribus personis.

205. De tanto mysterio loquentes, cavendum ne a recepta et Ecclesiæ probata ratione loquendi recedatur: facile enim error obrepere posset. *Unum* recte dicuntur tres personæ, sed non unus. *Unica* et *singularis* Dei essentia dicenda non est, ne personæ plures negari videantur. Nec

(1) Joan. xiv. 11.
(2) L. de fide ad Petrum c. i.
(3) Coloss. i. 15.

personæ dicendæ sunt *unitæ* vel *conjunctæ*, ne compositionis notio subsit. Ea de causa *multiplex* vel *triplex* essentia non est nuncupanda ; sed usus habet ut Deus *trinus* dicatur, ob tres in una essentia personas, unde et *Trinitatis* nomen. Pater *alius* est a Filio, non *aliud*, diversa quidem persona, sed eandem habens essentiam.

206. *Nomina absoluta concreta substantiva* singulari tantum numero usurpanda sunt : unus igitur est Deus, unus Dominus : sed *adjectiva* afficiunt personam, ideoque plurali numero dici possunt. Absoluta concreta aliquando referuntur ad essentiam : " Deus fecit mundum."[1] Aliquando respiciunt personam aliquam divinam, præsertim Patrem : " Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret."[2]

207. Hæc dixisse sufficiat de altissimo mysterio, quod adorare potius quam scrutari præstat.

(1) Act. xvii. 24.
(2) Joan. iii. 16.

TRACTATUS VII.

DE REDEMPTORE.

PRÆNOTANDA.

1. Plura de Messia tradidimus in tractatu *de Revelatione*, quibus multa adjecimus de Christo Deo disserentes: attamen plura supersunt dicenda, ut quæ in hominum salutem perfecit, intelligantur. Eum Salvatorem et Redemptorem, qui genus humanum interitu liberavit, christiana agnoscit Ecclesia, peccatum sua morte expiatum et deletum prædicans: eumque, ab initio prædictum, fide et spe quotquot vixerunt justi amplexos fuisse docet. Rationalistæ autem, qui plerique prophetiam, et totum Redemptionis mysterium exsibilant, nullam hujusmodi spem veteribus hominibus fuisse contendunt. Sunt qui dicunt apud Judæos post imperii Israelitici in duo regna divisionem, et varias clades, ortam esse opinionem spemque de theocratiæ instauratore, egregio aliquo e Davidis stirpe, qui regno antiquum restitueret splendorem, oriundo. Cæterum negant eum divinitus promissum, vel in salutem hominum missum. Judæi plerique eum temporalem ducem et liberatorem, etiam Christi Jesu tempore, venturum sperabant, quin de spiritualibus bonis satis cogitarent. Attamen non omnis horum notio evanuerat, nam apud Samaritanos ipsos Pentateucho tantum utentes, expectabatur totius veritatis magister, imo et mundi Salvator.[1] Spem autem venturi Messiæ foverunt constanter Judæi: nec nisi novissime aliquis eorum scriptor eam abjecit, de singulari aliquo duce negans esse promissionem, sed de libertatis vindicibus identidem suscitandis. Nostrum igitur est Redemptorem ostendere promissum fuisse, qui, diaboli solutis operibus, veritatis magister, et salutis dux generi foret humano.

(1) Joan. iv. 42.

CAPUT I. DE REDEMPTORIS EXPECTATIONE.

PROPOSITIO.

Redemptor homini lapso promissus est, et cultorum Dei expectatione perpetuo celebratus.

2. *Probatur ex Scripturis.* Geneseos tertio capite Deus serpentem dicitur allocutus: "Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus."[1] Serpentis voce designari non animal tantummodo, sed dæmonem potius, qui ejus opera usus est, colligitur ex ipsa tentationis narratione, qua exhibetur loquens, suadensque Evæ ut divinam mandatum violet: nec enim animal id suasisse existimandum est. Apocalypsis nullum dubitandi locum relinquit: "projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas."[2] Diabolo adscribit *Sapientiæ* auctor hominis interitum: "invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum."[3] Christus ideireo eum homicidam ab initio designat.[4] Apud Judæos הַנָּחָשׁ הַקַּדְמוֹנִי *serpens vetus*, dæmon consuevit vocari.[5] Ergo traditio, tum judaica, tum christiana, dæmonem tentationis auctorem agnoscit, et pœnam proinde in eum latam.

3. In serpentem quidem, utpote dæmonis instrumentum, sententia etiam lata est, et ut reptaret in terra jussum: sed ex occasione summæ illius detestationis qua homines serpentes aversantur, et insidiarum quas hi illis struunt, prædixit Deus inter dæmonem et mulierem, et inter dæmonis semen, impios scilicet homines, qui instar seminis habentur,[6] et inter mulieris semen, inimicitias perpetuas, et mulieris de serpente triumphum. Ipsa conculcatura erat serpentis caput, semine ejus peccati mortisque futuro victore. Calcaneo seminis, humanæ naturæ a Verbo assumptæ, insidias mortemque molitumus erat dæmon; sed id in gloriam triumphi cessurum erat. Data est igitur promissio redemptoris, qui sauciatæ naturæ mederetur, et cum ingenti dæmonis ignominia, ejus comprimeret potestatem.[7]

4. Abrahæ promissio explicatius facta est; "Benedicentur in semine

(1) Vers. 15.

(2) Apoc. xii. 19.

(3) Sap. c. ii. 24.

(4) Joan. viii. 44.

(5) "Das entdeckte Judenthum," vol. i. p. 822, Eisenmenger auctore, quem citat Hengstenberg.

(6) Matt. xxiii. 33. Joan. viii. 44. I. Joan. iii.

(7) Plura præclara de hoc vaticinio apud Hengstenberg videre est. *Christology vol. i. ch. ii. p. 25. Versionis Anglicæ.*

tuo omnes gentes terræ."[1] Isaaco et Jacobo renovata est, iisdem fere verbis.[2] Illam autem omnium gentium benedictionem ad justificationem, quam gentes in Christum credentes assecuturæ erant, refert Apostolus: "Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes."[3] Semen autem singulari numero ad insignem illum Abrahæ filium referri docet Apostolus, cujus auctoritas apud Christifideles obtineat necesse est; ut interim prætermittamus eam rationem interpretandi apud Judæos usitatam, qui, quum Scripturas ex Spiritus Sancti inspiratione exaratas crederent, nec voculam vacare mysterio haud immerito censebant. "Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus."[4] Ægre assentimur Hengstenberg docenti Apostolum hanc interpretationem *possibilem* esse tantum tradere, quum voci tanta vis haud necessariò insit:[5] quamvis demus Apostolum ex eventu promissionis singulari numero enuntiatæ vim adnotare, quæ alias non foret omnino ineluctabilis.

5. Nulla verosimilis assignari potest ratio qua gentes universæ in Abrahæ posteris benedicerentur, præter redemptoris adventum. Temporales calamitates in Chananæos ab Israelitis derivatæ sunt: non igitur ea ratione benedictæ sunt gentes, sed spiritualibus acceptis beneficiis. Quod autem veri Dei cognitio eorum opera sit aliquatenus diffusa inter vicinas gentes, promissioni amplissimæ non respondet. Inaniter autem quidam conati sunt textum explicare, de ratione qua gentes se beatas prædicarent, Abrahæ, Isaaci, et Jacobi instar, nam liquet ex verbis vaticinii ipsas gentes benedicendas, fruituras scilicet maximis beneficiis, insignis cujusdam ex patriarchis prognati opera.

6. Moyses prophetam sui instar divinitus suscitandum prædixit populo: "Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies."[6] Hic non quilibet propheta, nec vatum series, sed quidam singularis propheta, qui instar Mosis Deum inter et populum foret sequester, quique quæcumque mandaret Deus loqueretur, designatur. Hinc Judæi veteres de Messia explicuerunt,[7] qui propheta ὁ προφήτης idcirco vocabatur.[8] Apud Samaritanos, Pentateucho tantum utentes, viguit ea fides de Christo venturo, qui plenam rerum omnium quæ

(1) Gen. xii. 3. xvii. 18. xxii. 18.
(2) Gen. xxvi. 6. xxviii. 13. 14.
(3) Gal. iii. 8. 14.
(4) Ibidem, v. 16.
(5) Christology ch. ii. *promises to the Patriarchs*, p. 49.
(6) Deut. xviii. 15.
(7) Id fatetur Bertholdt de ortu Theol. Jud. p. 109, cit. a Hengstenberg, Christology, Deut. 18, p. 69.
(8) Joan. vi. 14.

ad salutem spectant impertiretur notitiam. Jesu mulierem Samaritanam, de cultu Deo grato, et saluti profuturo, edocente, ipsa animadvertit, communem suæ gentis expectationem prodens: "Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus,) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia."[1] Hæc verbis vaticinii respondent: "Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero ei."[2] Petrus fidenter Moysen eo loci de Christo locutum dixit.[3] Pater ipse cælestis ei testimonium tulit, eumque audiendum jussit: "ipsum audite."[4]

7. Innumera sunt Psalmorum, Isaiæ, et aliorum vatum loca quæ Redemptorem Christum annuntiant, justitiæ et salutis auctorem, quæ magna cum eruditione nuperrime illustravit Hengstenberg. Psalmo secundo celebrat vates regem a Deo inunctum, cui frustra gentes regesque restiterunt, divina domandi potentia. De rege singulari agi, Israeliticis cæterisque omnibus regibus longe superiori, constat; agnoscitur enim Dei Filius, a Deo vere genitus, et universarum gentium imperio donatus. "Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ."[5] Nihil est in historia Davidis, Salomonis, vel alterius regis Judaici, quod his aliisque Psaltis verbis respondeat, adeo ut necessario quærendus sit singularis quidam rex, cujus gloriam celebravit David. Eum justitiæ et salutis auctorem esse ex Psalmo facile colligitur, nam ad ejus cultum invitantur reges, ne a justitiæ semita penitus abscindantur. "Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, (Hebraice נַשְּׁקוּ בַר *osculamini*, scilicet, osculando *adorate filium*) nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa." Adeo Christo omnia hujus Psalmi verba congruunt, ut Eichhorn id fateatur.[5]

8. Psaltes de Redemptore, tamquam rege victore, qui dilectam sibi assumit sponsam, canit et egregias ejus virtutes, et imperium amplissimum et æquissimum celebrat: "Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis . . . specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua. . . . Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui."[6] Nec Davidi, nec Salomoni tanta congruunt elogia; nec de regis terreni sponsa dici poterant quæ in Psalmo hoc de regina prædicantur. Describitur plane imperium amplissimum

(1) Joan. iv. 25.
(2) Deut. xviii. 18.
(3) Act. iii. 22.
(4) Matt. xvii. 5.
(5) Biblioth. der Bibl. Literat. i. 534. Bertholdt etiam de Ortu Theolog. Hebr. p. 123. Rosenmüller in 2a edit. Citati a Hengstenberg, p. 83.
(6) Psalm xliv.

"super omnem terram," quod æquissimum foret, et æternum. Ergo celebratur ille olim promissus, in quo gentes universæ benedicendæ forent.

9. In Psalmo lxxi. regni illius beatitudo et amplitudo depingitur: "Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: et humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum sole; et ante lunam, in generatione et generationem. . . . . Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec auferatur luna. . . . Adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei. . . . Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ." Hæc certe designant singularem quemdam regem, universis gentibus bona largientem.[1]

10. Christum Dominum suum summi honoris Jehovæ participem exhibet David, victorias ejus de hostibus, et amplissimam discipulorum multitudinem, cum Sacerdotio perpetuo celebrans. "Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. . . . Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech."[2] Hæc plane denotant summum regem, sacerdotio in hominum salutem functurum.

11. Salutem hanc universis hominibus ex Christi ærumnis et morte orituram prædixit Psaltes, has accuratius recensens. "Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea." . . . "Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. . . . Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium."[3] Hæc non Davidi, nec alii cuiquam convenire noscuntur, præter humani generis redemptorem.

12. Sæpius sacrificium pro mundi salute oblatum, veteribus victimis rejectis, canit David: "Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna."[4] Hæc Redemptorem annuntiant se victimam offerentem, ut quæ de eo in legis volumine prædicta sunt a Moyse implerentur, et divina celebraretur justitia in Ecclesia omnium gentium. Christianis Apostolus Paulus locum dubitandi non relinquit.[5]

13. Isaias verbis maxime perspicuis singularem illum virum, qui peccata omnium sua morte deleret, celebravit, prophetarum more, rem veluti jam peractam contemplans: "Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra . . . posuit Dominus in eo ini-

(1) Vide Hengstenberg in Ps. p. 98.
(2) Ps. cix.
(3) Ps. xxi.
(4) Ps. xxxix.
(5) Heb. x. 5.

quitatem omnium nostrum . . . propter scelus populi mei percussi eum . . . . in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit . . . . ipse peccatum multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit."[1] Hæc vati, vel alteri cuiquam, non conveniunt, præter illum ab omnibus vatibus celebratum, qui omnium hominum est Redemptor.

14. Danieli etiam prædixit Angelus peccati deletionem et justitiæ regnum, adveniente Christo duce: "Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexagintæ duæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus."[2] Liquet adventum singularis illius ducis designari, et peccatorum remissionem pluribus declarari rationibus. Expectabatur igitur Redemptor, peccata deleturus et pactum cum multis facturus, eos sibi beneficiis et legibus devinciendo.

15. Alia omittimus, quum ex testimoniis allatis manifestum sit eam fuisse justorum sub Veteri Testamento fidem spemque certam, venturum tandem aliquando quemdam divinitus promissum, qui peccatis remedium afferret, et benedictionibus populum Israeliticum, imo gentes omnes, repleret. Posteriores Judæi temporalis felicitatis spem una cum spiritualibus bonis conjungebant; nec tamen prophetæ, doctoris, et Salvatoris dotes Messiæ quem expectabant tribuere desinebant, donec, spe diu frustrati, nonnulli, ad Christianis molestiam creandam, omnem prorsus notionem Redemptoris abjecerint.[3]

16. Accedit aliarum gentium e primæva revelatione derivata traditio: qua de causa desideratus cunctis meritò prædicatur,[4] quamvis plerique nonnisi subobscure eum qui earum mederetur malis divinare potuerint. Job inter Idumæos et Arabes spem quam fovebat Redemptoris prodidit: "Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. . . . Reposita est hæc spes mea in sinu meo."[5]

(1) Isaiæ liii. Vide Hengstenberg, Christology, vol. i. p. 507.

(2) Dan. ix. 24. Vide eruditas Hengstenbergi animadversiones, Christology, vol. ii. p. 292.

(3) Schoettgenius antiquiorem Hebræorum ideam de Messia illustravit in Horis hebraicis et talmudicis tom ii. l. i. c. i. et ii., et toto libro iii. cit a Perrone. Vide etiam Hengstenberg passim.

(4) Aggæi ii. 8.

(5) Jeb. xix. 25.

17. Apud Persas traditionis hujus vestigia occurrunt, *Mythra* enim medius colitur inter *Oromanzen* boni principium et *Arimanium* auctorem malorum. Alia apud alios populos orientales reperire est indicia : imo Prideaux recte affirmavit opinionem mediatoris penes omnes populos obtinuisse.[1]

OBJECTIONES DILUUNTUR.

18. *Obj.* 1. Moyses plane intelligendus est de odio quo hominum genus serpentes insequerentur, nam animalis dotes moresque describit, et mulieris semen scilicet posteros, serpentis semen, percussuros dicit, nihil prorsus de victoria de dæmone reportanda insinuans. Ad singularem hominem referri non potest quod de semine mulieris, scilicet de omnibus ejus posteris, prædicatur ; nec diabolo semen nisi perabsurde tribui. Dicendum igitur serpentem fructum comedentem occasionem præbuisse mulieri ea secum reputandi quæ Moyses, sub mytho Orientali, refert : indeque ingeniose excogitatam fabulam de pœna serpentis, in terra reptantis.

19. *Resp.* Nil obstat quin de serpente et de diabolo Moyses intelligatur : de serpente quidem, tamquam instrumento, de diabolo verò totius tentationis auctore. Tota sermonis series cogit ut serpentem adhibitum esse fateamur ; nam ita ferunt verba ipsa, quæ ut obvio accipiantur sensu suadent cætera quæ de hominis conditione narrantur. Nullum quidem allegoriæ datur indicium, quam arbitrio confingere non sinit ulla exegeseos sacræ regula. Cæterum diabolum interfuisse, totius doli artificem, liquet ex constanti gentis judaicæ traditione, quam Apostoli, imo et Christus, sua auctoritate sanxerunt, cuique relatio ipsa favet ; nec enim suspicari licet serpentem unquam vi sua naturali protulisse voces, vel ratiocinando mulieri persuasisse crimen. Quod autem Gabler, Eichhorn, aliique colloquium hoc fictum contendant, ut Evæ cogitationes, viso serpente, exhibeantur, ingeniose quidem excogitatur, sed repugnante tota narratione, quæ historiæ, non poeseos, rationem habet.[2] Quod autem dæmonis mentionem non fecerit Moyses, sapientissimo procul dubio consilio contigit, forsan ne superstitioni apud Orientales late vigenti de serpentis cultu videretur quodammodo patrocinari. De genere hominum universo licet interpretari promissionem, quatenus dæmoniaca in omnes potestas compressa est, sed unius singulari virtute et potentia. Hinc Apostolus, ad hunc locum manifesto alludens, dicit: " Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter."[3] Et alias : " semper triumphat nos in Christo Jesu."[4] Semen autem diaboli impii haud inepte dicuntur.

(1) Hist. des Juifs i. p. l. 3. t. i. cit. a Perrone. Vide etiam Hengstenberg, Christology, ch. i. p. 14.

(2) Vide Hengstenberg, Christology, vol. i. p. 28.

(3) Rom. xvi. 20.

(4) II. Cor. ii. 14.

Sic Christus ipse vocat Pharisæos: "serpentes genimina viperarum."[1] Qui de solo odio quo homines serpentes persequuntur textum explicant, omnem pœnam denegant, nam illud naturale est, et cum pristina illa tentatione haud necessario connexum. E contra plenum verborum sensum dant, qui in eo indicium et memoriale quoddam agnoscentes, ad dæmonis referunt cladem quæ de capite serpentis conculcando prædicta sunt.

20. *Obj.* 2. Benedictio omnium gentium Abrahæ, Isaaco et Jacobo promissa, per posteros eorum, "in semine," non per aliquem singularem virum, erat diffundenda. Quod autem Paulus ad Christum eam referat, vim singulari voci tribuens, fit contra linguæ Hebraicæ indolem, quæ pluralem numerum זְרָעִים non admittit, nisi de plantarum seminibus. Hinc *Winerus* recte monuit, "hanc Pauli argumentationem hominum judaicorum, quibuscum ageret, ingeniis magis, quam linguæ hebraicæ rationibus accommodatam esse."[2]

21. *Resp.* Licet et posteros universos Abrahæ, aliorumque patriarcharum, filios scilicet, qui fidei et justitiæ sunt hæredes, intelligere, et eum qui omnis justitiæ et salutis est auctor, Christus. Equidem Apostolus alias dicit: "ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed est ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum."[3] Ad Galatas autem docet Christum præsertim in promissione respici: "ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem."[4] Hæc quidem optime conveniunt. Quod autem animadversionem de singulari numero attinet, Paulus, eventum cum vaticinio conferens, docet Christum esse semen illud illustre, benedictionum fontem. Hæc argumentandi ratio Judæis admodum familiaris non necessariam illationem vi vocis indicat, sed mysterium voce quodammodo inclusum evolvit. Nec obstat quod linguæ indoles ferat ut singularis adhibeatur numerus.

22. *Obj.* 3. Prophetam instar sui suscitandum prædixit Moyses, ut cuilibet sacro vati, Dei nomine loquenti, fidem conciliaret, et populi obedientiam. De singulari aliquo homine non est locutus.

23. *Resp.* נָבִיא *prophcta* nullibi pro cœtu prophetarum usurpatus reperitur. *Suffixa* etiam singulari numero constanter usurpata vatem quemdam, non multos, indicant, consueverunt enim Hebræi ea utroque numero vicissim adhibere, quando de nomine multitudinis agitur. Specialis vis manifesto inest vocibus quibus Moysis instar futurus dicitur: בְּמוֹךָ כָּמֹנִי De Mediatore, per quem Deus populo loqueretur, specialissima quadam ratione manifestò agitur.[5]

(1) Matt. xxiii. 33.
(2) Rosenmüller in ep. ad. Gal. c. iii.
(3) Rom. iv. 16.
(4) Gal. iii. 14.
(5) Vide Hengstenberg, *in locum* p. 70.

24. *Obj.* 4. Nonnisi post scissum regnum Israeliticum, et magnas toleratas calamitates, opinio de theocratiæ restauratore, alio Davide, qui dirutum Davidis regnum iterum statueret, recepta est; vatibus populum ea spe solantibus, populo sibi blandiente de gloria et felicitate aliquando restituenda. Osee ita intelligendus est: "Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum."[1] Amos: "In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reædificabo aperturam murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis."[2]

25. *Resp.* David ipse, dum maxime floreret potentia, celebravit regem illum quem Dominum suum non dubitavit appellare, tanto honoris titulo nullum regem sibi similem dignaturus. Quæ laudavimus testimonia ex Psalmis ad florentissima regni tempora referuntur, ut interim nihil dicamus de Geneseos locis quæ promissionem spemque liberatoris ad generis humani primordia retrahunt. Ficta illa origo quam excogitarunt Rationalistæ clarissimis documentis repugnat, quæ demonstrant fidem constantem totius gentis judaicæ per omnes rerum vices. Quod autem Osee futurum illum regem David vocaverit, congruum erat, quum solium David occupaturus, eaque novo populo collaturus beneficia, quorum imago quædam Davide regnante præcessit. Amos etiam humilem familiæ Davidicæ conditionem ante Messiæ adventum prædixit, de gloria ejus secutura sub variis imaginibus canens. Vera et plena Messiæ notio, omnibus collatis vaticiniis, habetur.

26. *Obj.* 5. Vaticinia pro arbitrio explicantur, ut Redemptoris habeatur notio, quum pleraque victorem armis triumphaturum referant.

27. *Resp.* Vaticinia enuntiant dæmonis victorem, in quo gentes universæ forent benedicendæ, prophetam cælestem, quo adveniente regnaret veritas et justitia, deletis peccatis. שִׁלֹה *Pacificus* a Jacobo vocatur, Melchisedech rex Salem in typum ejus datus est, ut justitiæ et pacis rex agnosceretur, sacerdosque Dei altissimi. Psaltes qui maxime ejus celebravit gloriam, bellicis adhibitis imaginibus, justitiæ et æquitatis regnum ejus esse dixit, et plura alia dedit indicia sensus spiritualis et allegorici qui aliis vocibus suberat. Igitur non nostro arbitrio, sed juxta exegeseos regulas, eventu sensum vaticiniorum illustrante, ea explicamus.

(1) Osee c. iii. 5.
(2) Amos. ix. 11.

CAPUT II. DE NATURA REDEMPTORIS HUMANA.

28. Christum Jesum esse Redemptorem homini lapso promissum, et patrum expectatione, et prophetarum oraculis celebratum, ex iis quæ de Messia alias disseruimus constat. Eum Deum esse probavimus, Verbum scilicet divinum Patri consubstantiale: quod consonum est vaticinio: "Deus ipse veniet et salvabit vos."[1] Attamen in humana natura opus redemptionis est peractum, quam vere ab ipso susceptam esse credere idcirco oportet.

29. Simon Magus, Saturninus, Basilides, Cerdo, Marcion, Manes, aliique incarnationem et mortem Christi specie tantum contigisse dicebant, mysterium crucis, quod Deo putabant indignum, hac ratione evacuantes.[2] Nascentem jam suo tempore hæresim Apostoli evellere studuerunt, veram incarnationem statuentes verbis maxime perspicuis: "Verbum caro factum est."[3] "Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis Spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est."[4] Ideo S. Ignatius tanta cum vehementia veritatem rerum gestarum Christi fidelibus commendabat. "Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit, et bibit, vere persecutionem passus est, sub Pontio Pilato, vere crucifixus et mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus, subterraneis: qui et vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius."[5]

30. Constat ex fide Christum revera passum, et proinde humanam naturam ita a Verbo assumptam, ut pati morique posset. Utrum autem ex naturæ conditione, vel lege extraordinaria, et miraculi instar, doloribus fuerit obnoxius a nonnullis quæsitum est.[6] In ea sumus sententia id tulisse naturæ conditionem, quin necessitati ulli subjaceret Christus, quippe qui nonnisi pro voluntatis suæ arbitrio passus est.

31. *Incorrupticolarum* secta, Docetis affinium, circa annum 519 exorta est, Juliano Halicarnasseo auctore, qui Christi corpus communi naturæ conditione, qua corpora continua animalium et vitalium partium functione atteruntur, eximebat. Specie igitur, non revera, si illis credatur, esuriebat

(1) Isaiæ, xxxv. 4.
(2) *Docetæ* et *Phantasiastæ*, Græcis nominibus, plerique dicebantur.
(3) Joan. i. 14.
(4) 1 Joan. iv. 2, 3.
(5) Ep. ad Trallianos.
(6) Vide Perrone, tract. de Incarnatione, p. ii. c. ii. cor. iv.

Christus, fatigatusque est.[1] *Corrupticolæ* e contra, duce Severo Antiocheno, monacho Eutychiana labe infecto, contendebant ex naturæ necessitate eum esurivisse, sitiisse, et fatigatum esse. Catholic ieum revera esuriisse, aliasque quæ refert Scriptura expertum esse corporis vices, agnoscebant: secus illuderent nobis sacri scriptores, vel Christus fingere videretur. Cæterum penes ipsum erat eas experiri, vel evitare, juxta ea quæ tradit Augustinus: "Esurivit Jesus; verum est, sed quia voluit: dormivit Jesus; verum est, sed quia voluit: contristatus est Jesus; verum est, sed quia voluit. . . . . In illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam."[2]

32. Quum anima humanæ naturæ præcipua sit pars, a Verbo assumpta est: quod tamen negavit quarto sæculo Apollinaris Laodicenus, Verbum ipsum loco animæ ponens, sicut et Arianis plurimis placuit. Errorem hunc, quo humana natura Christi potiore sui parte mutilatur, anathemate proscripsit concilium Romanum sub Damaso: "Anathema etiam illis adjudicavimus, qui asserunt quod in carne humana Verbum Dei loco animæ rationis compotis habitavit."[3] Scriptura quidem de Christi anima verbis perspicuis loquitur, eaque ei tribuit, quæ Verbo Dei in divina sua natura convenire non possunt: "Tristis est," inquiebat Christus ipse, "anima mea usque ad mortem."

33. Animi igitur affectus varii, quos *passiones*, philosophico sensu, nuncupare solent, in Christo sunt agnoscendi, quamvis necessariò eos omni vitio et defectu immunes concipere debeamus: nec enim vitia nostra, sed naturam suscepit. Diligebat Joannem speciali affectu, Lazarum etiam; imo Martham et Mariam ejus sorores,[5] dilectione purissima et sanctissima prosequebatur. Respexit iratus Pharisæos sibi insidiantes,[6] nec tamen præceps iræ motu ferebatur. Contristatus est, Hierosolymorum excidium mente contemplans, et gaudium triumphi temperavit lachrymis.[7] In horto mœrore se fere obrui passus est;[8] non mortis metu, ut pessime asserit

(1) Liberatus in Breviario, c. xx.
(2) Tract. xlix. in Joannem.
(3) Vide Theodoretum, l. v. hist. Eccl. c. xi.
(4) Matt. xxvi. 28.
(5) Joan. xi. 5.
(6) Marc. iii. 5.
(7) Luc. xix. 41.
(8) Hæc humanitus et perperam interpretatur Furnesius, de tristitia ob solitudinem, et mortem. Ubique quærit humanos hos in Christo errores, seu infirmitates. Sic fingit eum Lazarum e sepulchro evocaturum, lacrymas fudisse, de sua morte trepidum: "When he stood at the grave of Lazarus, his own fate was near its consummation, and how natural is it that the tokens of human feeling and sorrow, and the sight of a grave, should bring over his mind, with peculiar vividness, a sense of his own melancholy situation."—*Jesus and his Biographers*, p. i. ch. iv. p. 50.

Furnesius, sed peccatis et interitu hominum menti obversantibus, cruciatibus quos passurus erat veluti frustra tolerandis.[1]

34. Quod igitur imminente sibi morte contristatus sit vehementer, et in cruce de Patris derelictione queri visus sit, ex nulla animi infirmitate, impatientia, vel desperatione contigit, sed summo consilio, ut veritas naturæ humanæ, et cruciatuum vehementia pateret. Equidem voluntati Patris se totum subjecit, animoque placido suum illi commendavit Spiritum: quæ perfectionis sunt haud dubia indicia. Mirum est Calvinum de eo proferre hæc ausum esse: "Videmus Christum ex omni parte sic vexatum fuisse, ut desperatione obrutus, ab invocando Deo absisteret: quod erat saluti renuntiare."[2] Furnesius blasphemiam hanc iterat.[3]

35. Monothelitarum hæresis, eorum scilicet qui humanam voluntatem Christo denegantes, unicam voluntatem, nempe divinam, ei tribuebant, anno circiter 629 exorta est, auctoribus Theodoro, Pharanitano episcopo, Sergio Constantinopolitano, Cyro Alexandrino, quos secuti sunt Pyrrhus, Paulus, et Petrus, Constantinopolitani antistites. Errori favere censebatur Honorius Pontifex, eo quod dolosæ Sergii consultationi respondens, voluntatem quæ ex natura vitiata provenit Christo adscribendam denegaverit, et totam controversiam de voluntatibus duabus, vel unica, voluerit sopire, silentio partibus imposito: sed ex ejus litteris satis constat eum in hæresim haud esse lapsum.[4] Eam plures ejus successores, dolo hæreticorum comperto, studuerunt evellere, Severinus scilicet, Joannes IV., Theodorus, Martinus, et Agatho. Accessit concilium VI., anno 681, Constantinopoli habitum.

36. Humanam voluntatem fuisse Christo liquet, ex eo quod hæc ad naturæ integritatem pertinet. Præsto sunt etiam clara Scripturæ testimonia in quibus voluntas ejus a Patris voluntate, quæ utique sua etiam est, quatenus Deus est, distinguitur: "Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu."[5] "Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat."[6] Jure animadvertit S. Athanasius: "Duas hic voluntates ostendit unam videlicet humanam, quæ est carnis propria, alteram divinam."[7] Cæ-

(1) "Jesus was smitten with horror at the thought of dying."—*Jesus and his Biographers*, p. i. ch. v. p. 59.

(2) Harm. Evang. ad c. 27.

(3) "His sufferings were so severe, that for a moment he seemed to be overwhelmed with a feeling of desperation, which burst forth in the words—'My God, my God, why hast thou forsaken me?' For an instant his agony was intolerable. Still, even his momentary despair is expressed in the devout language of scripture."—*Jesus and his Biographers*, p. ii. ch. xii. p. 392.

(4) Vide eas relatas inter Concilii vi. acta. Act. xii. col. 1319, t. iii. Col. Hard.

(5) Matt. xxvi. 36.

(6) Luc. xxii. 42.

(7) L. de adventu divini Verbi in carne.

terum humana Christi voluntas erat divinæ omnino conformis, quamvis enim voluisset ipse cruciatus et mortem declinare, si Pater non decrevisset eum pati, voluit reapse id contingere quod æterno decreto evenire debuit. Luctam veluti in se indicabat, non pravæ voluntatis contra Dei legem, sed naturalis voluntatis adversus divinum decretum, quod tamen libera voluntate amplexus est.

37. Operationes quælibet natura suas habet: "duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, secundum sanctorum patrum doctrinam adæque prædicamus: et duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem; sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati."[1] Ita definierunt VI concilii Patres. Actiones Christi in tres classes a Theologis distribuuntur, *divinas*, et *humanas*, et *mixtas*. Creatio et conservatio mundi Christi Dei sunt actiones, nullam habentes ad humanam ipsius naturam relationem. Edere et bibere humanæ ejus actiones erant: cæcorum illuminatio, tacto oculo, erat actio mixta, divina scilicet virtus corporis opera utebatur.

38. Abhorret a pietate ut Christum libidinis titillationibus, vel minima ex parte, obnoxium habeamus, est enim vitium naturæ, ab integritate ejus et perfectione, quæ in ipso erat, omnino alienum: quapropter meritò dictum est anathema Theodori Mopsuesteni asseclis id affirmantibus.[2] Quod autem Apostolus dicat eum "tentatum per omnia pro similitudine absque peccato," intelligendum plane est de ærumnis quibus hostes ejus eum afflixerunt: χωρὶς ἁμαρτίας nec enim ad peccatum tantum, sed ad ejus fomitem, qui aliquando ab Apostolo peccatum dicitur, voces hæ referendæ sunt: "talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus."[3] Impie prorsus Furnesius affirmat tentationibus eum instar nostri pulsatum, nec quidquam interesse discriminis.[4] Dæmonis autem tentationem a sacris scriptoribus adeo enucleate relatam ad solas mentis Jesu cogitationes refert, veluti orientalium more descriptam poetico quodam ornatu!

(1) Vide Liberatum in Breviario, c. xx.

(2) V. Conc. coll. viii. can xii.

(3) Heb. vii. 26.

(4) "The temptations that assailed him were nowise different from those which assail all other men. He was tempted as we are. But the evil thoughts that rose in his mind are represented as the proposition of an evil being. This representation is in accordance with the universal belief of the place and the age. Moral evil was attributed to the agency of a malignant spirit."—*Jesus and his Biographers*, p. ii. ch. iv. p. 173.

CAPUT III. DE PARTU VIRGINEO.

39. Corpus assumpsit Christus ex Virginis Mariæ utero, nam ideo dicit Apostolus: "misit Deus Filium suum, factum ex muliere."[1] Apollinaris docuit illud cœlitus delatum, per virginis uterum, veluti per canalem, ideoque dici de Christo: "secundus homo de cœlo, cœlestis."[2] Cæterum Apostoli mens patet, Christus quippe de cœlo est, quia Verbum, quod erat apud Deum, factum est caro, vera assumptione humanæ naturæ in divinæ personæ unitatem. Ideo conceptus et natus ex Maria virgine prædicatur, Angelo ei dicente: "Ecce concipies in utero, et paries filium." . . . "Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei."[3]

40. E virgine matre prodiisse Christum perpetuò docuit Ecclesia, vatis, Evangelistarum, et Angeli dictis innixa. Fabulis accenset Paine virginei partus narrationem, quam apud Gentes, de deorum cum mulieribus commercio plurima venditantes, fidem facilem obtinuisse dicit.[4] Furnesius insinuat ex miris Christi operibus ortam esse suspicionem de conceptu supernaturali: quem qui rejecerit veluti fabulosum, firmiorem rebus gestis fidem adhibiturum dicit![5] Unitarii plerique eum rejiciunt, vel nullius momenti censent.

41. Veteres hæretici, Cerinthus, Ebionitæ, Photinus, Jesum e Joseph et Mariæ consortio natum censebant. Jovinianus, monachus Mediolanensis, docuit matris integritatem in partu amissam, damnatus idcirco in concilio Romano anno 390.

PROPOSITIO.

Christus e virgine conceptus est et natus, Spiritus Sancti opera, et salva matris integritate virginali.

Probatur I. ex vaticinio Isaiæ.

42. Trepidante Achazo de viribus conjunctis regum Israelis et Syriæ, qui regni et stirpis Davidicæ minabantur excidium, spem superni auxilii præbuit Isaias, miraculumque in promissionis confirmationem se patratu-

(1) Gal. iv. 4.

(2) I. Cor. xv. 47.

(3) Luc. i. 31. 35.

(4) Age of Reason, p. i. 14.

(5) "Should this consideration so far weigh with us as to lead us to reject the notices of his birth as wholly fabulous, or to regard them as too imperfect to command our assent, still our faith in his public acts and official career could not, by any possibility, be endangered. It would be strengthened."—*Jesus and his Biographers*, p. ii. c. i. p. 107.

rum obtulit. Pietatis specie recusavit Achaz id postulare, quapropter domum David de molestia quam hærendo et dubitando creabant Deo, arguit vates, et signum maximum a Deo ipso dandum enuntiavit: "Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel."[1] Opportuna erat occasio dubitantes de proximo excidio certiores facere filium illum stirpis Davidicæ tandem aliquando venturum, et quidem e castis virginis visceribus. Rem certe maxime mirandam vates se enuntiare indicavit, et vi quadam et emphasi singulis verbis tributa. Virgo igitur,[2] domi veluti abscondita, in ætate adhuc juvenili, concipiet et pariet filium, virginitatis decore servato, Deum enim parit, verum Emmanuelem. De Messiæ ortu plane agitur, et supernaturalis ejus conceptus affirmatur.

Probatur II. ex Matthæi testimonio.

43. Christi autem generatio sic erat: "Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. . . . . Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum: Nobiscum Deus . . . . Joseph . . . . non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum."[3] Evangelista verbis perspicuis negat Mariam ullum cum Josepho maritale habuisse consortium, et affirmat eam de Spiritu Sancto concepisse. Id contigisse addit ut vaticinium Isaiæ adimpleretur: quapropter de ejus significatione genuina dubitari non potest; nam ea laudandi Scripturam ratio vaticinii impletionem clare notat.[4] Vatis igitur se exhibet interpretem, et relatorem revelationis Josepho ab angelo factæ: "quod in ea" (*Maria*) "natum est, de Spiritu Sancto est:"[5] et ex sua veluti sententia, et certa notitia id ipse affirmat: quod proinde negari nequit, salva ejus auctoritate.

Probatur III. ex revelatione angelica facta Mariæ.

44. Hæc ad amussim respondit Isaiæ vaticinio, solo Jesu, Salvatoris scilicet, nomine, pro Emmanuele, Deo nobiscum, substituto. "Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur."[6] Virgo Maria plus semel ab Evan-

(1) Isaiæ, vii. 10.

(2) הָעַלְמָה ἡ παρθένος. "The earlier translators seem to have thought the article pleonastic. But the researches of later philologists have shown that it is very rarely such, though its sense cannot always be expressed. Here it is used κατ' ἐξοχήν, and denotes (as Dr. Owen and Bishop Middleton observe) that *particular* virgin who was prophesied of from the beginning, and whose seed was to bruise the serpent's head." Bloomfield in Mat. i. 23.

(3) Matt, i. 18.

(4) Vide Hengstenberg, Christology, vol. i. p. 328.

(5) Matt. i. 20.

(6) Luc. i. 31.

gelista vocatur: quapropter virgo conceptura et paritura Dei Filium dicitur: quod et magis patet ex colloquio cum angelo habito: "Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei."[1] Igitur absque viri cognitione, Spiritus sancti opera, concepit et peperit Filium Dei.

Probatur IV. fide perpetua totius orbis christiani.

45. Patres omnes appellamus testes. Paucos nominatim laudamus: S. Ephrem: "Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto: et ob id neque eo genito reserata est, ut partum in lucem ederet."[2] S. Ambrosius: "Hæc est virgo quæ in utero concepit, virgoque peperit filium."[3] S. Epiphanius: "Quis ullo tempore umquam extitit qui Sanctæ Mariæ nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret?"[4]

46. Symbola antiquissima ubique in Ecclesia recitata eandem omnium fidem testatam faciunt: *conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.*

47. Concilia aliaque fidei pristinæ documenta recensere non juvat, quum res dubitationem non patiatur.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

48. *Obj.* 1. Quæ referuntur de miro Christi conceptu, et nativitate, ex sui natura occulta erant, nec scriptoribus cognita, nisi Mariæ testimonio. Verosimile autem est eam somnio deceptam, consueverat scilicet pie contemplari quæ de futuro Messia apud Judæos celebrabantur.[5]

49. *Resp.* Scriptores sacros divinitus afflatos credimus: sed si humana quæratur auctoritas, Mariæ utique testimonium omni exceptione majus erat, eam enim divinitus electam Christi matrem nulla mendacii suspicio poterat afficere. Eam somniis suis delusam conjicit Furnesius; quin explicet

(1) Luc. i. 34.

(2) In Orat. de margarita pretiosa.

(3) Ep. 7 ad Siricium.

(4) Hær. lxxviii.

(5) "That a woman of the devout old Hebrew lineage, related to the priesthood, of the loftiest religious character, betrothed, and to an individual who traced his descent to that illustrious line of David which was expected to produce the Messiah, and at a period when the whole nation was waiting eagerly for the birth of the heaven-sent deliverer, should have been visited with vivid dreams—that she should have a vision of an angel hailing her as the favoured mother of the Messiah—and even that she should dream that she already bore that Holy One within her—all this is very natural; and so far from breathing a breath against the virgin purity of her spirit, such a dream we may regard as a touching indication of a spotless mind, of 'that saintly chastity so dear to heaven.'"—*Jesus and his Biographers*, p. ii. ch. i. p. 122.

quomodo somniando filium conceperit. Satis colligitur eum censere conceptum nonnisi consortio mariti deinceps contigisse: sed quomodo id cum testimonio Matthæi conciliatur, testantis nullum hujusmodi commercium Josephum inter et ipsam intercessisse?

50. *Obj.* 2. Miræ res gestæ Christi occasionem dederunt cogitandi eum divinitus conceptum: apud plerosque enim populos superstitio viguisse noscitur insignium hominum ortum ad deos referendi auctores.

51. *Resp.* Sacri scriptores Matthæus et Lucas nullum præbent indicium se aliquid ingenio finxisse, vel temere retulisse aliorum figmenta. Lucam quod attinet, præfatur se assecutum esse omnia a principio diligenter, et enucleatius narrat quæ brevius a Matthæo fuerant relata. Uterque simpliciter, nullo sermonis ornatu, res prout evenerant describit. Quod autem testes non fuerint oculati eorum quæ Christi conceptum et ortum respiciunt, nil officit, nam scriptoribus fidis et judicio pollentibus, creditur, dum aliorum testimoniis innixi res tamquam certas et fide dignas referunt. Quod pertinet ad ethnicorum fabulas, immane distant a simplici Evangelistarum relatione, nec firmantur iis argumentis quæ Christi miracula et divina ejus doctrina suppeditant. Cæterum non levis est conjectura ipsas originem traxisse ex veteri traditione, oriturum cœlitus aliquem qui justitiam et salutem generi afferret humano. Quæ Virgilius cecinit de Astræa, et de puero mox nasciturο, haud obscura pristinæ traditionis præbent indicia.

> "Ultima Cumæi venit jam carminis ætas
> Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo.
> Jam redit et virgo; redeunt Saturnia regna;
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto."[1]

52. *Obj.* 3. Conceptus virgineus totus pendet ex authentia primorum duorum Matthæi Evangelii capitum, de qua tamen licet dubitare: constat enim ea non fuisse ab Ebionitis agnita, qui magnam constituebant partem eorum qui ex Hebræis ad Christi militiam transierant. Præterea non concordat genealogia quam continent cum illa quam tradit Lucas. Mira narrant de Magorum adventu, et stella visa, quæ fabulis annumeranda videntur.[2]

53. *Resp.* Probatur insuper conceptus virgineus vaticinio Isaiæ, et Lucæ, de Angelo Mariam allocuto ,testimonio. Cæterum nulla est ratio de Matthæi primis capitibus dubitandi, quum extent in omnibus codicibus et versionibus, uti fatentur adversarii.[3] Concordant etiam toti operi, et præfationis indolem habent, adeo ut ipsi dicant ea ideo assuta, quum exordii loco viderentur convenire. Quod ad Ebionitas ea rejicientes pertinet, non

(1) Ecloga iv.
(2) Unitarian Miscellany, vol. vi. p. 328.
(3) Ibidem, p. 329.

obstat, in more enim est hæreticis ea quibus confoditur error, rejícere documenta. Cæterum longe minor erant pars eorum qui a Judaismo ad Christiana castra transierant, plerique enim cum iis qui e gentibus conversi erant convenientes Ecclesiam constituebant, a qua secta illa abscissa est et damnata. Concordia genealogiæ Lucæ cum Matthæi ab eruditis interpretibus inita est. Quæ autem de Magorum adventu et de stella iis visa narrantur, a christianis scriptoribus antiquissimis celebrata sunt, utpote in iis capitulis relata, quæ apud omnes excepta sunt: nec desunt extera suffragia.[1]

54. *Obj.* 4. Ambigua voce nititur fides de conceptu virgineo: עַלְמָה apud Hebræos virginem sonat, sed de puella vitiata etiam usurpatur. Prov. xxx. 19.

55. *Resp.* Non voce tantum nitimur, quæ tamen obvio ac recepto sensu virginem, scilicet viro absconditam, significat. Quod si aliquando ad puellam quæ amisit decus virgineum transferatur, quod non constat, id fit per *catachresin*, sicut ipsa vox *Virgo* aliquando apud Latinos accipitur. Locus Proverbiorum in quodam codice a Rossi laudato alias legitur בעלמיו,[2] et a septuaginta interpretibus redditus est: ἐν νεοτήτι, et a B. Hieronymo: *in adolescentia.* Quidquid sit vox illa ab Isaia ita adhibita est, ut obviæ ejus significationi omnino sit inhærendum, de re quippe mira, in signum cœlitus danda, loquitur. Præterea Matthæus ita rem, gestam narrat ut eam significationem vox necessario postulet.

56. *Obj.* 5. Isaias tempore præsenti utitur, et puellam alloquitur: הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל "Ecce illa puella *(quam scilicet digito indicabat)* concepit, et parturit filium: et vocabis *(puellam ipsam alloquitur)* nomen ejus Emmanuel." Igitur ob divinum auxilium præstandum populo, Deo ei præsente, voluit ut puer eo vocaretur nomine. Agebatur de periculo imminente, et puer nasciturus in signum datus est, quia ante triennium, quando butyro et melle, instar aliorum puerorum, vesceretur, dispergendi erant reges adversarii. Perabsurdum est verba illa de puero post septingentos annos nascituro explicare.[3]

57. *Resp.* Prophetæ consueverunt eventus describere prout eorum menti obversabantur, et tempus plerumque haud definire. Præsens utique erat Isaiæ menti virgo illa præclara, quæ conceptura erat et paritura filium Emmanuelem, ideoque verbis præsentis temporis usus est, quæ tamen, de partu et nuncupatione saltem, futurum exigunt sensum. Cæterum nulla sinit ratio suspicari eum puellam coram se præsentem digito indicasse, nam absonum est ut puellam haud nuptam, qualis voce Hebraica semper designatur,[4] gra-

(1) Vol. i. hujus operis, p. 81.

(2) 31 a. p. Rossi collect. var.

(3) Paine, Examination of the Prophecies, p. 330.

(4) Hengstenberg, Christology, vol. i. p. 325. Eruditus vir censet adolescentulam voci Hebraicæ respondere, prout apud Arabes: quam tamen fatetur numquam de nupta usurpari, sed de nubili. Nobis Hieronymi explicatio magis arridet, quod juniores puellæ domi custoditæ viro *absconditæ* censerentur.

vidam coram rege principibusque declararet vates, ejusque filium tanto nomine dignaretur, et veluti cælitus datum miraculum in incolumitatis populi pignus exhiberet. Quod autem puer post septem sæcula nasciturus in signum datum sit, contigit quia quum de Davidici generis excidio trepidarent, congruum erat promissionem de Messia a patribus jamdiu expectato renovare. Temporis autem quod intervenire debuit spatii mentio non est facta, nec enim ad propositum pertinebat: sed certa data est fiducia Emmanuelem tandem aliquando venturum; ideoque vanum esse timorem de stirpis excidio demonstratum est. Non igitur proximæ regum cladis illud datum est indicium, recusarat enim Achaz miraculum petere; sed in incolumitatis regni et generis Davidici pignus. Inusitatum porro non est eventum posteriorem certò prædicere, ut proximi eventus, de quo dubitatur, detur vadimonium, ex auctoritate prædicentis desumptum. Sic Moysi dixit Deus: "Ego ero tecum: et hoc habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum."[1] Sic Isaiæ signum liberationis ab Assyriis datum est; "Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate et metite: et plantate vineas, et comedite fructus earum."[2]

58. *Obj.* 6. Conceptus virgineus Mariæ dicto tantum probari poterat, cui Joseph fidem adhibuit, somnio facile delusus.

59. *Resp.* Ex Evangelistæ narratione liquet Mariam Josepho nihil de Angelo viso, vel de arcano quod in se contigerat retulisse, sed animo pacato expectasse, ut Deus, qua ratione vellet, sibi consuleret. Quæ igitur Joseph in somnio cogitavit, contra ea quæ menti per diem obversabantur, evenerunt, turbatusenim erat, indiciis uteri tumentis. Visionum veritas ex rerum serie et eventu constabat. Quod si quis dicat fabulam excogitatam ad Mariæ pudori consulendum, meminerit matrimonium cum Joseph initum omnem speciem malam abstulisse omnibus, solo excepto marito. Quis credet illum mulieris adulteræ consuluisse honori? Quis eum rei tam miræ inventorem credet? Profectò non statim divulgatum est mysterium, sed Jesus filius Joseph habebatur, Deo sic disponente ut suspicioni non subjaceret Maria. Suo jam tempore, postquam Jesus prodigiis se probaverat Deum, et post mortem ad cœlos ascenderat, retulit Matthæus conceptum virgineum; cui proinde omnia a Jesu patrata opera divina suffragantur. Errat igitur vehementer Paine, dicendo nullum dari posse rei tam miræ argumentum præter Mariæ et Josephi dicta, nam opera quæ fecit Jesus testimonium ferunt de omnibus quæ scriptores, Spiritu sancto afflante, de eo retulerunt.

(1) Act. iii. 12.
(2) Isaiæ, xxxvii. 30.

60. *Obj.* 7. Non magis Mariæ de Angelo viso, et de conceptu absque congressu humano fidendum, quam Rheæ Sylviæ de Martis congressu.

61. *Resp.* Infinitum est discrimen, Sylviæ enim dicto nihil suffragabatur; Maria autem non se exhibebat testem, sed Deus illi consuluit, Angelo, qui Josephum edoceret, misso. Elizabeth etiam, divino affulgente lumine, cognovit quod evenerat arcanum, eamque celebravit beatam, tanto fœtu fœcundam. Cælestia quæ partum comitata sunt prodigia, et quæ secuta sunt per totam Christi vitam, rem extra omnem dubitationis aleam posuerunt.

62. *Obj.* 8. Frustra pertexuit Matthæus Josephi genealogiam, si ipse Jesum haud genuerit. Lucas etiam sæpius eum Jesu patrem appellat: "erat pater ejus et mater mirantes."[1] "Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te."[2] Eum communi ratione ex utero prodeuntem exhibet, ideo enim oblatus est in templo: "postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur."[3]

63. *Resp.* Ea de causa Matthæus genealogiam Joseph pertexuit, ut ostenderet Jesum ex Davidis esse progenie: id autem non exigebat ut a Joseph vere gigneretur, quum lege et consuetudine haberentur filii qui adoptati fuerant, sicut contigit iis qui ex secundo matrimonio nati sunt, patrui defuncti sine prole filii censebantur. Quum igitur Joseph conjux esset Mariæ, pater æstimabatur filii quem peperit ipsa, qui idcirco omnium judicio Davide genitus habebatur. Meritò vox illa "pater" a sacro scriptore, et a Maria ipsa adhibita est, nam patris obtinebat locum, et fungebatur munere Joseph; et de Jesu dicitur "putabatur filius Joseph."[4] Quod attinet ad legem, consuetum parturiendi cursum spectabat, ideoque non obligabat Mariam; sed quum lateret partus arcanum, decebat ut eam servaret. Inde quidem inferre non licet eam, integritate amissa, peperisse, quum divina proles altiora de matre sentire jubeat, et ita senserit tota antiquitas Christiana. "Ipsa virtus per inviolatæ matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis."[5] Item Hormisdas P. "ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, et nasceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine."[6]

(1) Luc. ii. 33.
(2) Luc. ii. 48.
(3) Luc. ii. 22.
(4) Luc. iii. 23.
(5) S. Aug. ep. ii. ad Volusianum.
(6) Ep. lxxix. ad Justin. Imp.

CAPUT IV. DE PERSONA CHRISTI.

64. Nestorius, episcopus Constantinopolitanus, anno 429, Verbum a Jesu separans, docuit Deum in humana natura, tamquam in templo, habitasse, adeo ut homo Jesus cum Verbo divino nonnisi *moraliter* conjungeretur, ideoque esset persona humana. Errore ad episcopum Romanum delato, præcepit Cælestinus, qui eo tempore cathedram Petri occupabat, ut ejuraretur intra decem dies, anathematis pœna, si detrectaret, ejus auctori intentata.[1] Cyrillus, Alexandrinus episcopus, magno studio avitam propugnavit fidem, et plures anathematismos novitio errori objecit, inter quos sequens occurrit: "Si quis non confitetur carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, anathema sit."[2] Pertinax perstitit Nestorius ideoque in concilio Ephesino, anno 431, depositus. Plures episcopi, inte quos Joannes Antiochenus, et Theodoretus Cyrensis, Nestorii nimio studio turbas cierunt, sed post triennium pax conciliata est.

PROPOSITIO.

Verbum, Dei Patris Filius, humanam assumpsit naturam, ita ut unica Verbi persona utramque naturam, divinam et humanam, haberet.

Probatur I. Ex Scripturis.

65. "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum . . . . et Verbum caro factum est."[3] Verbum igitur, quod Deus est, caro, scilicet homo, est factum, caro enim hominem significat per familiarem synecdochen: "Videbit omnis caro salutare Dei."[4] Factum est homo, non ipsius Verbi in hominem conversione, nam Deus mutari non potest, sed naturæ humanæ assumptione in unitatem personæ, adeo ut Verbum simul sit Deus et homo. Intima prorsus utriusque naturæ in una persona conjunctio his verbis indicatur: "Verbum caro factum est."

66. Christus de se dixit: "Antequam Abraham fieret, ego sum."[5] Ergo ipse qui loquebatur erat antequam Abraham creatus fuisset, non quidem tamquam homo, sed tamquam Deus: idem igitur qui Deus et homo, indivisibili unitate personæ.

67. "Ego et Pater unum sumus."[6] Loquebatur Christus homo, seque

(1) Vide litteras Cœlestini ad Cyrillum inter concilii acta.
(2) II. Anath. Cyrilli.
(3) Joan. i.
(4) Luc. iii. 6.
(5) Joan. viii. 58.
(6) Joan. x. 30.

et Patrem unum prædicabat, utique divinæ naturæ ratione. Ergo Christus homo idem erat, qui et Deus, utraque natura in una persona divina subsistente.

68. De Deo Patre dicit Apostolus: "Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum."[1] Ergo qui traditus est in mortem, erat proprius Dei filius: τὸν ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο. Idem igitur homo et Deus.

69. "Ex quibus (*Israelitis*) est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula."[2] Ipse secundum carnem, scilicet, humanam naturam, ex Israelitis profectus, est Deus super omnia.

70. "Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia."[3] Ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβάς. Qui descendit Verbum est, nec enim humana Christi natura e cœlis venit: qui ascendit Christus homo est; nam in terris versans, erat in cœlis et ubique tamquam Deus: Ergo idem Deus qui homo.

71. "Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens."[4] Ergo qui in forma Dei Deus est, in forma servi apparuit, homo factus: ergo idem Deus et homo.

Probatur II. Patrum testimoniis.

72. S. Ignatius M. "Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei, ex semine David."[5]

73. S. Irenæus ex Scripturis ostendit: "unum et eundem esse Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum."[6]

74. S. Gregorius Nazianzenus: "Non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, et quod est assumptum: naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii."[7]

75. S. Ambrosius: "Cum Deus esset semper æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus: quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat, nec caro divinitati."[8]

76. S. Augustinus: "Ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei Filius."[1]

(1) Rom. viii. 32.
(2) Rom ix. 5.
(3) Eph. iv. 10.
(4) Phil. ii. 5.
(5) Ep. ad Eph.
(6) L. iii. adv. hær. c. xviii.
(7) Orat. xxxi.
(8) L. de Incarn. c. v

OBJECTIONES.

77. *Obj.* 1. Christus "de templo corporis sui" locutus est.[2] Ergo humana natura erat ei templi instar, nam "in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis cōporaliter."[3]

78. *Resp.* Christi corpus instar templi haberi poterat, quamvis divina persona humanæ naturæ intime conjungeretur, nam et corpus tabernaculum dicitur, cui anima nostra conjuncta est, non morali tantum unione et affectu, sed revera: "qui sumus in hoc tabernaculo."[4] In Christo dicit Apostolus totam plenitudinem divinitatis, naturam divinam integram, *corporaliter*, substantialiter, et vere habitare et inesse, non Numinis qualicumque præsentia, sed intima divinæ cum humana naturæ conjunctione: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

79. *Obj.* 2. Patres passim vocant humanitatem Christi *instrumentum divinitatis;* alii Christum hominem *Deiferum*, *et Deificatum* dicunt, asseruntque a Verbo *hominem* fuisse assumptum.

80. *Resp.* Voces illæ, et variæ hujusmodi phrases facilem excipiunt explicationem ex ipsis Patrum scriptis derivatam. Erat utique humana Christi natura divinitatis instrumentum, quum enim hæc nihil pati possit, illa inservivit humanæ saluti: Divina quippe Verbi persona ea usa est, ut nos, patiendo, redimeret.

81. *Obj.* 3. Si Christus Deus sit et homo, duo in eo admittenda sunt entia, inter se distincta; quæ in unam personam conjungi æque absurdum est ac duas mentes unam esse.[5]

82. *Resp.* Duæ naturæ inter se distinctæ necessariò in Christo admittendæ sunt, quas in una subsistere persona absurdum non est. Quomodo divina persona humanam regat naturam sibi conjunctam, non adeo difficile est conceptu; quamvis non esset in quæstionem vocandum, si nostrum cogitatum prorsus excederet.

83. *Obj.* 4. Quod humana natura subsistentia humana spoliari possit manifesto repugnat: ergo humana persona cum natura agnoscenda est.

84. *Resp.* Ipsa humanæ naturæ assumptio a Verbo eam subsistentem constituit, regitur enim a divina persona. Quum subsistentia sit ea naturæ conditio qua actionum suarum est principium, natura quæcumque independens constituitur, propriam habet subsistentiam: si alteri superiori conjungatur a qua pendet, una utrique erit subsistentia.

85. *Obj.* 5. Repugnat ut Deus nasci, pati, mori dicatur: quæ tamen dicenda erunt, divina persona humanam regente naturam.

(1) Enchir. c. xxxvi.
(2) Joan. ii. 19.
(3) Coloss. ii. 9.
(4) II. Cor. v. 4.
(5) Unitarian Miscellany, vol. ii. p. 14.

86. *Resp.* Repugnat ut ea de Deo in divina natura prædicentur, non item in humana quam assumpsit: quæ enim huic congruunt, de persona qua regitur dici possunt. Hæc igitur probe intellecta nil habent quod Deum dedeceat.

87. *Obj.* 6. Divinam majestatem prorsus dedecet etiam in assumpta natura ærumnas et probra pati, uti ipsa suadet ratio: ipsi enim pueri rationis vix compotes a cogitatu Dei crucifixi abhorrent. Ita *Paine.*[1]

88. *Resp.* Altissimum mysterium in Deo patiente, etiam in assumpta hominis natura, agnoscimus, prout in Scripturis constanter exhibetur. Cæterum etsi ratio et humanitatis sensus scelus eorum detestetur, qui Filium Dei contumeliis et morte affecerunt: non ideo desunt divinæ bonitatis indicia quæ mysterium credendum commendant. Ipsi pueri consueverunt mirari ingentem illam Dei erga homines dilectionem. Omnibus eæ admirationis voces conveniunt. "Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret!"[2]

CONSECTARIA.

89. Ex dogmate probato de una Christi persona liquet merito damnatos esse in Synodis Forojuliensi, Ratisbonensi, et Francofordiensi, sæculo octavo exeunte, Felicem Urgellitanum et Elipandum Toletanum, qui Christum, qua homo, filium Dei adoptivum dicebant: nam Nestorianus error redivivus hic exhibetur. "Anathematizamus etiam eos (scribebat jam suo tempore Damasus Pontifex) qui duos filios esse profitentur, unum ante sæcula, et alium post carnis assumptionem ex virgine."[3] "Unus Dei Filius idemque hominis filius: unus hominis filius, idemque Dei filius: non duo filii Dei, Deus et homo, sed unus Dei Filius."[4]

90. Sequitur etiam Mariam matrem Dei rite vocari, nam Christus quem peperit Deus vere est; sed de ea alias disseremus.

(1) Age of Reason, p. i. page 46.
(2) Joan. iii. 16.
(3) Ep. ad Paulinum Antioch.
(4) August. in Enchir. c. iii.

CAPUT IV. DE DUABUS IN CHRISTO NATURIS.

91. Fere simul cum Nestoriano errore, de duabus in Christo personis, contrarius de unica ejus natura pullulavit: quum enim Eutyches, archimandrita Constantinopolitanus, qui scilicet monachorum cœnobiis plurimis præerat, Nestorii errorem evellere studeret, in alium incidit. Non constat quo sensu unicam prædicaverit Christi naturam post unionem, nec enim extitit natura ejus humana antequam assumeretur, uti recte animadvertit S. Leo M. "Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur."[1] Fuerunt ex ejus sectatoribus qui dicerent "mansisse divinitatem, ab hac verò absorptam esse humanitatem, ut mare mellis guttam si accipiat, statim enim gutta illa evanescit aquæ maris permixta."[2] Alii videntur tradidisse utramque naturam in unam coaluisse, adeo ut quæ ex earum permixtione orta sit, ab alterutra sit diversa.

92. Synodo Constantinopoli habita, anno 448, error Eutychianus proscriptus est, S. Flaviano Episcopo illius urbis agente. Ab eo consultus Leo Pontifex Romanus vetustam fidem *dogmatica* exposuit epistola, quam tamquam Petri vocem venerati sunt Patres Chalcedone congregati, anno 451. Antea Eutychetis artibus Theodosius junior delusus Synodum 130 episcoporum Ephesi habuit, ubi omnia vi et armis acta sunt,[1] Dioscoro Alexandrino patriarcha Eutycheti favente. Hæc rescissa sunt in concilio Chalcedonensi, cui sexcenti aderant episcopi, et Dioscorus sede meritò dejectus est.

93. Varii hi errores qui ex Arii tempore circa Incarnationis mysterium sunt orti, pleniori ejus propositioni dederunt locum, adeo ut Christi Dei et hominis honor inde exurgeret, quo eum pessumdare voluit generis humani hostis. "Unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus," dicunt patres Chalcedonenses, "eundem perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum; eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata diffe-

(1) Ep. 25. alias 11. ad Julianum Coensem.

(2) Vide Theodoret. in dialogo *Inconfusus*.

rentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente."[1]

94. Post Dioscorum dejectum, S. Proterius Sedem Alexandrinam occupavit, qui anno 457 ab Eutychianis interfectus est: ex quo tempore per sæculum fere Alexandriæ dominati sunt. Petrus Moggus tamen, qui inter Eutychianos antistites Alexandrinos recensetur, nolens anathema in Chalcedonense concilium ferre, plurimorum ex secta secessioni dedit locum, qui *Monophysitæ Acephali* dicti sunt. Petrus Fullo, sive Cnapheus, Antiochenam sub idem tempus occupans sedem, *Theopaschitarum* dux fuit, docuit scilicet divinam naturam passam esse. Jacobus, Zanzalus et Baradæus, utroque enim cognomine notatur, Syrus, qui ex monacho Edessenus metropolita anno 541 factus dicitur, *Jacobitarum* caput fuit, Eutychetis placita diffundendo per Orientem. *Armeni* plerique his inficiuntur. Catholici *Melchitæ* dicti sunt, seu *regii*, a voce Syriaca, hæreticis eos Marciani imperatoris, quo regnante concilium Chalcedonense habitum est, asseclas esse dictitantibus. Ita plerique cognominis hujus originem explicant.

PROPOSITIO.

In Christo duæ sunt naturæ integræ et perfectæ, divina scilicet et humana.

Probatur I. Ex Scripturis.

95. Divina Christi natura quamplurimis comprobatur testimoniis: "Deus erat Verbum."[2] "Hic est verus Deus et vita æterna."[3] Humana ejus natura sæpe prædicatur: "Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum."[4] Alia quæ jam laudavimus testimonia, dum unicam Verbi personam contra Nestorium probaremus, rem plane exploratam faciunt.

Probatur II. Patrum consentiente doctrina. Præter plurima jam citata Patrum decreta, pauca recitare juvat.

96. S. Basilius: "Deus in carne, non ex intervallo operans, ut in Prophetis, sed copulatam sibi hominis naturam et unitam obtinens."[5]

97. S. Gregorius Nazianzenus: "Naturæ quidem duæ sunt, Deus et homo, quemadmodum et anima et corpus; sed non duo filii sunt aut Dii; quemadmodum nec hic duo sunt homines."[6]

98. S. Ephraem: "Perfectam habet duplicem naturam, ne duas perdat. Neque enim in una sola natura Deus super terram est visus: neque in al-

(1) Act. v.
(2) Joan. i.
(3) Joan. v. 20.
(4) Joan. viii. 40.
(5) Hom. de humana Christi generat.
(6) Ep. i. ad Cledonium.

tera sola homo in cælos ascendit: verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus."[1]

99. S. Cyrillus Alexandrinus, recitatis Nicæni symboli verbis, dicit: "Non enim Verbi naturam mutatam, carnem esse factam, neque in totum hominem, qui ex anima est et corpore, mutatam esse, sed hoc potius dicimus, quod Verbum sibi ipsi carnem anima rationali vivificatam, secundum subsistentiam, modo qui nec edici nec investigari queat, adunarit, homoque factum, ac filius hominis appellatum sit, idque non solum secundum voluntatem ac placitum, neque tamquam in personati hominis assumptione. Et licet differentes inter se naturæ, in veram sint unitatem conjunctæ, quod unus tamen ex utrisque sit Christus ac filius, interim non sublata differentia naturarum, quæ potissimum nobis unum, Dominum, et Christum, et filium propter coadunationem arcano et inenarrabili divinitatis et humanitatis ad unitatem concursu, absolvunt."[2]

100. S. Ambrosius: "Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque est natura."[3]

101. Ipsa ratio suffragatur, nec enim divina natura desinere potest, nec mutari; proinde nec in humanam naturam converti, nec cum ea commisceri, ita ut tertia quædam natura inde exurgat. Porro si absorberetur humana a divina natura, jam ærumnis quibus redemptio hominum erat perficienda, Salvatore pœnas luente, non fuisset locus.

OBJECTIONES.

102. *Obj.* 1. "Verbum caro factum est."[4] "Semetipsum exinanivit."[5] Dum dicit sacer auctor "aquam vinum factam,"[6] intelligitur utique vera conversio.

103. *Resp.* Eadem scribendi ratio non eandem ubique obtinet vim, hæc enim ex re de qua agitur, et ex adjunctis variatur. Verbum caro factum est, quia homo factum est, vera humanæ naturæ assumptione, non quod in carnem conversum sit, quod manifestò repugnat iis quæ de Verbo Deo præcesserant. "Exinanivit semetipsum formam servi accipiens;" nihil tamen majestati ejus summæ et perfectioni decidit. Meritò animadvertit S. Epiphanius in Joannis verba: "Non illud indicat, Verbum in carnem fuisse conversum, aut in eam omnino transiisse, sive divinitatem in carnem fuisse mutatam: verum cum divinitate Verbum propriam hominis assumpsisse naturam."[6] "Pulchre S. Leo M.: "Suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis unita est passibili."[7]

(1) Orat de margarita pretiosa.
(2) Ep. ad Nestorium p. 12. tom. ii. operum Cyrilli ed. Paris 1604.
(3) L. ii. de fide ad Gratianum c. iv.
(4) Joan. i. 14.
(5) Phil. ii. 7.
(6) Hær. 77.
(7) Ep. ad Flavianum c. 3.

104. *Obj.* 2. Unam naturam Verbi divini incarnatam Cyrillus Alexandrinus agnoscit: μίαν φύσιν του θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην.[1]

105. *Resp.* Ipse se explicat Cyrillus: "Nam si dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus ac minime adjunxissemus, *incarnatam*, . . . esset illorum fortasse oratio non inepta . . . sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiæ nostræ declaratio illata est dum dicimus *incarnatam*, desinant baculo inniti arundineo . . . . si in eo quod illum incarnatum esse dicimus, perspicua et certa confessio continetur, qua etiam hominem esse factum profitemur, nihil jam intelligere prohibet, Christum, cum sit unus ac solus filius, eundem Deum esse et hominem, ut in deitate, ita etiam in humanitate perfectum."[2] Contigit quidem Cyrillo hæresim Nestorii, qua homo Christus a Deo Verbo separabatur, evellere studenti, ut quædam de intima naturarum conjunctione proferret, quæ unicam naturam adstruere videantur; sed præsto sunt ejus testimonia quæ mentem ejus catholicam probant.

106. *Obj.* 3. S. Gregorius Nyssenus humanam Christi naturam divinitatis participasse virtutem docet, instar aceti guttæ in mare projectæ. "Cum divinitate temperata non amplius in suis terminis et proprietatibus manet."[3]

107. *Resp.* Verbis Anastasii Sinaitæ: "Divinus Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostræ naturæ cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago comparatæ demonstraret."[4] Ipse Gregorius subjungit loco objecto: "Carnis tamen et divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio."

108. *Obj.* 4. Duæ naturæ vere distinctæ duas necessariò secum ferunt subsistentias, seu personas: nec enim alia ratione natura subsistentia privari queat, quam cum alia coalescendo.

109. *Resp.* Naturarum distinctio non diversas postulat subsistentias; nam humana natura a persona divina perficitur, et pendet. Conjunctio igitur est naturarum, sed in persona, non in naturis, qua ratione et distinctio naturarum servatur, et persona unica est. Fatemur de mysterio agi, quod penitius scrutari non licet: "Incarnationis modus admodum subtilis est, vereque inexplicabilis; talis demum qui cogitationis, captusque nostri angustias multis partibus excedat." Ita Cyrillus Alexandrinus.[5]

110. De erroribus contra Incarnationis mysterium, qui prioribus Ecclesiæ sæculis adeo per Orientis provincias grassabantur, fusius agendum non censuimus, quum hisce in regionibus vix innotescant, sectariis plerisque, qui Christum Deum hominemque agnoscunt, fidem quam ab Ecclesia dis-

(1) Ep. i. ad Success.
(2) Ep. ii. ad Success.
(3) Orat. iv. contra Eunomium.
(4) In Odego c. xiii.
(5) L. de recta fide ad Theodosium n. 23.

cedentes eorum majores hac de re habuerunt, verbis apprime Catholicis, adhuc enuntiantibus, in suis formulis et publicis documentis.[1] Utinam sic per omnia avitam et Apostolicam æmularentur fidem !

CONSECTARIA.

111. *Unio hypostatica* est igitur duarum naturarum, divinæ et humanæ, in una Verbi persona conjunctio, servatis utriusque naturæ proprietatibus. Unio illa immediate in persona Verbi facta est, quæ humanam naturam terminat, et actionum humanarum, sicut et divinarum, est principium. Nihil autem hac ratione divinæ naturæ accedit; sed natura humana terminatur, divina donata subsistentia. Persona Verbi, assumpta humana natura, per eam operari cœpit, eratque *principium quod* operabatur. Duplici autem pacto operabatur, in utraque scilicet natura, quæ *principium quo* operabatur idcirco dicitur. Nunquam autem concipienda est humana Christi natura a persona divina sejuncta, nam ipso quo creata est humanitas temporis momento, assumpta est a Verbo, nec unquam propriam habuit subsistentiam. Est igitur unio hypostatica *physica* et *substantialis*, non moralis tantummodo.

112. Ex unione hypostatica sequitur proprietatum utriusque naturæ in divina persona communicatio, quæ *idiomatum communicatio in concreto* a Theologis scholæ dici consuevit. Quum enim intima sit duarum naturarum in divina Verbi persona unio, hæc utriusque proprietates habet. Hac de causa idem Deus est et homo, infinitus et finitus. "Propter exactam assumptæ carnis, assumentisque divinitatis unitatem mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur."[2] Ita Gregorius Nyssenus.

113. "Unde illud," inquit S. Ambrosius, "quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, id est humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete et Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo."[3] Attamen magnæ excitatæ sunt sexti sæculi initio turbæ, monachis quibusdam Scythis hanc tuentibus propositionem: "Unus de Trinitate passus et crucifixus est carne." Theopaschitarum hæresis, qui divinam naturam passam dicebant, latere sub iis vocibus nonnullis visa est: sed re melius explorata, probata est propositio Joanni II. Pontifici.[4]

(1) *Thirty-nine Articles*, Art. ii. *Presbyterian Confession of faith*, ch. viii. §. ii. Baptistæ et Methodistæ pro more duces suos sequuntur.

(2) Ep. ad Theophil. ep. Alex.

(3) Ambros. l. ii. de fide c. 4.

(4) Vide ejus litteras ad Justinian. Imp an. 534.

114. Nulla est proprietatum in natura communicatio, ideoque non possunt de se invicem *in abstracto* prædicari. Divinitas idcirco non potest dici mortalis: humanitas Christi non est omnipotens, nec ubique. Erravit hac in re Lutherus, Christi Domini in Eucharistia realem præsentiam non alia ratione defendere sciens, contra objectionem de corporis ad locum relatione unica, quam humanitatem Christi, una cum divinitate, ubique adesse affirmando.[1] Error fuit sane palmaris, unio enim hypostatica perfecit quidem humanam naturam, subsistentiam ei tribuendo, sed eam divinitati adæquare non potuit. Quamvis igitur Christus ubique sit, tamquam Deus, humana ejus natura certo loco consistit, nec extra nisi ex speciali Dei potentia, prout in Eucharistia contingit. Hinc Christus ipse de Lazari morte alloquens Apostolos, dixit: "gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum."[2] Profectò nisi utriusque naturæ proprietates accurate discernantur, Eutychiana hæresis alia sub forma redibit. Quæ divinas perfectiones Christo tribuunt Scripturæ testimonia ad divinam ejus personam et naturam referenda sunt: quæ humanam respiciunt naturam, amplissimas quidem dotes, quodammodo infinitas, testantur, limitem tamen habent.

115. Christum peccare non potuisse ex ipsa unione hypostatica sequitur, nam divina persona a peccato omnino abhorreat necesse est. Turpitudo hæc idcirco ei adscribi nequaquam potest, etiam in natura assumpta. De eo dicit Paulus: "non noverat peccatum,"[3] "sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus."[4] Quod autem propinquis suadentibus ut ad festum ascenderet,[5] seque manifestaret, responderit se nequaquam ascensurum, intelligendum plane est de itinere quale suadebant, cum potentiæ suæ manifestatione: ascendit autem deinceps "non manifeste, sed quasi in occulto:"[6] οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ. Nihil in illa responsione vitii; nec enim ut totam suam mentem proderet necesse erat, sed consilio se repugnare significabat. Equidem dicit de eo Petrus: "peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus."[7] Quæ autem infirmitatis humanæ indicia recenset Furnesius, ut optimum eum ostendat, quippe qui minimis urgetur vitiis, contra omnem veri speciem allegantur.[8]

(1) "Confessio Martini Lutheri de cœna Domini."

(2) Joan. xi. 15.

(3) II. Cor. v. 21.

(4) Heb. vii. 26.

(5) Joan. viii. 46.

(6) Græce habetur οὐπω *nondum* quod omnem t llit difficultatem. Cæterum recte Griesbach Vulgatam lectionem antefert: verosimile quippe est textum immutatum ab a'quo honoris Dominici solicitiori. Contra censet Bloomfield.

(7) I. Pet. ii. 22.

(8) "Now it seems to me he was disturbed at the interruption, ('ægre ferens interpellationem,' says Kuinoel) and that the exclamation, 'Who is my mother, and who are my brethren' reveals a momentary excitement of mind." *Jesus and his Biographers*, p. i. ch. v. p. 57.

116. Perpetuam fuisse utriusque naturæ in una Verbi, persona conjunctionem, *unionem hypostaticam* seu docent Theologi celebri axiomate : *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit ;* juxta illud S. Pauli : "Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula."[1] Id fatentur nobiscum Presbyteriani cæterique sectarii.[2]

CAPUT V. DE PECCATORUM EXPIATIONE.

117. Redimendi hominem causa Verbum carnem factum ex dictis constat : attamen hoc divinæ misericordiæ argumentum clariori in luce ponendum est, ut Unitariorum et Rationalistarum impietati obviam eatur. Fateri quidem oportet Deum potuisse aliis rationibus homini lapso subvenire, quapropter id negantes meritò arguit Augustinus : "Sunt stulti qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, ut nasceretur ex fœmina, et a peccatoribus omnia illa pateretur : quibus dicimus, poterat omnino : sed si aliter fieret, similiter vestræ stultitiæ displiceret."[3] Equidem dicunt Theologi quidam peccatum infinitam quamdam malitiam præseferre, *extrinsecam* scilicet, quatenus in summam Dei majestatem homo perduellis ostenditur, ideoque expiationem postulare quodammodo infinitam. Ex hypothesi igitur quod Deus voluerit plenam satisfactionem, eam nonnisi a divina persona in natura assumpta reddi posse docent, ut scilicet dignitas infinita, a persona divina derivata, vim et valorem tribueret humiliationi. Hinc ipse Augustinus animadvertit : "Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, nisi esset et Deus."[4]

118. Rationalistæ non diffitentur doctrinæ catholicæ de piaculari Christi sacrificio "fundamenta et ipsa momenta potiora in librorum sacrorum effatis nonnullis vere contineri :[5] sed id contigisse censent ad odium et ignominiam supplicii Jesu Christo illati amovendum !

119. Unitarii negant Christum generis humani peccata sua morte expiasse,[6] eum enim habent veluti hominem divinitus suscitatum, ut virtutis

(1) Heb. xiii. 8.

(2) "So that two whole, perfect, and distinct natures, the Godhead and the manhood, were inseparably joined together in one person, without conversion, composition, or confusion." Confession of faith, ch. viii. § iii.

(3) L. de agone christiano c. xii.

(4) Enchiridion c. 108.

(5) Wegscheider § 137. cit. a Perrone Tract. de Incarnatione p. ii. c. vi. n. 621. not.

(6) "We do not believe that Christ has once offered himself up a *sacrifice* to satisfy divine justice, and *reconcile* us to God." Abstract of Unitarian belief, Unitarian Miscellany, vol. i. p. 19.

semitam exemplo monstraret et verbo, qui patientiæ nobis præclara reliquit specimina, hostium sustinendo impetus, iisque inter cruciatus ignoscendo. Huic similia tradiderant Pelagius, Petrus Abælardus, et Socinus. Hic tamen aliquando visus est Christum habuisse piaculum pro hominibus; ipsumque imitantur Unitarii, miris ambagibus suam involventes sententiam, ut invidiam declinent.[1]

PROPOSITIO.

Christus Jesus sua morte hominum peccata vere expiavit.

120. *Probatur I. ex Scripturis.* Christus ipse dixit: "Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis." δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτου λύτρον ἀντὶ πολλῶν.[2] Vox Græca redemptionis pretium, quo soluto, captivus bello, vel alias servituti mancipatus, in libertatem vindicabatur, significat. Vita igitur Christi posita est ut multi e servitute, utique peccati et diaboli, evaderent, pretio ejus sanguinis. Eandem imaginem adhibet S. Petrus: "Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis ἐλυτρωθητε de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati."[3]

121. Apostolus Paulus eandem notionem plenius explicat, victimæ ad expiandum delictum oblatæ voce adhibita: "Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum."[4] Credentes igitur gratuitò, nullo ab iis soluto pretio, criminibus absolvuntur, liberatione a peccati et dæmonis servitute sibi comparata, per datum a Christo pretium: διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ipsa liberatio, pretio soluto, vocibus his declaratur. Adjicitur autem: ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ της πίστεως ἐν τῷ αὐτου αἵματι. Apud auctores classicos ἱλαστηριον piaculum, et victimam, vel aliud ad placandos deos oblatum significat: quod si magis arriserit vocem hanc de propitiatorio, lamina scilicet aurea, qua obtegebatur arca, intelligere, prout alias,[5] Christus habendus erit veluti palam propositus, instar illius symboli divinæ propitiationis, quod sanguine aspergebatur.[6] Per Christi sanguinem propitius nobis fit Deus, quæ admiseramus remissis delictis: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων.

122. Alias dicit Apostolus: "dedit semetipsum pro nobis, ut nos redi-

(1) Vide Unitarian Miscellany, vol. iii. p. 112.
(2) Matt. xx. 28.
(3) I. Pet i. 18.
(4) Rom. iii. 24.
(5) Heb. ix. 5.
(6) Lev. xvi. 15.

meret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem."[1] ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμας. Hæc eadem pretii pro nobis soluti, ut liberi evadamus, notio servatur.

123. Joannes sanguini ejus vim mundandi tribuit, eumque propitiationem esse dicit. "Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato."[2] τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πασης ἁμαρτίας· "Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi."[3] αὐτὸς ἱλασμός ἐστι.

124. In Apocalypsi abluti dicimur et redempti ejus sanguine: "dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo."[4] "Occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo."[5] λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. ἠγόρασας τῷ θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου. Græca vox in ultimo testimonio adhibita, quæ redimendi vocabulo Latine est reddita, emere in foro res publice venales significat.

125. Ex his omnibus liquet mortem Christi ubique exhiberi veluti pretium pro nobis solutum, ut nos sibi compararet, liberatos a peccati servitute, mundatos ejus sordibus, absolutos ejus reatu, ipsamque esse propitiationem, piaculum ad Numen placandum.

126. *Consonant vaticinia.* Isaias, de Christo utique loquens, ait: "Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo inquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum . . . . in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit."[6]

127. In hoc vaticinio agi de Messia ex ipsa ejus historia satis colligitur, nec enim casui potest tanta rerum gestarum cum dictis tot ante sæcula tribui: constat etiam vetustiores Judæos illud ita intellexisse, traditione

(1) Tit. ii. 14.
(2) I. Joan. i. 7.
(3) Ibid ii. 2.
(4) Apoc. i. 5.
(5) Ib. v. 9.
(6) Isaiæ liii. 2.

majorum suorum edoctos.[1] Equidem in tota historia Judæorum nemo alius est cui vatis descriptio ullatenus accommodari queat, adeo ut plerique interpretes judaici, vel Rationalistæ, qui Christum nolunt agnoscere, de alio quoquam eam explicare non aggrediantur, sed ad populi totius conditionem, vel prophetarum cœtum referant. Infeliciter prorsus cessit Grotio, et Seidelio, qui Jeremiam designari contendebant, nemine alio eorum qui christiano gloriabantur nomine per septemdecim sæcula Ecclesiæ ita somniante.[2] Quod autem de populo vel vatum cœtu Judæi, et Rationalistæ, vaticinium explicuerint, sermonis contextui repugnat, et omni caret veri specie. Rosenmüller primum quidem vatum cœtum intellexit, deinceps mutata sententia populum Judaicum Babylonica pressum servitute, cujus sortem Babylonii finguntur plorare, seque reos, quorum causa illi patiebantur agnoscere. Hæc quam male inter se hæreant nemo non videt. Audiatur ipse Isaiam interpretans: וַיהוָה הִפְגִּיעַ בּוֹ אֶת־עֲוֹן כֻּלָּנוּ "*Et Jova incursare*, feræ instar, s. hostiliter *in eum* irruere jussit *crimina nostrum omnium*, i. e. pœnas nostræ impietati debitas illum unice perferre jussit Jova." . . . "Dicit igitur vates, ministri illius divini, dum mortui instar habitus esset, æqualium neminem id animum advertisse, pœnas irrogari illi eas, quas aliæ gentes promeruissent. Id enim sibi volunt verba hæc: מִפֶּשַׁע עַמִּי נֻגַּע לָמוֹ *propter delictum populi mei pluga eis*, scil. Hebræis."[3] Quam inverosimile sit Babylonios in se transferre culpam, et Judæos eorum causa passos profiteri, nemo non videt. Quam id a rei veritate absit, manifestum quoque est.

128. Quod autem לָמוֹ pluralis videatur formæ, poetæ scilicet id pro לָהֶם usurpant, potest intelligi de populo alioquin puniendo, nisi Deus in Christum crimina transtulisset: *propter delictum populi mei, quibus plaga* vere deberetur.[4] Cæterum demonstravit novissime Ewaldus vocem illam singulari numero usurpari, quod ex alio Isaiæ testimonio constat.[5] Omnis igitur evanuit difficultas, et tota orationis series de Christo, singulari illo viro quem contemplatus est vates, explicanda est.

129. Vere autem luere Christum peccatorum pœnas ex vatis verbis exploratum est. Id ex ipsa Rosenmülleri commentatione colligitur: "illum assimilant piaculo, in quod aliorum culpa congesta, ejusque vicariis suppliciis abolita est." "*Quod si posueris*, feceris tu, Jova, *piaculum animam ejus*, i. e. eum, *videbit semen*, posteros, resurget ex mortuis, vs. 8, 9. "Nomen אָשָׁם proprie *delictum*, *culpam*, notare constat, hinc *sacrificium quo delictum expiatur*, piaculum, quod ex lege Levit. 5, 15.

(1) Vide apud Hengstenberg, Christology, vol. i. p. 484.
(2) Ibidem p. 492.
(3) *In locum.*
(4) Hengstenberg, *Christology* vol. i. p. 522.
(5) Isaiæ xliv. 15. 17. Vide Wiseman's *Lectures on Science and Religion*, lect. x.

19, 21. *ariete* constabat. Hoc loco dicitur de homine, qui sponte morti sese offert ad aliena scelera expianda." "*Et peccata eorum portat*, i. e. pœnam peccatorum ab illis commissorum sustinet."

130. Liquet igitur Christum tamquam sacrificium piaculare a vate exhiberi, qui scilicet sua morte hominum omnium delevit crimina. Equidem de ipso explicuit eunucho Philippus, Sancti Spiritus certe afflatu, illa vatis verba: "Tamquam ovis ad occisionem ductus est," et "incipiens a scriptura ista, evangelizavit illi Jesum."[1] Apostolus quoque Petrus: "qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivimus: cujus livore sanati estis."[2]

Probatur II. ex constanti omnium sæculorum a Christo traditione.

131. Epistola quæ Barnabæ dicitur: "Propter hoc Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, ut remissione peccatorum sanctificemur, quod est sparsione sanguinis illius. Scriptum est enim de illo. . . . 'Vulneratus est propter iniquitates nostras,'"[3]

132. S. Clemens ad Corinthios scribens: "Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi. Cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo, pœnitentiæ gratiam obtulit."[4] In signo dato Rahab figuram redemptionis agnoscit: "manifestum facientes, quod per sanguinem Domini futura esset redemptio universis credentibus et sperantibus in Deum."[5] *διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσαι.* De Christo explicat vaticinium Isaiæ, quod totum refert,[6] illud scilicet quod supra adduximus.

133. S. Ignatius M. de quibusdam sui temporis hæreticis dicit: "Ab Eucharistia et oratione abstinent; eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est."[7] *τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν.*

134. S. Polycarpus de Jesu Christo dicit: "sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem devenire."[8] Laudat etiam Petri verba: "pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum."[9]

135. S. Justinus, ex Isaiæ vaticinio prælaudato, probat Verbum pro nobis hominem factum, pati, et ignominia affici, sustinuisse: *ὑπερ ἡμων γενομενος ἀνθρωπος, παθειν και ἀτιμασθηναι ὑπεμεινε.*[10] "Quemadmodum autem eos, qui in Ægypto erant, sanguis Paschæ servavit, sic et eos qui crediderint liberabit a morte sanguis Christi."[11] *τους πιστευσαντας ῥυσεται ἐκ θανατὸ το αἷμα του Χριστου.*

136. S. Irenæus plurima Scripturæ testimonia adducit ut Christum ip-

(1) Act. viii. 32. 35.
(2) I. Pet. ii. 25.
(3) § v.
(4) Ep. i. § vii.
(5) § xii.
(6) § xvi.
(7) Ad Smyrnenses § vii.
(8) Ad Philippenses § 1. 2.
(9) § viii.
(10) Apol. i. n. 50.
(11) Dial. cum Tryphone n. iii.

sum esse Jesum probet, animadvertitque: "Rursum autem significans Christum passum, et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus, et sanguine suo redemit nos, in præfinito tempore ait: 'Ut quid enim Christus, cum adhuc essemus infirmi secundum tempus, pro impiis mortuus est? Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc essemus peccatores, pro nobis Christus mortuus est: multo magis justificati nunc in sanguine ejus salvi erimus per ipsum ab ira."[1]

OBJECTIONES DILUUNTUR.

137. *Obj.* 1. Matthæus Isaiæ verba de morborum curatione interpretatur, postquam enim retulerat Christum ægrotos sanasse, subjungit id factum, "ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit."[2]

138. *Resp.* Vis obvia verborum Isaiæ infirmitatem et dolorem quem in se suscepit, nostri causa, Christus, indicat. Cæterum utitur iis Matthæus de morborum curatione, quia et eum patiebantur sensum, et Spiritu Sancto afflante norat eum etiam sub illis latere: nec enim insuetum est duas significationes eisdem vocibus adnecti. Igitur et abstulit morbos, et in se experiri cruciatus voluit, ut morborum curatione insinuaret se remedium animi vitiis parare, pœnasque idcirco in se suscipere. Refert quidem Matthæus eum dixisse de seipso: "Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.[3] δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Præterea Isaiæ plura sunt testimonia maxime perspicua, quæ Christum propter iniquitates hominum percussum testantur.

139. *Obj.* 2. "Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum."[4] Ergo remissio peccatorum ex gratuita Dei misericordia provenit, qui Christi usus est opera ad eam annuntiandam.

140. *Resp.* Apostolus ipse explicat quomodo reconciliaverit sibi mundum Deus: "Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso."[5] Constat peccatum secundo loco designare hostiam pro peccato, quam Hebræi ita designabant. "Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus."[6]

141. *Obj.* 3. "Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus."[7] Scilicet quum patienter sustinuerit

(1) L. iii. adv. hær. c. xviii.
(2) Matt. viii. 16. 17.
(3) Matt. xx. 28.
(4) II. Cor. v. 19.
(5) v. 21.
(6) Rom. v. 10.
(7) I. Pet. ii. 21.

mortem sibi illatam, dum gratuitam Dei indulgentiam hominibus annuntiaret,[1] præclarum posteris reliquit exemplum.

142. *Resp.* Patientiæ, omnisque virtutis perfectissima exempla Christus, patiendo pro nobis, reliquit, sed et "peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum."[2] "Definito consilio et præscientia Dei traditum"[3] eum nobis exhibet Petrus, sui sanguinis pretio nos redimentem.

143. *Obj.* 4. "Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere."[4] Nemo autem debet se piaculum pro fratribus exhibere. Vis igitur tota quæ ex his vocibus ὑπερ ἡμῶν derivatur deficit.

144. *Resp.* S. Joannes ex eo quod Christus vitam posuerit nostri causa, jure docet oportere ut et nos animo parati simus vitam propter fratres ponere: sed non innuit eadem ratione mortem nostram fratribus profuturam, qua Christi mors nobis profuit. Dixerat jam sanguinem ejus emundare nos ab omni peccato. Non igitur vocibus ambiguis doctrina de Christi redemptione nititur, sed perspicuis maxime testimoniis.

145. *Obj.* 5. Quæ de reconciliatione afferuntur testimonia, hominis ad Deum conversionem respiciunt: nec enim Deus, qui pater benignus est et creator noster, reconciliandus est.[5]

146. *Resp.* Scripturæ constanter loquuntur de Deo peccatoribus irato; eumque reconciliandum pœnitentibus, data peccatorum venia, prædicant: quæ sane nullam in ipso arguunt mutationem, sed variam illam hominis conditionem, quæ vel sanctitati divinæ adversatur, vel ei, Deo donante, adsimilatur. Reconciliationem accipere dicimur per Jesum Christum, quæ certe de venia et indulgentia divina intelligenda necessariò est: δι' ου νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.[6]

147. *Obj.* 6. Bis tantum Christus ἱλασμος πέρι τῶν ἁμαρτιῶν vocatur in Novo Testamento.[7] *Propitiatio* autem redditur, quæ liberatio a peccato est, sed qua ratione efficiatur non dicitur.[8]

148. *Resp.* Dicitur sæpissime qua ratione propitius nobis factus sit Deus, nempe per sanguinem Christi, qui et ἱλαστήριον vocatur. Sanguis ejus est pretium liberationis λύτρον, απολυτρώσις. Recole quæ adduximus testimonia.

(1) "The offering of Christ once made—as some of us understand, means his death incurred *in the act of proclaiming* the free, sovereign, and unpurchased mercy and pardon of God to repenting men." Unitarian Miscellany, vol. v. p. 219.

(2) I. Pet. ii. 24.

(3) Act. ii. 23.

(4) I. Jean. iii. 16.

(5) Campbell on the Trinity and atonement, Unitarian Miscellany, vol. ii. p. 17. Vide etiam vol. i. p. 20.

(6) Rom. v. 11.

(7) I. Jean. ii. 2. iv. 10.

(8) Unitarian Miscellany, vol. ii. p. 113. Net.

149. *Obj.* 7. Deum dedecet innocentem pro reis punire, præsertim verò filium suum dilectissimum, qui si et Deus ipse habeatur, Pater ejus injuriæ divinæ majestati illatæ reus ipse erit, qui voluit hominem redimi nulla alia conditione.[1] Lex ipsa naturalis omniumque gentium jura innocentem vetant occidi.

150. *Resp.* Innocentem invitum pro reis punire summa esset injustitia: impietas autem foret divinam personam, etiam in assumpta natura, pœnis afficere, nisi sua voluntate eas in se suscepisset. Cæterum quod innocentissimus et sanctissimus Dei Filius, Deus et ipse, peccatorum sua morte luerit pœnas, eximium est pietatis et misericordiæ divinæ argumentum, quod numquam satis mirari possumus. "Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est."[2] Quod Deus, nonnisi sui Filii cruciatibus placari voluerit, infinitam ejus justitiam et majestatem ostendit, et peccati gravitatem. Manet igitur illæsa lex naturæ: nec obstant gentium jura, agitur enim de re præter rerum ordinem, et ex voluntate libera ipsius Filii profecta: "oblatus est quia ipse voluit."[3]

151. *Obj.* 8. Ab hujusmodi dogmate, de Deo Filium suum ob hominum peccata morti tradente, abhorret ratio sensusque humanus: nam Deus auctor foret sceleris maximi, quo certe placari non posset, quum longe superaret cætera omnia hominum crimina. Ergo maximo cum dispendio majestatis divinæ Dei Filius pateretur, nulla cum hominum utilitate, quum ira Dei in eos magis accenderetur.

152. *Resp.* Rationem equidem magno superat intervallo doctrina de Filio Dei mortem ob hominum peccata obeunte. Cæterum perspicua sunt sacrorum scriptorum effata, et constans Ecclesiæ fides, adeo ut de ea nullus sit relictus dubitandi locus. Nec tamen ideo dicendus est tanti sceleris auctor, quamvis "definito consilio et præscientia Dei traditum" Filium agnoscere oporteat: sed non impulit Deus Judæos, quamvis prævidens eos illud patraturos objecerit illis ipsum dilectissimum Filium, qui sua sponte tantas in se suscepit pœnas. Scelere Judæorum, quod sane maximum erat, placatus non est Deus, sed magis ad iram accensus, cujus indicia eversis brevi Hierosolymis data sunt, et adhuc manent vestigia in eorum posteris per orbem dispersis: sed Filii obedientia, et patientia in tantis tolerandis suppliciis placatus est Pater, eumque deprecantem in cruce pro ipsis qui eum patibulo affixerunt exaudivit. Illa profundissima Filii Dei humiliatio absque divinæ majestatis detrimento contigit; nam divina ejus natura mansit illæsa, cujus maxima data sunt argumenta, etiam dum in humana natura Christus pateretur: adeo ut centurio aliique custodes exclamarent: "Vere Filius Dei erat iste."[4] Inde autem maxima in homines derivata sunt bona, ira Dei in Judæos præsertim accensa.

(1) Unitarian Miscellany, vol. iii. p. 186. Paine, Age of Reason, p. i. page 46.
(2) Rom. v. 8.
(3) Isaiæ liii. 7.
(4) Matt. xxvii. 54.

CAPUT VI. DE PIACULARI SACRIFICIO.

153. Expiatis sua morte hominum delictis Christus sacerdotii præcipuo functus est munere, victimam pro peccatis offerendo. Prædicatur equidem pluribus locis sacerdos, plures etiam ob causas: sed ad rem nostram quod pertinet eo titulo nuncupandus est ob sacrificium quo ablata sunt delicta. Sacerdotis vox sacris operam dantem denotat, et illud præcipuum munus sacrificandi quo summa Dei majestas agnoscitur, et ira ejus placatur, oblatis victimis: quod egregie explicat Apostolus: "Omnis Pontifex ex hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis."[1] Sociniani negant Christum vere sacerdotio functum, mortemve ejus sacrificii veri nominis habuisse rationem: ei vero sacerdotalia in cœlo munera, Deum pro hominibus deprecando, obire libenter concedunt.

PROPOSITIO.

Christus, seipsum piacularem victimam offerendo, sacerdotio vere functus est.

Probatur ex Scripturis.

154. Sæpius sacerdos prædicatur: "Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech."[2] De eo illud explicat Paulus:[3] qui et munia ejus sacerdotalia recenset: "Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?"[4] Liquet Christum sacerdotem dici, eo quod sese obtulerit, ut proprio sanguine conscientiæ nostræ a peccato emundationem obtineret. Erat ergo victima piacularis, cæteras omnes victimas virtute longe superans. Illa oblatio facta est in cruce, sanguine effuso, ideoque tunc vere functus est sacerdotio, antequam cœlum ingrederetur humana ejus natura.

155. Id amplius liquet ex eo quod Apostolus semel oblationem factam dicat: "Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Deo pro nobis: neque ut

(1) Heb. v. 1.
(2) Ps. cix. 4.
(3) Heb. v.
(4) Heb. ix. 11.

sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata."[1] Hostiam igitur suam semel obtulit Christus ad peccata penitus auferenda.

156. Jam vidimus Christum ab Apostolo ἱλαστήριον *victimam piacularem* designari,[2] ab Isaia etiam simili vocabulo.[3] Igitur vera victimæ piacularis ratio ei competit: erat enim vere immolatus ad peccata expienda.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

157. *Obj.* 1. Christus sacrificium dici nequit nisi figurate, quum et Pontifex noster dicatur: utraque autem appellatio simul ei *ad litteram* convenire nequit.[4]

158. *Resp.* Utique et Pontifex est, et victima, se enim ipse obtulit Deo Patri sacrificium ad hominum luenda peccata. "Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. . . . In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel."[5] "Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis."[6]

159. *Obj.* 2. Apostolus loquitur de sacrificio oblato post rejectas Judæorum victimas, quod non contigit Christo in terris degente, adhuc enim perrexerunt offerri, juxta ipsam Dei legem.

160. *Resp.* Reddit rationem Apostolus cur Christus sese obtulerit victimam, quia scilicet animantium sanguine peccata deleri non poterant. Ingrediens mundum Christus exhibetur, quia finis illius adventus fuit, ut morte sua expiaret hominum crimina: ideoque oblationem moriendo perfecit.

161. *Obj.* 3. Christus sacerdos factus est, juxta Apostolum, quando Deus eum Filium suum declaravit: "Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te."[7] Id autem de resurrectione alias explicat ipse Paulus,

(1) Heb. ix. 24.
(2) Rom. iii. 25.
(3) liii. 10.
(4) Unitarian Miscellany, vol. iv. p. 80.
(5) Heb. x. 4.
(6) Eph. v. 2.
(7) Heb. v. 5.

promissionem Patribus factam tunc impletam dicens: "quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te."[1]

162. *Resp.* Apostolus non tempus adsignat quo Christus sacerdos designatus est, sed Patrem prædicat sacerdotii auctorem, quod probat ex eo quod Filius agnitus sit, subjungens aliud Psaltis de ipso sacerdotio testimonium. Nec ad resurrectionem ea verba ita sunt referenda ut tunc Filius esse cœperit, nam in baptismo et transfiguratione Filius agnitus est, et ab Angelo ita ab ipsa nativitate designatus: sed eximium argumentum datum est eum Filium Dei vere esse, ipso a mortuis resurgente.

163. *Obj.* 4. "Omnis enim pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur: unde necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat: si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cælestium."[2]

164. *Resp.* Præstantiam sacerdotii Christi demonstrat Apostolus, "qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo."[3] Sacerdotium igitur Aaronicum jam defecisse inde infert, nam si victimæ quæ juxta legem offerebantur, adhuc valerent, Christus, si in terris degeret, sacerdos non foret, nec enim umbratili simul et vero sacerdotio opus est. *Ab absurdo* argumentatur Apostolus.

165. *Obj.* 5. In sola ad Hebræos epistola, argutiarum judaicarum plena, sacerdotii Christi fit mentio.[4]

166. *Resp.* Christiano homini sufficit ut ex scripturis divinis vel Ecclesiæ certa et solemni traditione innotescat. Cæterum Psalmum de Christo intelligendum ipsius auctoritas demonstrat.[5]

167. *Obj.* 6. Si Christus habendus sit victima, tortores qui eum crucifixerunt sacerdotes censendi erunt.

168. *Resp.* Nulla ratione sacerdotii muneribus fungi videri possunt, sed ipse Christus seipsum obtulit hostiam Deo, oblatus est quia ipse voluit. Est quidem discrimen manifestum inter sacrificium hoc et ea quæ sacerdotes consueverant offerre: nemo enim præter Christum victima fuit simul et sacerdos: sed in eo claret oblationis hujus præstantia.

169. *Obj.* 7. Martyres sacerdotes pari ratione dicendi erunt.

170. *Resp.* Immane est discrimen, martyres enim vim sibi illatam invicto patientes animo virtutis egregia dederunt specimina; nec tamen victimas se, strictiori sensu, obtulerunt: nec enim constituti sunt sacerdotes ad se offerendum. Christus autem sacerdos a Patre agnitus est, ut se offerendo tolleret peccata mundi.

(1) Act. xiii. 33.
(2) Heb. viii. 3.
(3) Heb. viii. 27.
(4) Wegscheider et Zeigler cit. a Perrone.
(5) Matt. xxii. 44.

CAPUT VII. DE CHRISTI SATISFACTIONE.

171. Quum ex dictis constet Christum sua morte vere expiasse hominum peccata, mediator Deum inter et homines omnino prædicandus est, et quidem eximio illo sensu, quod non tantum æternum hominum exitium deprecatus fuerit, sed etiam pœnas gravissimas pro iis subeundo veniam promeritus sit. Merito igitur Apostolus ait: "Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus."[1] Hoc mediatoris munere functus est Deus-homo, ut divina personæ dignitas operi vim tribueret. Utraque igitur natura in mediatore agnoscenda est, quamvis sola humana natura pati morive potuerit.

172. *Satisfecisse* pro hominibus Christum consuevimus dicere, quatenus omnia solvit quæ divinæ justitiæ ob hominum peccata debebantur, et injuriam divinæ majestati illatam compensavit, et homines æterno liberavit exitio. *Debitores*[2] quidem sunt quotquot peccant, *inimici* Dei,[4] et æternæ mortis *rei*.[4] Satisfactio autem, quum sit debiti solutio, dicitur *realis*, si res pro re reddatur, pecunia v. g. pro ære alieno; *personalis* autem si compensetur injuria honorem restituendo. Ut quis vere satisfaciat, oportet ut alias non debeat rem vel obsequium quod præstat: quapropter consueverunt Theologi dicere satisfactionem fieri *ex propriis et aliunde non debitis*. Sensu latiori satisfactio dicitur quidquid a creditore in debiti solutionem, vel a læso in honoris reparationem acceptatur; sed strictius ea tantum satisfactio haberi potest quæ vere adæquat debitum vel injuriam.

173. Apud Catholicos omnes constat ex fidei doctrina Christum vere satisfecisse ob hominum peccata: quasdam tamen quæstiones moverunt Theologi, utrum ea satisfactio ad rigorem justitiæ exhibita sit, adeo ut independenter a Patris acceptatione eam habuerit vim: quod negant Scoti discipuli, S. Thomæ schola cum aliis affirmante. Nobis copiosa Christi redemptio ad omnia hominum delenda peccata, et ad justitiæ plene satisfaciendum omnino videtur; quod consonum est iis quæ tradit Clemens VI: "Non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse."[5] Equidem omnis humiliationis vis augetur, quo quis dignitate præstat: sic heri humiliatio majoris æstimatur quam

(1) I. Tim. ii. 5. 6.
(2) Matt. vi. 12. Coloss. ii. 14.
(3) Rom. v. 10. Coloss. i. 21.
(4) Marci. iii. 29. Jacobi ii. 10.
(5) Extrav. *Unigenitus*, de pœnit. et remiss.

servi: præsidis vel alterius auctoritate induti, quam civis nullo munere ornati. Igitur pro infinita Verbi divini dignitate, infinitus est valor eorum quæ nostri causa est passus; ideoque par omnino reparandæ injuriæ peccato illatæ, quæ tantummodo extrinsecus infinitam habet gravitatem.

PROPOSITIO.

Satisfactio Deo vere præstita est a Christo ob hominum peccata.

Probatur I. Ex Scriptura.

174. "Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis."[1] Igitur crucifixus peccatorum nostrorum passus est pœnas; indeque nobis vulnerum medela derivata est. "Cum inimici essemus, reconciliati Deo per mortem filii ejus."[2] Liquet ex his, aliisque antea adductis, Christum vere luisse pœnas delictorum nostrorum, eaque ratione nobis Deum placasse.

175. Profecto de deletis Christi morte peccatis loquitur Apostolus, veluti de plenissimo in dæmones Christi triumpho, et plena peccatorum remissione: "donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso."[3]

Probatur II. ex Patribus.

176. S. Cyrillus Hierosolymitanus: "Jesus seipsum in redemptionis pretium offerens, nonne illam adversus homines iram dissolvit?"[4]

177. S. Augustinus: "Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate, vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt: venit redemptor, et dedit pretium, fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. . . . Sanguis Christi pretium est."[5] Alia passim occurrunt quæ recensere non vacat.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

178. *Obj.* 1. "Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret."[6] Nulla est vera satisfactio, ubi creditor dat unde solvatur.

179. *Resp.* Utique ex infinita divina misericordia factum est ut Filius homo fieret, et sese morti objiceret. Communi illud trium personarum consilio contigit: sed Filius homo factus fuit actionum quas in humana peregit natura principium, et suo veluti jure eas summæ Triadi obtulit. Nihil illi datum est, unde solveret, quamvis communi decreto susceperit naturam humanam. Hominibus quidem maxima sunt collata beneficia, et Verbi incarnatione, et iis quæ eos ut redimeret passus est.

180. *Obj.* 2. Animi pœnitentia unica est pro peccato satisfactio: eum ut

(1) I. Pet. ii. 24.
(2) Rom. v. 10.
(3) Col. ii. 13.
(4) Catech. xiii.
(5) Enarr. in. Ps. xcv.
(6) Joan. iii. 16.

nobis commendaret, Christus advenit. Ut suam missionem perfecte adimpleret, oportebat eum mori, præsertim ut resurgendo fiduciam nobis beatitudinis impertiretur. Mors ejus sacrificum dicta est, scilicet rem ingratam amplexus est, ut conscientias nostras emundaret, non magica quadam virtute, sed exemplo, doctrina, morali, uti dicitur, influxu.[1]

181. *Resp.* Exigitur quidem animi pœnitentia ut peccator veniam consequatur: nec tamen sufficit, quum nulla lege teneatur Deus delictum semel admissum ignoscere. Venit Christus ut vocaret peccatores ad pœnitentiam, simulque spe veniæ impelleret, se pœnas eorum vice luituro: "dare animam suam redemptionem pro multis." Si nulla pœna esset subeunda, nulla erat moriendi necessitas; quæ enim fingitur, nempe ut fiducia ex ejus resurrectione oriretur, ingenio magis quam Scripturarum auctoritate nititur. Mors ejus vere dicta est sacrificium, oblatio qua deleta sunt mundi peccata; nam quæ alias ex Apostolo recitavimus de conscientia nostra sanguine ejus emundata ab operibus mortuis, non de magica virtute, sed nec de morali tantum influxu, sed de vi ipsam animam mundandi ab omni peccato, sunt necessariò intelligenda.

182. *Obj.* 3. Gratuita peccati venia, adeo in Scripturis prædicata, tollitur plena satisfactione a Christi exhibita.[2]

183. *Resp.* Gratis peccata condonantur, quia nullo peccatoris actui venia debetur, quam misericorditer tribuit Deus, intuitu meritorum Christi. Dicimur igitur "justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. In sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi."[3]

184. *Obj.* 4. Satisfactione divinæ justitiæ a Christo data, nihil superesset peccatori faciendum; de fide igitur, aliave quavis veniæ conditione prorsus silendum.[4]

185. *Resp.* Plene divinæ justitiæ a Christo satisfactum est; sed qua ratione hujus satisfactionis homines singuli fiant participes, ex Christi voluntate omnino pendet. Sapientissimo quidem consilio, statuit adultis rationis compotibus fidem, pœnitentiam, aliosque actus necessarios esse, qui tamen non sua vi, sed virtute sanguinis ejus valent ad veniam. Hinc meritò arguunt Theologi Oxonienses suæ sectæ asseclas qui Christi satisfactionem altius prædicant, de necessaria nostra *mortificatione* silentes.[5]

(1) Vide Unitarian Miscellany, vol. vi. p. 513.

(2) Unitarian Miscellany, vol. i. p. 20.

(3) Rom. iii. 24.

(4) Unit. Mis. vol. ii. p. 18.

(5) "If the doctrine of the atonement is conveyed in the expression of Christ crucified, as used by St. Paul, it is by teaching, at the same time, the necessity of our mor-

186. *Obj.* 5. Qui Christum Deum Deo satisfacientem exhibent, duos statuunt Deos, nec enim sibi satisfacere quis potest.[1]

187. *Resp.* Ipse Christus homo est et Deus, et in assumpta hominis naturæ Deo, qui Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus est, satisfecit: "Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus."[2] Nihil hic pugnæ, quod Filius in humana natura Deo satisfaciat.

188. *Obj.* 6. Christus intercessor in Scripturis exhibetur, non aliquid suo veluti jure postulans: "qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis."[3]

189. *Resp.* Intercessoris utique fungitur officio, sed pretium simul offert. "Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata."[4] "Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum."[5] Ideo intercessio non alia videtur intelligenda, quam ipsa præsentia Jesu Christi coram Patre, qua continuo veluti exhibet vulnera pro hominum salute accepta: "ut appareat nunc vultui Dei pro nobis."[6]

tification, which is repugnant to opinions now received. It is expressing, in other words, our Saviour's declaration, 'he that cometh after me must take up his cross daily, and follow me.' They both imply that we cannot approach God without a sacrifice,—a sacrifice on the part of human nature in union with that of our Saviour." Oxford tracts, No. 80. p. iii. p. 75. vol. iv. London edition, 1838.

(1) Unitarian Miscellany, vol. i. p. 370.

(2) I. Tim. ii. 5.

(3) Rom. viii. 34.

(4) Heb. ix. 28.

(5) Heb. vii. 25.

(6) Heb. ix. 24.

CAPUT VIII. DE MORTE CHRISTI PRO OMNIBUS.

190. Christum vere expiasse peccata ultro concedunt Calvini sectatores, sed non omnium hominum : electorum enim utilitates omnes illius sacrificii esse contendunt.[1] Idem fere Jansenius, juxta quem tamen Christus "pro cæteris qui a fide et charitate deficientes in iniquitate moriuntur,"—"in tantum mortuus est, et in tantum propitiatio peccatorum est, et in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt."[2] "Omnibus illis," inquit, "pro quibus Christus sanguinem fudit, et quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint ac faciant id quod ab eis volendum et faciendum esse decrevit."[3] Propositio quinta ex Jansenii operibus extracta, his verbis concepta est: "Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse." Damnata est ut falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; ut impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica." Ex limite huic damnationi apposito, colligitur a telo servari immunes quasdam Theologorum sententias.

191. Vasquesius in ea fuit sententia Christum pro parvulis absque baptismo decedentibus mortuum non esse, nisi quoad causæ communitatem et magnitudinem atque potentiam pretii.[4] Omnes quidem conveniunt Theologi Christum quoad pretii sufficientiam pro omnibus esse mortuum; plerique addunt sufficientiam voluntatis, quod scilicet vere voluerit mortis suæ intuitu concedi omnibus gratiæ auxilia vere et relative ad salutem sufficientia. Id necessario tenendum videtur saltem quoad aliquos præter prædestinatos. Imo scribit Hiacynthus de Graveson, ex Dominicanorum familia. "Dogma fidei est, Christum mortuum esse voluntate generali seu antecedente, pro salute omnium omnino hominum, eumque merito passionis suæ præparasse auxilia vere sufficientia, quæ confert, vel saltem offert, singulis reprobis, ita ut per illa auxilia sufficientia, sibi a Christo vel collata, vel oblata, possint omnes reprobi ad æternam pervenire salutem, et ex eorum culpa ac defectu sit, non verò ex auxiliorum sufficientium defectu, quod ad eam minime perveniant."[5]

(1) "To all those for whom Christ hath purchased redemption, he doth certainly and effectually apply and communicate the same." Presbyterian confession of faith, ch. viii. §. viii. "Others not elected, although they may be called by the ministry of the word, and may have some common operations of the spirit, yet they never truly come unto Christ, and therefore cannot be saved." Ch. x. §. iv.

(2) Jansenius l. 3. de Gratia Christi c. 21.

(3) Ibidem. (4) I. p. disp. 96 c. 3.

(5) Epistolæ theologicæ-historico-polemicæ t. ii. ep. 7. p. 272.

PROPOSITIO.

192. *De fide est Christum pro aliorum præter prædestinatos æterna salute mortuum fuisse, non solum sufficientia pretii oblati, sed etiam voluntate offerentis, ac proinde quod eo animo, eaque intentione sanguinis sui pretium Deo Patri obtulerit, ut ipsis mereretur gratias ad salutem vere ac relative sufficientes.*[1]

Probatur I. ex Scripturis.

193. "In hoc enim laboramus et maledicīmur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium,"[2] ὃς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μαλιστα πιστῶν. Ideo dictus est Deus Salvator, quia Christus pro hominum salute est mortuus. Salvator autem est omnium hominum, maxime fidelium. Ergo fideles quidem speciali ratione, cæteri autem homines quodam saltem pacto Christi morte redempti sunt. Minime quidem dicendus foret Deus aliorum præter fideles Salvator, si pro illis tantum mortuus fuisset Christus. Præterea ipsi fideles omnes non sunt prædestinati, memorat enim Paulus quosdam qui a fide exciderunt, et monet eos qui fide stant, ne altum sapientes cadant. Attamen eorum omnium maxime prædicatur Salvator. Ergo pro illorum salute præsertim mortuus est Christus: Ergo pro salute aliorum præter prædestinatos mortuus est.

194. Ad Romanos scribens Apostolus eos monet, ne, ciborum liberiori usu, infirmis offensionis et interitus præbeant occasionem: "Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est."[3] Μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε. Ergo perire potest, pro quo Christus est mortuus. Ergo pro aliis præter electos mortuus est. Idem liquet ex alio Apostoli loco: "Et peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est."[4]

195. Christus post ultimam cœnam pro Apostolis et fidelibus omnibus Patrem deprecatus est: "Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me."[5] Pro eorum salute utique mortuus est Christus pro quorum sanctificatione rogavit Patrem: rogavit autem pro omnibus fidelibus. Ergo pro eorum salute saltem mortem amplexus est. Inter eos autem alios esse præter prædestinatos liquet ex ipsis quæ mox laudavimus testimoniis. Accedunt illa testimonia quæ pretii amplitudinem extollunt: "ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi."[6]

(1) Propositionis verba mutuamur a Theologico tractatu de Deo ac divinis attributis qu. vi. art. iv. concl. ii. col. 445. tom. 7. Theol. cursus compl.

(2) 1 Tim. iv. 10.

(3) Rom. xiv. 15.

(4) 1 Cor. viii. 11.

(5) Joan. xvii. 19.

(6) I. Joan. ii. 2.

Probatur II. ex Patribus.

196. S. Cyprianus dæmonem Christianos æternis suppliciis addictos sic alloquentem inducit: "Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum cæleste illis promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate revoco."[1] Liquet ex sancti doctoris mente, et fide christiana, Christum pro iis reprobis crucem pertulisse, eosque sui sanguinis pretio redemisse: secus vi careret illa oratio.

197. S. Augustinus prælaudata Cypriani verba citat, et sua facit.[2] De Juda ait: "Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit ipse pretium quo a Domino redemptus erat."[3] Crucifixores suos Christus sic alloquens exhibetur: "Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis; quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis."[4] Herodem ipse Augustinus sic alloquitur: "Venit qui te redimat, et turbaris; et tunc eum vis perdere, quando ille te disposuit liberare. Ille tibi annuntiat Deum hominem suscepisse pro te, et tu vis perdere eum qui venit redimere te."[5] De qualibet anima justa dicit. "Sponsa est, at accepit arrham magnam, sanguinem sponsi."[6] "Quod pignus dedit? sanguinem suum fudit."[7] Ergo juxta Augustinum Christi sanguis fusus est pro justis omnibus, qui tamen non sunt omnes prædestinati: imo pro Herode et Juda.

Probatur III. concilii Nicæni auctoritate.

198. Concilium Nicænum symbolum ita recitavit: "Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, crucifixus etiam pro nobis." Singuli fideles fidem quam symbolum exprimit, profiteri tenentur: ergo credere debent Christum pro se passum esse.

Probatur IV. rationibus Theologicis.

199. Nisi Christus mortuus sit pro aliorum præter electos salute, spei tollitur fundamentum, et charitatis stimulus deest; nemo quippe certo dicere poterit: "In fide vivo filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me."[8] Tota divina œconomia eo reducetur, ut electis quidem salus detur, sed reprobis externa tantum subsidia, vel etiam interna ad tempus, nullo salutis dandæ consilio. Hæc Deum beneficum erga illos patrem non ostendunt, sed judicem iniquum potius, et irrisorem, qui salutis spem omnibus præbet, et jubet impleri conditiones, quin tribuat vires.

(1) Tract de opere et eleemosynis, cit. in tract. de Deo. et divinis attributis qu. vi. art. iv. tom. viii. curs. complet. Theologiæ.

(2) Lib. iv. ad Bonifacium c. 8.

(3) In Ps. lxviii. enar. 2.

(4) Lib. ii de Symbolo ad Catech. c. 8.

(5) Ibidem c. 5.

(6) In Ps. cxxii.

(7) In Ps. xc. Serm. 2.

(8) Gal. ii. 20.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

200. *Obj.* 1. Christus dicit: "Animam meam pono pro ovibus meis. . . . Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum."[1] "Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris; ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die."[2] "Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam."[3] Ergo Christus vitam posuit pro salvandis tantum, qui et ipsi fideles sunt.

201. *Resp.* Utique Christus vitam posuit pro ovibus, qua imagine omnes fideles designantur, quibus proinde certa ad salutem subsidia tribuit: quæ tamen ipsi sua incuria vel animi pertinacia adhibere aliquando negligunt. Vult Pater ejus ut nihil illi datum amittat, ideoque vis nulla poterit dilectos ejus famulos illi eripere: sed manet voluntatis ipsorum libertas, nec enim nisi volentes salvantur. Exaltatus est in cruce, ut credens in ipsum non pereat, qui proinde in fide perseverans, et per dilectionem fidem exercens, certò obtinebit vitam. Nihil in objectis locis conditionem obedientiæ excludit. Cæterum si quis velit ea omnia de electis explicare, per nos licet, dummodo eorum salus præcipuus quidem, sed non unicus finis mortis Christi agnoscatur, quum "pro omnibus gustaret mortem."[4] Perperam autem Calviniani fideles cum electis confundunt, vox enim illa omnes complectitur qui veritatibus revelatis mentis tribuunt assensum, quorum plurimi sua culpa deinceps pereunt.

202. *Obj.* 2. "Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi."[5] Christus pro iis dici nequit mortuus, quos a suis exclusit precibus: omnes autem præter electos, datos sibi æterno Patris decreto, suis precibus privavit. Equidem quum Pater semper eum audiret,[6] fieri non potuit ut preces, multo minus sanguinem, frustra funderet.

203. *Resp.* Christus mundum eo loci designavit impios et infideles, qui adventus sui bonis, culpa et pertinacia animi, carerent. Non pro illis rogavit Patrem, sed pro discipulis suis, et aliis eorum opera ad fidem per sæculorum seriem adducendis, ut bonorum copia in ævum fruerentur. Specialis illius orationis, quam terras relicturus pro dilectissimis famulis fudit, beneficio privavit infideles, in impietate pertinaces. "Est mundus," inquit Augustinus, "de quo scriptum est, ne cum hoc mundo damnemur: pro isto mundo non rogat."[7] Sed non ideo omni redemptionis munere, et

(1) Joan. x. 15. 28.
(2) Joan. vi. 39.
(3) Joan. iii. 15.
(4) Heb. ii. 9.
(5) Joan. xvii. 9.
(6) Joan. xi. 42.
(7) Tract. cx. in Joan.

salutis subsidio carere eos voluit, nam "dedit redemptionem semetipsum pro omnibus."[1] Semper auditus est a Patre, sed aliquando aderat conditio, qua deficiente noluit effectum sequi. Sic auditur, concessis subsidiis, quibus ad salutem perveniunt plurimi, dum alii, pravæ voluntatis vitio, deficiunt.

204. *Obj.* 3. De calice dixit Christus: "Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum."[2] Nisi electos designare voluisset, nulla erat ratio cur sic loqueretur.

205. *Resp.* Omnes eo loci intelliguntur; ratio autem verosimilis cur multis vis tanta tribuatur, est quia unius Christi cum cæteris omnibus hominibus tacita fit comparatio: περὶ πολλῶν.[3] Sic apud profanos scriptores: "Unum pro multis dabitur caput."[4] Constat quidem multos et omnes aliquando permutari. Sic Daniel: "Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt:"[5] quod de omnibus affirmat Joannes.[6] Apostolus ait: "in omnes homines mors pertransiit,"[7] quos tamen multos deinceps designat.[8] Augustinus idcirco notat "non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes non pauci, sed multi sunt."[9] Cæterum optime animadvertit S. Thomas Aquinas: "Pro multis et pro omnibus sanguis effusus est; quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non tantum pro nostris, sed et totius mundi: sed si consideremus effectum, non habet effectum nisi in iis qui salvantur, et hoc ex culpa hominum."[10]

206. *Obj.* 4. S. Augustinus dicit: "Non perit unus ex illis pro quibus Christus mortuus est."[11]

207. *Resp.* Eo loci respicit Augustinus specialem Christi voluntatem erga salvandos. Agebat enim de mysteriorum fidei intelligentia, quæ paucis conceditur: "Nam si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus. Si autem, quod veritas habet, infirmi populi credentium ad medicum currunt, sanandi per Christum et hunc crucifixum, ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia, miris fit modis per altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, et per inscrutabilia judicia ejus, ut et nonnulli a corporibus incorporea discernentes, cum sibi ex hoc magni videntur, et irrident stultitiam prædicationis qua salvi fiunt credentes, ab unica via longe exer-

(1) I. Tim. ii. 6.
(2) Matt. xxvi. 28.
(3) Bloomfield in Matt. xx. 28.
(4) Æn. v. 815.
(5) Dan. xii. 2.
(6) Joan. v. 28.
(7) Rom. v. 12.
(8) Vers. 15. Vide etiam Vers. 18. 19.
(9) L. ii. op. imperf. c. 175.
(10) Comm. in hunc locum.
11 Ep. clxix. alias cii. Evodio.

rent, quæ ad vitam æternam sola perducit; et multi in cruce Christi gloriantes, et ab eadem via non recedentes, etiamsi ista quæ subtilissime disseruntur, ignorant, quia non perit unus ex illis pro quibus mortuus est, ad eandem perveniant æternitatem, veritatem, caritatem, id est, ad stabilem, certam, plenamque felicitatem, ubi manentibus, videntibus, amantibus cuncta sunt perspicua." Hæc de efficacia Christi redemptionis verissima sunt, nec excludunt oblationem generalem, quam alia adstruunt testimonia: "Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nullo prorsus excepto . . . . et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omnino peccatum."[1]

208. *Obj.* 5. S. Thomas Aquinas dicit: "Christus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant crediturí in eum; sed pro his solum, qui erant prædestinati."[2]

209. *Resp.* Christi oratio iis præsertim profuit quos ipse speciali affectu prosequi dignatus est, et ad gloriam evehere. Dicitur autem a S. Thoma non orasse pro omnibus, quia absoluta et efficaci voluntate non omnium expetiit salutem, sed in nonnullis servari jussit justitiæ jura, juxta profundissima suæ sapientiæ consilia. Mentem suam alias explicat: "Voluntas, ut natura, est de eo, quod habet in se bonitatem, non considerato ordine ejus ad aliud; unde voluntas talis in Christo fuit de salute hominum, sicut voluntas fuit in Deo; sed secundum hanc simpliciter et absolute non dicitur aliquis velle: hanc autem voluntatem Hugo de S. Victore dicit voluntatem pietatis. Sed voluntas, ut ratio, est de eo, quod habet bonitatem etiam in ordine ad aliud, et secundum hanc voluntatem non volebat Christus omnes salvari, sicut nec Deus voluntate consequente; et secundum hanc dicitur aliquis simpliciter et absolute velle: et ideo oratio Christi, quæ fuit secundum hanc voluntatem, fuit exaudita; non autem quæ fuit secundum primam; et ideo dicit Hieronymus, quod Christus exauditus est pro prædestinatis, non autem pro non prædestinatis."[3]

210 *Obj.* 6. Ex controversia quæ in Galliis nono sæculo exarsit, liquet plerosque censuisse Christum pro prædestinatis tantum mortuum: nam rejecit Concilium Lugdunense, præside S. Remigio, capitula Carisiaca, quibus mors Christi pro omnibus agnoscebatur, et consentientem sibi habuit Synodum Valentinam. Sic et S. Prudentius Tricassinus credendum docuit "cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Jesu Christi pro omnibus omnino hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum; non autem pro illis, qui numquam in eum crediderint, nec hodieque credunt, numquamque crediturí sunt."[4]

(1) L. xx. de civ. Dei. c. 6.
(2) 3. p. qu. 21. art. 4.
(3) Lib. iii. sentent. dist. 17. art. 2, q. 2.
(4) Ep. ad Wenilonem Senonensem.

211. *Resp.* Vocibus magis quam re dissentiebant episcopi illi: quapropter censura Capitulis Carisiacis apposita postea deleta est, Gallicanis episcopis anno 859 convenientibus ad Synodum Tullensem I., Lingoniensem, et Tullensem II. Hinc S. Remigius dixit: "Si inveniantur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant, si placet, sicuti et nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate vivens . . . non renuatur."[1] Equidem de efficacia et fructu Christi mortis loquebantur illi, qui cum Prudentio sanguinem Christi pro credentibus fusum dicebant: Carisiacenses de ejus sufficientia et oblatione. Constat præterea eos alios præter prædestinatos credentium nomine intellexisse.

212. *Obj.* 7. Christus, cui omnia arcana patebant, mori pro reprobis noluit, cum nulla eorum utilitate, sanguine ejus frustra fundendo.

213. *Resp.* Non speciali consilio pro reprobis mortuus est Christus, sed salvandorum præsertim causa. Cæterum pro illis etiam se victimam obtulit ut subsidia salutis illis compararet, cum magna eorum utilitate, si iis uti vellent. Quod contra contigit, eorum arguit pervicaciam, animumque beneficiis summis ingratum; sed divina vindicatur bonitas et justitia, haud denegatis salutis subsidiis. Non igitur frustra sanguis fusus est, sed in perfectionum divinarum ostensionem.

ANIMADVERSIONES.

214. Vindicato dogmate catholico contra Calvini et Jansenii sectatores, de Theologorum sententiis aliquid occurrit dicendum. Libenter dicunt omnes, quamvis sensu aliquantum diverso, Christum pro omnibus mortuum "Recte igitur Christus Dominus dici potest etiam pro peccatoribus, obcæcatis, infidelibus, et parvulis mortuus: quamquam plurimis eorum non conferantur, imo nec conferri possint auxilia sufficientia." Ita Gazzaniga, Thomistarum plerorumque sententiam secutus.[2] Augustiniani "sicut Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum tradunt, ita etiam omnibus, absque exceptione aliqua, parata et oblata ad salutem media necessaria dicent," referente eminentissimo d'Aguirre.[3] Fere omnes tenent ex Christi pro omnibus morte contingere, ut omnibus parentur et suppeditentur subsidia ad salutem vere et relative sufficientia, saltem remote, quamvis causarum naturalium et necessariarum cursu, quem impedire non tenetur Deus, fieri possit ut illa aliquibus reipsa non conferantur.

215. De morte Christi pro omnibus insignis est Apostoli locus: "Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus."[4] Ex morte Christi pro omnibus argumentatur Apos-

(1) *Lib. de tenenda veritate scripturæ* c. xx. Vide et librum *de tribus epistolis*.
(2) Diss. v. c. iii. De Morte Christi n. 193.
(3) Theol. S. Anselmi Disp. 126. S. 2.
(4) II. Cor. v. 14.

tolus omnes peccato mortuos esse, quæ tamen haud valeret ratio, si pro omnibus omnino Christus mortuus non fuisset. Alia jam laudavimus perspicua satis testimonia, quibus dicitur gustasse mortem pro omnibus, dedisse se redemptionem pro omnibus, et esse propitiatio non tantum pro peccatis nostris, sed etiam pro totius mundi: quæ omnia, obvio sensu accepta, Christum pro omnibus mortem suam obtulisse suadent, ut sufficientia ad salutem subsidia iis compararet. Patrum præsto sunt documenta. S. Gregorius Nazianzenus de Christi passionibus loquens, dicit: "per quas omnes reformati sumus, nullo penitus excepto qui eidem Adamo participavimus."[1] S. Joannes Chrysostomus dicit: "Sacrificium quidem ipsum pro tota natura oblatum fuerat; qui autem usum sacrificii percipiunt, soli sunt credentes."[2] S. Ambrosius: "ipse pro omnibus vitam suam obtulit."[3] S. Hieronymus: "Christus pro omnibus mortuus est, solus inventus est, qui et ut immaculata hostia, pro omnibus qui erant in peccato mortui, offerretur."[4] Concilium Carisiacense anno 855 perspicue id docuit: "Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur."[5] Quamvis id improbatum aliis fuerit, si censura Valentinianorum patrum revera sit, quam quidam suppositiam censent, constat id deinceps innoxium visum esse, nam censura in posterioribus conciliorum codicibus desideratur.

216. Ea ratio loquendi a Concilio Tridentino usurpata est: "Verum licet ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis ejus communicatur."[6] Equidem benignissima Christi erga humanum genus voluntas suadet ut eum mortuum pro omnibus censeamus. Quod autem quidam omni salutis subsidio videantur privari, non probat eos vere eo carere, nam Deus ubique adest, et miris occultisque modis gratiæ auxilia suppeditat. Ad infantes absque baptismo pereuntes quod pertinet, dici potest iis etiam parata esse subsidia, sed Deum, provisorem generalem, non teneri ad naturæ ordinem invertendum miraculo, ut iis consulat.

(1) Orat. xxv. nunc 33. n. 9.
(2) In Gal. ii. 20.
(3) L. de S. Joseph c. 7.
(4) In comm. ad c. v. ep. 2 ad Corinth.
(5) Crecy in Picardia. Cap. iv.
(6) Sess. vi. cap 3. de justif.

CAPUT IX. DE CHRISTI ADORATIONE.

217. Quæ de Christi divinitate disseruimus, eum adorandum esse manifestò probant, utpote Deum, Patri omnino æqualem. Qui personas duas in eo distinguebant Nestoriani, homini Christo divinum recusabant cultum, quem tribuebant Verbo: sed Ecclesia unam Verbi personam in utraque natura adorat. Sociniani olim colendum esse Christum, utpote Dei personam quodammodo gerentem, divina indutum virtute, docebant: quod Unitariis nonnullis adhuc arridet, sed plerique omnem ejus cultum respuunt. Concilium Generale V. supremum Christi cultum contra argutias hæreticorum anathemate vindicavit. Canon ejus nonus his verbis in concilio Lateranensi redditus est: "Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, et semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est: talis anathema sit."[1] Equidem id sedulo animadvertendum carnem Christi spectari prout divino Verbo hypostatice conjuncta subsistit, et adorari non *propter se*, sed propter divinam quam habet subsistentiam. Adoratur tamen *in se*, scilicet ipsa colitur, tametsi adoratio in illa non sistatur, sed in Verbo.

PROPOSITIO.

Uno eodemque supremo latriæ cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino cum quo est hypostatice conjuncta.

Probatur I. Ex Scripturis.

218. "Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent eum omnes angeli Dei."[2] Hoc manifestò refertur ad Christum hominem, quum ipse in orbem in humana natura venerit, et ad judicandum homines iterum venturus sit: cui tan en ipsi angeli cultum præstare jubentur. Ad Philippenses scribit, Christum ad mortem crucis sese demisisse, ideoque a Patre accepisse nomen supra omne nomen: "ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum."[3] De humana

(1) Acta Conc. Hard. tom. iii. col. 198. et Concil. Later. sub Martino I. act. seu Sec. iv. in col. Hard. col. 839.

(2) Heb. i. 6.

(3) Phil. ii. 10.

Christi natura, in qua mortem obiit, agitur, eaque ad summam gloriam evecta dicitur, cultu supremo ab omnibus Dei creaturis honoranda.

219. Summum accepit Christus cultum, etiam inter homines versans. Recens natum magi divinitus ducti, et cælesti illustrati lumine "procidentes adoraverunt eum," Πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ.[1] Veram adorationem illic intelligendam suadent omnia adjuncta, nec enim verosimile est puero, nullum majestatis terrenæ indicium præseferenti, obsequium civile magos præstare voluisse, tanta cum sui humiliatione.

220. Christo a cæco quem visu donaverat, fidem exigente, "Tu credis in Filium Dei?" seque ipsum esse declarante, respondit ille: "Credo Domine, et procidens adoravit eum."[2] Adoratio hæc fide de Filio Dei nixa non erat cultus civilis, sed religiosus, et quidem supremus, qui tamen Christo homini simul et Filio Dei redditus est.

221. Apostoli Christum redivivum "videntes eum adoraverunt."[3] Cultus religiosus et supremus hoc loco enuntiatur, nixus ejus a mortuis resurrectione: nec divinitatis a humanitate discrimen in eo præstando servatur, sed tribuitur Christo, qui Deus est et homo.

Probatur II. Ex Patribus.

222. S. Athanasius: "Etsi enim ipsa caro seorsim spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus: neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus."[4]

223. S. Ambrosius, in Psaltis verba: "Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est," scribit: "per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt."[5] Magistro concinit discipulus Augustinus in ipsa Psaltis verba: "Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando."[6]

224. S. Joannes Damascenus, Theologi more, rationem reddit: "Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus: quippe quæ adoratur in una Verbi persona, et hypostasis facta est. Qua in re non creaturæ servi-

(1) Mat. ii. 11.
(2) Joan. ix. 38.
(3) Matt. xxviii. 17.
(4) Epist. ad Adelphium.
(5) L. iii. de Spiritu Sancto c. ii.
(6) Enarr. in Ps. xcviii. n. 9.

mus ; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed veluti divinitati unitam, et quia duæ ipsius naturæ ad unam Dei Verbi personam reducuntur, unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro."[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

225. *Obj.* 1. Humana Christi natura non desinit esse creatura, licet Verbo hypostatice conjuncta : creaturæ autem supremum cultum deferre nefas est.

226. *Resp.* Est quidem humana Christi natura res creata, sed quum divinitus subsistat, qui ei tribuitur cultus in divinam personam qua regitur tendit ; ideoque nullo modo derogat honori divino.

227. *Obj.* 2. Cultus igitur humanæ Christi naturæ præstitus *relativus* est.

228. *Resp. Absolutus* est cultus qui humanæ Christi naturæ redditur, in seipsa enim, quamvis non propter se, sed propter divinam subsistentiam colitur.

229. *Obj.* 3. Cyrillus Alexandrinus tradit "nefas esse hominem assumptum coadorare cum Deo Verbo."[2]

230. *Resp.* Quæ contra Nestorium protulit Cyrillus, intelligenda sunt præ oculis habito Nestorii errore. Quum hic hominem diceret a Verbo distinctum, et moraliter tantum conjunctum, nefas quidem foret eum Dei Verbi adorationis participem facere. "Si quis audet dicere hominem assumptum coadorari cum Deo Verbo, et connuncupari Deum tamquam alterum cum altero; adjectio enim συν *(cum)* syllabæ hoc cogit intelligi ; et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, namque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est ; anathema sit."[3]

ANIMADVERSIO DE CULTU CORDIS JESU.

231. Ex his quæ de humana Christi natura colenda diximus, sequitur pie sancteque cor Jesu coli, prout est "cor personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est."[4] Accedit quod symbolum est dilectionis illius præcipuæ qua Redemptor humanum complexus est genus, et humilitatis et mansuetudinis, quam ipse nobis imitandam proposuit : "Discite a me, quia mitis sum et humilis corde."[5] Septimo decimo exeunte sæculo festum sanctissimi cordis Jesu cœpit celebrari, unde plurimæ enatæ sunt turbæ. Ei favit

(1) Lib. iii. de fide orthodoxa c. viii.
(2) Anathematismo viii.
(3) Ibidem.
(4) Constit. Pii VI. *Auctorem Fidei* ad prop. lxiii. Synodi Pistoriensis.
(5) Matt. xi. 29.

sedes Apostolica eo præsertim fine ut charitatem Christi "sub sanctissimi cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus percipiant" fideles, prout ex lectionibus Breviarii liquet. Hæs erat tamen sacra Rituum congregatio an. 1697, 1727, et 1729, et abstinendum censuit a concessione Officii et Missæ pro cultu cordis proprie sumpti: sed Clemens xiii. an. 1765 eum probavit. Quum cultus hic jam obtineat, nec in hac regione aliqua de eo moveatur controversia, supervacaneum duximus de eo fusius disserere. Id tantum animadvertemus festi recentiorem originem haud obstare, quum Christus, Deus et homo, semper supremo cultu adoratus fuerit; et cor ejus sanctissimum non ita colatur, ut a humana natura integra, vel a divina persona, separatum, sed tamquam specialis affectuum sedes, et dilectionis symbolum. Æquum autem est ut refrigescente charitate, homines, novis pietatis exercitiis, quæ in certis Ecclesiæ dogmatibus nituntur, ad Redemptoris amorem iterum excitentur. Ei igitur "qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo . . . ipsi gloria, et imperium in sacula sæculorum. Amen."[1]

(1) Apoc. i. 5.

TRACTATUS VIII.

DE GRATIA CHRISTI.

PRÆNOTANDA.

1. Redemptoris sanguis fusus est ut peccata delerentur, et subsidia salutis compararentur hominibus. Ideo Evangelista Joannes, quum Christum plenum gratiæ et veritatis prædicasset, adventus ejus beneficia cum legis Mosaicæ oneribus conferens, dixit: "Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est."[1] De gratia igitur, quam hominibus Christus moriendo promeruit, est imprimis agendum; et imprimis explicandum est ipsum gratiæ vocabulum, ut claritas dicendis accedat.

VOCUM EXPLICATIO.

2. *Gratia* χαρις *favor* intelligitur apud Theologos donum Dei gratuitum, quod scilicet nulli operi hominis debetur: "Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia."[2] Creatio, conservatio, et omnia quibus fruimur bona, quæ ad ordinem naturæ pertinent, gratiæ nomine, lato quodam sensu, designari possunt, quo sensu a Pelagio, et a Quesnello non semel usurpata est vox: sed solet referri ad dona supernaturalia, quæ ad vitam æternam consequendam nos adjuvant. Homini primitus condito quæ concessa sunt dona, ultra id quod natura ipsa humana ex ipsius constitutione exigebat, ea scilicet quibus ad ordinem supernaturalem evectus est homo, ut Deo fruendo fieret idoneus, gratis, nullo prævio merito, ut patet, tributa sunt. Ea idcirco *gratiæ* nuncupantur, etiam ab iis Theologis qui cum Augustinianensibus putant Deum *ex quadam convenientia* ad beatam visionem hominem destinasse, nec potuisse eum, imaginem suam ferentem, et naturæ quodam impetu ad Conditorem suum tendentem, ad finem mere naturalem destinare.[3] Lapsis hominibus, et noxa originis gravatis, dantur omnia intuitu meritorum Christi.

(1) Joan. i. 16.
(2) Rom. xi. 6.
(3) Vide Berti Aug. Syst. vind. Diss. ii. c. i. cor. ii. et §. ix. n. ix.

3. *Gratia* igitur definiri potest donum supernaturale, gratis a Deo homini lapso concessum, intuitu meritorum Christi, in ordine ad vitam æternam. Gratia alia *externa* dicitur, quæ scilicet exterius datur, ut homo ad virtutem amplectendam moveatur. Prædicatio Evangelii, Sacramentorum suscipiendorum occasio opportuna, aliaque hujusmodi subsidia nobis oblata, *externæ* gratiæ habent rationem. *Interna* dicitur quæ animam intus afficit, vel intellectum illustrando, vel voluntatem movendo ; et ideo alia dicitur gratia *intellectus*, alia *voluntatis*, vel, ut Augustinianensibus placet, alia est *illustratio* mentis, alia est *delectationis inspiratio*. *Habitualis* est, quæ in anima manet ; v. g. gratia *sanctificans*, qua fit Deo accepta, dona etiam Spiritus Sancti. *Actualis* ea est quæ actu movet ad actus supernaturales, sicut gratia *orationis*, impellens ut precemur Deum ; et gratia *operis*, movens ut aliquid faciamus : v. g. ut demus eleemosynam. *Gratiæ gratis datæ* consueverunt vocari ea dona supernaturalia quæ primario dantur ob aliorum utilitatem : v. g. potestas patrandi miracula, edendi vaticinia.

PELAGIANÆ HÆRESIS BREVIS RELATIO.

4. Jam locuti sumus de Pelagio qui peccatum originis et gratiæ necessitatem quinto sæculo ineunte impugnavit,[1] hominem ea qua primum constitutus est conditione, adhuc nasci contendens, libero præditum arbitrio, quo possit beatitudinem consequi, absque ullo supernaturali auxilio. Concilium Diospoli *(Lyddæ)* in Palæstina habitum, quatuordecim episcopis constans, ictis ejus verbis fidem præstans, illi pepercit, rejecto tamen ejus errore, damnavit enim articulum : "gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina."[2] 68 episcopi anno 416 Carthagine convenientes, et 61 episcopi Milevitano in concilio, placita illius et Cælestii[3] rejecerunt, probante Innocentio I. an. 417. Ictus hos ut eluderet Pelagius, litteras subdolas ad Innocentium statim misit, Cælestiusque ipse Romam veniens apud Zosimum, Innocentii successorem, querelas de adversariorum falsis criminationibus effudit, seque per omnia cum sede Romana sentire professus est. Reorum causam, dogmate illæso, iterato examini subjecit Zosimus, et Africanorum præsulum sententias rogavit, qui numero 214 Carthagine convenientes, Pontificem certiorem fecerunt Pelagianos dolos struere, ut securius diffunderent errores. Nuntiis his acceptis Synodum ipse Romæ habuit, in qua errores illos una cum eorum auctoribus proscripsit, epistolamque dedit *Tractoriam* contra errorem novitium ad episcopos totius orbis directam, cui jussit ut subscriberent

(1) Supra. p. 38.

(2) Cf. Acta. Concil. Hard. tom. i. col. 2011.

(3) Hunc a Priestleio Hibernum dictum, fuisse *Campanum* censet Garnerius : plerique Scotum veri nominis existimant.

in fidei concordiæ indicium, et errorum damnationem.[1] Octodecim episcopi Pelagio faventes subscribere pontificiis litteris recusarunt, novumque judicium in plenario concilio postularunt; sed causa jam finita Augustino, cæterisque per orbem episcopis, meritò visa est.

5. Julianus, Eclanensis in Campania episcopus, Pelagianismi vindiciis malam sibi comparavit famam, et sede idcirco pulsus est. Cæterum mitigare visus est aliquatenus errores, fatendo gratiam ad bene agendum necessariam esse, quam tamen juxta merita dari censebat, iis scilicet qui suis viribus fidei salutisque desiderium eliciebant.[2]

6. Variæ fuerunt artes quibus Pelagius suam celabat et propagabat hæresim, ambigua præsertim vocum usurpatione, et superbiæ humanæ, pro hæreticorum more, blandiendo. Gratiam aliquando agnoscebat necessariam, eo nomine liberum intelligens arbitrium, quod procul dubio Dei donum est, sed ad ordinem naturalem pertinet. Alias ea voce designabat externa ad salutem subsidia, Evangelii scilicet prædicationem, legem divinam, aliaque hujusmodi, quibus opus erat, ut homo divinam nosceret voluntatem, quam tamen libero arbitrio amplecti poterat, et implere. Aliquam interiorem gratiam, saltem ad facilius exequenda mandata, aliquando visus est agnovisse, quam tamen luminis instar mentem illustrare dicebat, quin voluntatis infirmitatem divino roborandam auxilio fateretur.[3]

7. Socinus cum sectatoribus suis sæculo decimo sexto præcipui gratiæ hostes fuere, negabant quippe originis peccatum, et humanæ voluntatis vires efferebant, mysterium redemptionis prorsus evacuantes. Unitarii hodierni haud minus infensi noscuntur his totius Religionis fundamentis, supernaturalis quippe auxilii quo illustretur mens, et roboretur voluntas, notionem, inter ægri animi somnia reponunt: quamvis *gratiæ* nomen et ipsi aliquando adhibeant, vel libertatis donum eo intelligentes, vel principiorum naturalis Religionis explicationem, a Christo, Dei legato, traditam.[4]

(1) Quas egerit partes Petri Sedes in hac proterenda hæresi, sicut et Ariana, ingenue fatentur Oxonienses Theologi: "But is it then a duty to forget that Rome was our mother, through whom we were born to Christ; that she was the instrument chosen by God's good providence to bring the Gospel to the wild heathen tribes from which most of us are sprung? Are we to be so engrossed with modern controversies, and modern corruptions, as to forget ancient heresies, and those the most deadly, those of Arius and Pelagius, against which she maintained the faith once delivered to the Saints? are we to forget all past gratitude, all bowels of mercy towards her who was our mother?" Oxford Tracts, No. 77, p. 33, vol. iii. London edition.

(2) Vide Aug. l. ii. contra 2 ep. Pelag. c. viii.

(3) Vide Aug. l. de hær. hær. lxxxviii. et l. de gratia Christi.

(4) "The condition of man is such, that he *can* turn and prepare himself by his own natural strength and good works, to faith and calling upon God; wherefore we *have* power to do good works, pleasant and acceptable unto God, though the grace of God, as proclaimed by Christ, may often inspire us with a good will, and work with us when we have that good will."—Unitarian Miscellany, vol. v. p. 211.

Rationalistæ horum calcant vestigia, omnem supernaturalem Religionem, omneque auxilium supernaturale denegantes, ut humanæ blandiantur superbiæ, jactitantes naturæ præstantiam qua quis possit suis viribus ad eam pertingere perfectionem, quæ in hominis paridisiaci *prototypo ideali* exhibita est, et quæ in Christo est visa. *Quakeri* innuunt se a Pelagianorum erroribus, quibus lux naturæ extollitur abhorrere,[1] et semen divinum seu Spiritus Sancti illuminationem agnoscere, qua etiam moveatur mens, claritate scilicet et evidentia revelationis interioris.[2] Sed hæc a vera gratiæ notione longe absunt.

CAPUT I. DE GRATIÆ NECESSITATE.

8. Gratiæ, scilicet supernaturalis auxilii, necessitatem in salutis negotio peragendo, quam contra Pelagianos Ecclesia olim vindicavit, Tridentinum concilium iterum declaravit, verbis fere iisdem quibus vetera concilia; congruum quippe erat ut hæc veluti veritatis monumenta, et trophæa debellatarum hæresum, exhiberentur:[3] "Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, et difficulter possit; anathema sit." "Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferretur; anathema sit."[4] Ex fidei igitur doctrina constat supernaturale gratiæ auxilium requiri ut quis salutarem quemcumque actum, etiam internum, eliciat. *Prævenions* autem Spiritus Sancti inspiratio et adjutorium ipsa vocatur gratia, quia antecedit voluntatis motum, ideoque a Theologis *indeliberatus motus* vocatur: prævenit etiam meritum omne humanum, et a divina largitate proficiscitur,[5] hominem excitat, et roborat. De actibus autem qui ad salutem tendunt, et fiunt *sicut oportet*, agi liquet.

(1) "Hence are rejected the Socinian and Pelagian errors in extolling a natural light." Prop. iv. apud Barclay.

(2) Prop. ii.

(3) "Age after age, fresh battles have been fought with heresy, fresh monuments of truth set up."—Oxford Tracts, No. 38.

(4) Sess. vi. de justif. c. ii. iii.

(5) Hoc sensu Perrone notat vocem *prævenientis* gratiæ ab Augustino adhiberi, quam de indeliberato motu recentiores Theologi plerumque accipiunt.

PROPOSITIO.

Ad quemlibet actum salutarem, etiam ad fidem, præveniens Spiritus Sancti inspiratio atque ejus adjutorium requiritur.

Probatur I. ex Scripturis.

9. Christus, de fide, qua ad eum acceditur, loquens, dixit: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum."[1] Quid vero trahendi vocabulo significare vellet, innuit, verba Isaiæ laudando: "Est scriptum in Prophetis: 'Et erunt omnes docibiles Dei.' Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me." Igitur trahi dicitur qui a Deo docetur, qui Patrem intus loquentem audit, qui fidei humili assensu cœlestem discit veritatem. Hæc supernaturalem mentis illustrationem qua cognoscatur veritas, motum etiam voluntatis, qua quis ad eam amplectendam alliciatur, et trahatur, indicant, nam distinguitur Patris institutio ab externo Filii magisterio; et illi tribuitur, quod quis huic præbeat assensum. Ideo Petri confessio, Christum esse Filium Dei, ad Patris revelationem relata est: "Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est."[2]

10. "Sine me nihil potestis facere."[3] Se viti assimilaverat Christus, discipulos palmitibus; eosque monuerat in eo manere oportere, ei scilicet fide et dilectione conjungi, ut fructus vitæ et salutis ferre possent: "Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere." Igitur nihil prorsus, quod ad salutem pertinet, nullus salutaris actus, fieri potest absque Christi auxilio, quod gratiæ nomine designatur.

11. Apostolus divinæ misericordiæ tribuit, non suo arbitrio, quod fidelis sit: "tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis."[4] Eam quidem se consecutum alias dicit, quod ignorans in Christum deliquerit, non causam adsignans, sed innuens quod obicem minorem gratiæ objecerit: "Prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate."[5]— "Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturì sunt illi, in vitam æternam."[6]

12. Fideles nullo titulo gloriari posse dicit Apostolus, quum omnia Deo donante acceperint: "Quis enim te discernit? Quid autem habes quod

(1) Joan. vi. 44.
(2) Matt. xvi. 17.
(3) Joan. xv. 5.
(4) I. Cor. vii. 25.
(5) I. Tim. i. 13.
(6) Ibidem, 16.

non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?"[1] Hæc quidem de dotibus, quibus præstant Evangelii præcones intelligere quis velit, ex sermonis serie: sed et de fidelibus universis valent, eos enim statim alloquitur, veluti per *ironiam*, Apostolus: "Jam saturati estis, jam divites facti estis." Ergo nemo fidelium gloriari poterit se ab infideli suî arbitrii exercitio discerni, sed necessariò debet ad divinam gratiam id referre.

13. Fidem, et omnia bona quibus fruimur, ad charitatem Dei et munificentiam constanter refert Apostolus. "Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos . . . . ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus."[2] Bona opera igitur præparata sunt a Deo, qui nos creavit, vitam supernaturalem in Christo Jesu tribuendo, et fidem, ejus originem, inspirando. Nulla nobis relinquitur gloriandi ratio, quum non ex operibus, sed ex Dei dono, fides ipsa proveniat.

14. Corinthios instar epistolæ manu Dei scriptæ, spiritu ejus eorum cordibus veritates cælestes, dono fidei, insculpente, habuit Apostolus: "epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autem talem habemus, per Christum ad Deum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est."[3] Igitur Spiritus Dei opus in hominum ad fidem traductione agnoscendum est: nec possunt præcones aliquid veluti e suo penu promere quod rem adeo divinam promoveat, nec audientes aliquid cogitando, veluti a se, conferre possunt: sed omnis bonæ et salutaris cogitationis initium ad Deum referendum est.

15. "Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate."[4] Ad diligentiam in salutis negotio hortatur Apostolus fideles, quos metuere jubet, quum ex divina gratia ipsa bona voluntas, et felix exitus pendeat. Causa timoris est, ne socordiâ, vel nimiâ fiduciâ, gratiæ ponatur obex, sublato enim divino auxilio nemo potest salutem adipisci. Liquet igitur omnem salutarem actum, et ipsam voluntatem bene agendi a Dei gratia derivare originem.

16. Apostolus Jacobus Deum omnis boni auctorem exhibet, præsertim novitatis, quæ fit veritati revelatæ credendo: "Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veri-

(1) I. Cor. iv. 7.
(2) Eph. ii. 4.
(3) II. Cor. iii. 3.
(4) Phil. ii. 13.

tatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus."[1] Ex bonitate divina illa igitur nobis contigit nativitas, qua filii ejus censemur, credendo, et dona ejus suscipiendo.

17. Tot testimonia plane ostendunt opera bona, fidemque ipsam ex supernaturali derivari influxu, divino lumine a Patre luminum mentem illustrante, et corde divinitus moto, ut velimus, et quod aggredimur reapse perficiamus.

Probatur II. ex Patribus,

18. S. Justinus M. citans Psaltis verba: "Deus meus es tu, ne discedas a me," inquit: "Docet in Deum qui omnia creavit, sperare omnes debere, et ab eo solo salutem et auxilium quærere."[2]

19. S. Irenæus: "Non enim propter hoc liberavit nos (*Christus*) ut ab eo abscedamus: nec enim potest quisquam extra Dominica constitutus bona sibimet acquirere salutis alimenta: sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus."[3] Spiritum Sanctum vitam animabus in lavacro tribuere dicit, et e cœlo demittere in nos rorem pluviamque ut fructus feramus salutis: "Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic et nos lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia."[4]

20. S. Cyprianus: "In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit."[5]

21. S. Ambrosius: "Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino."[6]

22. S. Hieronymus ait "Dominum gratia sua nos in singulis operibus juvare atque sustentare."[7]

23. S. Augustinus noscitur ex professo gratiæ necessitatem propugnasse: unum aut alterum dabimus ejus testimonium: "Non ait: qui sine me *parum* potestis facere, sed *nihil* potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest."[8]—"Non enim dixit: misericordiam consecutus sum, *quia fidelis eram;* sed *ut fidelis essem;* hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi, nisi Deo miserante non posse, et esse donum Dei."[9]

24. Accedit ratio Theologica. Quum beata Dei visio sit finis naturæ ordinem excedens, subsidia ad eam comparandam ordinem hunc excedant oportet: ergo auxiliis supernaturalibus gratiæ opus erit, ut quis aliquid quo saluti via struitur faciat.

(1) Jac. i. 16.
(2) Dial. cum Tryphone, n. 102.
(3) L. iv. adv. hær. c. xxvi.
(4) L. iii. c. xix.
(5) L. iii. ad Quirinum, c. iv.
(6) L. ii. in Lucam, c. iii.
(7) L. iii. contra Pelag.
(8) Tract. lxxxi. in Joan.
(9) L. de Gratia et lib. arb. c. vii.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

25. *Obj.* 1. Sententia de gratiæ necessitate Augustinum habuit auctorem, cujus ingenio et auctoritate obtinuit in Ecclesia Latina.[1] contra priorum sæculorum fidem. De Massiliensibus idcirco testatur Prosper ad Augustinum scribens: "Obstinationem suam vetustate defendunt: et ea quæ de epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, *a nullo unquam* Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant."[2]

26. *Resp.* Pelagio nova sua placita proponente, ea ubique per Ecclesiam magnum horrorem fecerunt, utpote quæ redemptionis mysterium, et totam divinam œconomiam everterent. Augustinus non primus, nec solus, se illi opposuit, sed Orosius, Hieronymus, aliique, quamvis ipse præ cæteris, non tamen privatas suas sententias, sed "rectam et antiquitus fundatam Catholicam fidem adversus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque" defendens.[3] Diospoli, Milevii, Carthagine concilia habita novitios abjecerunt errores, veterum fidem secuta. Pontifices etiam Romani quam a Petro derivarant traditionem solemnibus definitionibus contra novatores munierunt. Hæc orbis christiani testimonia [illegible] sunt certa et præclara fidei primævæ. Quod si de singulis quæ [illegible] versiam ea occasione venerunt, perspicua adeo non sint priorum temporum scripta, mirum id videri non debet, quum hæreticorum argutiarum occasione explicari magis, et majori in luce poni consueverint fidei dogmata. Hæc veluti nucleo quodam contineri videntur, quamdiu eum [illegible] prodereque hæretici non fuerint conati. Equidem peccatum originis, redemptionis mysterium, et baptismi vis a patribus priorum sæculorum [illegible]antur, qui tamen plerumque occasionem non habuerunt de iis [illegible], quæ necessario veluti nexu ex iis dogmatibus sequebantur. "Quæ igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista [illegible]tur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus coarctentur." Ita Augustinus respondit Massiliensium querelæ.[4]

27. *Obj.* 2. Hermas, antiquissimus scriptor, pœnitentiam tribui pro pu[illegible] prævisa et virtutis studio dicit: "Quorum viderat Dominus [illegible] futuras, et servituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit pœni[illegible]

28. *Resp.* Pœnitentia a Domino quibusdam tributa dicitur, habita ratione

(1) Priestley, History of Christian Church, per xii. Sect. ix.
(2) In ep. ad Aug. n. 3, quæ nunc præmittitur lib. de præd.
(3) L. iv. contra 2 ep. Pelag. ad Bonif c. viii.
(4) Lib. de præd. SS. c. xiv. n. 27.
(5) Pastor. Simil. viii. § vi. n. 4.

prævisæ perseverantiæ, quum aliis denegetur, quos iterum relapsuros prævidit. Id dici posset ut judiciorum divinorum æquitas ostendatur, quin sequatur pœnitentiam tribui ob illam prævisionem. Equidem in divinam gloriam cedit, quod illi perseverent: et justum ostenditur judicium, quo non perseveraturis illud pœnitentiæ donum denegatur. Cæterum dubitari non potest tribui iis aliquando: ideoque similitudo illa non exhibet totam gratiæ œconomiam. Præterea divinum auxilium ut quis se delictorum pœniteat necessarium inde ostenditur.

29. *Obj.* 3. Justinus, Ethnicos homines, rationi obsequentes, christianis accensuit: "Quicumque cum ratione, ac verbo vixere, christiani sunt, quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sint, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes."[1]

30. *Resp.* Justinus eo loci occurrit objectioni ex recenti Christi in terris doctrina desumptæ, quod scilicet qui antea vixerant insontes essent, dixerat enim: "Christum primogenitum Dei esse ac Rationem illam, cujus omne hominum genus particeps sest, didicimus et supra declaravimus." Eos igitur quos nominat, quatenus rationis dictamina servarunt, Verbi divini, summæ rationis, dicit participes, et eo sensu Christianos. Latior hæc vocis hujus acceptatio non potest in argumentum duci, quum ipse alias exprobret Judæis quod sine spe in Deo salutem sibi polliceantur: verbis quippe Psaltis de Christo explicatis, quibus nec fortitudine sua, nec sapientia innixus, Deum ne discedat ab illo orat, subjungit: "quomodo vos et alii qui sine illa spe salutem expectatis, non a vobismetipsis vos decipi cogitatis?"[2] Hæc profectò ostendunt hominem quemquam sua sapientia, vel viribus, salutem non posse consequi.

31. *Obj.* 4. Tota Christi et Apostolorum prædicatio ad homines directa est, ea ratione quæ indicat eos posse pro libertate sua ei assentiri: "Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur."[3] Igitur proposita Dei lege penes nos est ei assentiri et obtemperare,[4] absque ullo interiori subsidio, de quo penitus siletur.

32. *Resp.* Utique pollent homines libero arbitrio, et penes eos est Evangelio assentiri, vel repugnare; eo tamen discrimine, quod assensus salutaris præbeatur, Deo intellectum illustrante, et movente voluntatem, dissensus e contra ab homine sibi relicto proveniat. Equidem quod in loco objecto divini auxilii non fiat mentio, non obstat, quum alias sæpius dicatur fides Dei donum, ex ejus gratia et bonitate profectum.

(1) Apol. i. alias ii. n. 46.

(2) Dial. cum Tryphone, n. 102.

(3) Marc. xvi. 15.

(4) Unitarian Miscellany, vol. i. p. 21. Barnesius ipse inter gratiæ significationes non recenset eam quæ in hac re præcipua est. Vide *Notes on the ep. to Romans, ch. i. v. 7.*

33. *Obj.* 5. Gratiæ vox Χαρις, non denotat interius mentis lumen cum voluntatis motu, sed beneficium quodcumque. Evangelium igitur gratia Dei dicitur, quia speciale est Dei donum in hominum utilitatem. Dicitur gratia Christi, quia ejus opera promulgatum est, cum uberi fructu.[1]

34. *Resp.* *Favor*, *donum*, *beneficium* gratiæ nomine intelligitur, sed in novo Testamento illud præsertim donum, quo anima divinitus illustratur, et ad virtutis opera impellitur, imo Deo fit cara et dilecta. Quæ adduximus testimonia probant Deum intus docere, et voluntatem movere: ipse enim operatur in nobis et velle et perficere. Abundantes gratiæ divitiæ in eo ostenduntur, quod gratia salvemur per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur. Igitur quod de gratiæ significatione objicitur, non obstat, quum favorem et beneficium in novo Testamento denotet, quod ex divina misericordia, Christi causa, nobis conceditur, ut adjuvetur infirmitas nostra.

35. *Obj.* 6. Nullo alio lumine opus est præter lucem veram illuminantem omnem hominem: hæc autem ratio est menti coruscans.

36. *Resp.* S. Joannes nos docet Verbum esse ipsam veram lucem qua omnis illustratur homo, ut Deum eum agnoscamus. Cæterum indigemus ut novis sui fulgoris radiis menti coruscet, ad cælestem scientiam nobis impertiendam: ideo preces enixissimas Apostolus Paulus pro fidelibus fudit, ut majori in dies lumine illustrarentur: "non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali: ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus."[2] Ita ad Colossenses scripsit: ad Ephesios pariter: "ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri."[3] Ad Corinthios: "Deus qui dixit de tenebris lumen splendscere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu."[4]

37. *Obj.* 7. Nisi penes intellectum sit assentiri Evangelio, et penes voluntatem illud exequi, irrisor Deus exhibetur, qui vocat homines ad virtutis semitam, ipse eorum voluntatis tenens habenas, adeo ut nihil, nisi ipso movente, possint.

38. *Resp.* Non irridet Deus homines, sed suam infinitam bonitatem exercet, eos ad fidem et salutem præconum opera vocando, eosque intus trahendo ut possint venire, quin cogat voluntatem. Earum igitur servatur libertas, qua si bene utantur, gratiæ motibus obtemperando, poterunt ardua quæque virtutis opera aggredi, et perficere. Quod autem nihil valeant

(1) Unitarian Miscellany, vol. iii. p. 126.
(2) Coloss. i. 9.
(3) Eph. i. 17.
(4) II. Cor. iv. 6.

agere quod ad salutem ducat, nisi a Deo moveantur, provenit ex ipsa finis supernaturalis sublimitate, ut nihil dicamus de infirmitate hominis a primæva conditione lapsi.

39. *Obj.* 8. Deus utpote sapiens et perfectus simpliciores vias eligere censendus est: attamen si naturæ viribus adjicenda sunt gratiæ auxilia, antequam homo finem suum consequi valeat, videbitur Deus frustratus proposito remedia novaque subsidia quærere et adhibere.

40. *Resp.* Non nostrum est Deo rationem agendi præscribere. Quod hominem evexerit ad finem supra naturæ conditionem, bonitatem ejus magis magisque commendat: indeque factum ut subsidiis ad tantum finem consequendum homo adjuvaretur. Non Deum fefellit spes; sed libertatis abusus, quem prævidit, occasionem præbuit novis augendi subsidiis hominis infirmitatem.

41. *Obj.* 9. Propositis veritatis revelatæ argumentis, intellectus pro pondere rationum inclinatur, nec enim libera est facultas: ergo fides ex dono vel lumine supernaturali non pendet. Id apud Catholicos in confesso esse debet, qui gratiæ lumine vix dicent illustratos eos quos hæreticos vocant, quorum tamen plurimi præcipua dogmata magno cum studio, et magno etiam pietatis affectu, propugnant. Ipsi Catholici quam plurimi vitiis dediti, et tamen magno studio fidei adhærentes, vix possunt censeri divina gratia moti, quum corda eorum non convertantur ad Deum.

42. *Resp.* Potest quidem intellectus humanus de argumentorum, quæ pro revelatione afferuntur, pondere, sicut et de cæteris quibuscumque ferre judicium: sed ille mentis assensus quo quidquid Deus revelavit, ob summam ejus auctoritatem complectimur, omni dubitatione semota, divino lumine indiget. Hinc fit ut plerumque hæreant plurimi argumenta humana lance pensantes, quod in sectarum asseclis videre est. Quod si nonnullis contingat quædam dogmata, aliis posthabitis, cum pio quodam affectu complecti et propugnare, humanus quo laborant alioquin error poterit nonnumquam *invincibilis* esse, ideoque cum fide divina existere. Quandocumque autem adest animi pertinacia, studium quod præseferunt quorumdam dogmatum humanum est, ex educatione, utilitate, sectæve receptis principiis ortum. Quod pertinet ad Catholicos improbos, poterit fieri ut aliqui ex illis studio magis partium, quam divinæ gratiæ motu fidem propugnent: aliis gratiæ impulsu credentibus, quamvis alioquin repugnent gratiæ eos ad meliorem vitam pariter moventi.

43. *Obj.* 10. Unusquisque sentit et novit se posse, si velit, virtutis opera perficere: plurimique reapse perficiunt qui supernaturalia gratiæ auxilia prorsus denegant, Unitarii, Rationalistæ, Philosophi; Ethnici ipsi, testante Apostolo "naturaliter ea quæ legis sunt faciunt."[1]

44. *Resp.* Potest quidem quisque plura elicere opera, quæ *moraliter* ut

(1) Rom. ii. 14.

aiunt, bona sunt, saltem in se, scilicet quæ rationis dictaminibus conveniunt: nemo autem, nisi divinitus adjutus, ea perficit quæ supernaturaliter bona sunt, quæque ad salutem conferunt. De iis dicit Apostolus: "Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate." De Ethnicis autem dicit eos naturæ ductu plura facere quæ regulis morum sunt consona, ideoque legis dictamina corda insculpta ostendere: quos tamen non dicit virtutes supernaturales exercere.

45. *Obj.* 11. Quæ de operationibus *supernaturalibus* et *immediatis* Dei in animam dicuntur, illusionibus phantasiæ viam pandunt, mysticorum somniis favent, et virtutum tollunt incitamenta, vires humanas ad bene agendum denegando.

46. *Resp.* Quæ de Deo cordi coruscante, et voluntatem movente dicimus, ex testimoniis perspicuis Scripturæ, et traditione certissima Ecclesiæ didicimus. Nullus est phantasiæ illusionibus locus, nullus somniis; sed certissima sunt principia quæ divinam commendant munificentiam, dum humanam enuntiant infirmitatem. Non tolluntur virtutum incitamenta, nam divinum auxilium proponitur, quo eas exercere valeamus.

47. *Obj.* 12. Liberum arbitrium nullum est, si nihil valeat homo aggredi absque gratia.

48. *Resp.* Fatemur, cum Augustino, homines lapsos liberum arbitrium ad diligendum Deum non habere, illud enim Ada peccante amissum est. Cæterum libertate pollemus, quatenus nulla absoluta necessitate ad peccatum trahimur; et gratiæ assentiendi vel repugnandi habemus potestatem.

ANIMADVERSIONES.

49. Illa gratiæ quam propugnavimus necessitas spectat, ut diximus, actus qui ad animæ salutem diriguntur et tendunt: quod enim pertinet ad actus *moralem* tantummodo honestatem præseferentes, haud negamus eos fieri posse absque supernaturali auxilio: non enim humanæ vires adeo fractæ sunt originis peccato ut rationis dictaminibus numquam valeat obtemperare homo, licet sibi relictus. *Totalis pravitatis* placitum, adeo apud sectarios celebre, Jansenianorum suffragiis munitum, longe distat ab Ecclesiæ doctrina: "quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere."[1] Ita Augustinus, Apostoli de Gentibus quæ legis sunt naturaliter facientibus verba laudans. Hæc quidem defectu finis, *ex parte operantis* numquam bona esse nequidem *moraliter*, docent Augustiniani enses. Fatendum homines gratiæ subsidiis carentes facile labi, et fine vitioso, vel adjunctis, ipsos qui boni videntur actus, fœdare, adeo ut de iis dixerit

(1) Aug. l. de Sp. et lit. c. xxviii. n. 48.

Apostolus: "Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia."[1] Hoc tamen universim dictum intelligendum est, quod nihil est quo infideles, perversique homines, facile abuti non valeant.[2] Hinc dicit Bertius, Augustinianensium de relatione actionum ad Deum placita vindicans: "Nisi adsit caritas, per quam referatur in Deum, IN PRAXI operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus; et ideo opus erit pravum atque perversum."[3] Caritatem autem latiori sensu pro pio quolibet in Deum affectu accipit. Norisius aliique ex eadem familia censent hominem non posse moraliter bene operari, absque aliquo Dei auxilio supernaturali.[4]

50. Gratia *elevationis* aliquando designatur divinum illud auxilium quo indigemus, ut actus ad salutem dirigatur, et ita ad ordinem supernaturalem evehatur. *Medicinalis* autem vocatur gratia, quatenus vulneri, quod peccato primi hominis genus accepit humanum, medetur, infirmas reparando vires.

51. Ad legem naturalem servandam *physicam* habemus potentiam, nec enim ullum datur præceptum a Deo, naturæ auctore, quod vires omnino superet. Cæterum *moralis* potentia deesse videtur, quoties gravis admodum urget tentatio, nam ex naturæ lapsæ conditione fit ut facile labamur. Ideo Apostolus libidinis vires in homines gratia haud renatos describit: "Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris ut fructificarent morti."[5] Nec ideo necessitati subjacemus, quum auxilium petenti non denegetur, et ut petamus moveamur. "In hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adjutorem: si enim nos ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus."[6]—"Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito."[7] Ita Augustinus: quod Innocentii I. auctoritate comprobatur, scripsit enim ad episcopos concilii Carthaginensis: "Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxi-

(1) Tit. i. 15.

(2) Vide sup. p. 61.

(3) De Theologicis disciplinis, vol. ii. l. 21, c. 2, et Aug. Syst. Vindic. Diss. i. c. ii. §. 6.

(4) Apud Berti præf. diss. iii. Vindic.

(5) Rom. vii. 5.

(6) Aug. Serm. clvi. alias xiii. de verbis Apostoli.

(7) L. de perf. just. c. ult.

lium . . . necesse est enim, ut quo auxiliante vincamus, eo non adjuvante vincamur."[1]

52. Nemo igitur de tentationibus omnibus, præsertim vehementioribus, victoriam sibi polliceri poterit, nisi divino auxilio innixus, quod fide instructus humiliter debet implorare: "In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere."[2]—"Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra."[3]

53. *Sterilis* aliquando de tentationibus reportatur victoria, quando scilicet quis humanis ductus rationibus peccandi occasionem devitat, quin de Deo cogitet animæque salute. Sic plures ebrietatem, libidinem, aliaque evitant peccata, honoris, utilitatis, vel valetudinis soliciti. Hujusmodi victoriam absque divino auxilio supernaturali referri posse qui existimant summa injuria a Bajo traducti sunt, veluti Pelagiana labe infecti.[4]

54. Eadem temeritate atra nota ab eodem inusta est Theologis duplicem distinguentibus amorem, naturalem scilicet quo Deus diligitur ut auctor naturæ, et gratuitum quo Deus amatur ut beatificator. Equidem auctores insignes hanc propugnant distinctionem, quæ idcirco vana ac commentitia, prout eam designat Bajus,[5] haud facile censenda est. Cæterum negant Augustinianenses hominem lapsum Deum etiam ut auctorem naturæ super omnia diligere posse sine gratia supernaturali.[6]

(1) Ep. ad Conc. Carth.
(2) Eph. vi. 16.
(3) I. Joan. v. 4.
(4) Prop. xxx.
(5) Prop. xxxiv.
(6) Syst. Aug. Vind. a Berti Diss. iii. c. i.

CAPUT II. DE GRATUITA GRATIÆ NATURA.

Semipelagianorum errores.

55. Julianus Pelagianum errorem ut tutius defenderet mitigasse noscitur, quod et aliis illius sectæ contigit, gratiam nomine tenus agnoscentibus, qui tamen eam dari pro arbitrii usu contendebant. *Massilienses*, qui nomen ab urbe Massilia,[1] in Galliis, prope quam degebant, sortiti sunt, Augustinum modum excessisse, in Pelagiano refellendo errore, querebantur; quum ipsi potius humani aliquid passi sint in gratiæ arcano rimando, docti alioquin sanctique viri. Fatebantur gratiæ auxilio opus esse ut quis salutis opera perficeret: fidem verò ex voluntatis arbitrio pendere putabant, saltem quod primum desiderium salutis, et fidei initium homo suis viribus habere posset.[2] Augustinianenses quidam putant eos tandem agnovisse *gratiam illustrationis* necessariam esse, etiam ad fidei initium: non item voluntatis gratiam, quam vocant *inspirationem dilectionis*.[3] Alii cum Thomistis nonnullis ultra progrediuntur, dicentes gratiam *versatilem*, quam scilicet voluntas pro nutu recipiat vel rejiciat, ab iis admissam; prout jam docent Molinistæ, quos proinde insimulabant olim Semipelagianismi: sed obstat damnata quarta Jansenii propositio, et Pontificum auctoritas vetans ne censura inuratur Catholicæ scholæ sententiæ.[4] Quosdam divina misericordia fidei dono ditatos, nullis eorum præcedentibus meritis, Massilienses non diffitebantur; sed alios pro liberii arbitrii conatibus tanto dono muneratos, ex æquitate quadam et convenientia, censebant. Quum hac ratione totum salutis fundamentum in conatu naturali voluntatis poneretur, error Pelagiano affinis *Semipelagianorum* nomen patronis suis obtinuit. Iis sese opposuerunt Prosper Aquitanus, et Hilarius Arelatensis, e laicis quidem, sed pietate, et fidei studio illustres. Scripsit etiam Augustinus ut errorem prorsus eradicaret. Per sæculum fere agitatæ sunt controversiæ, donec synodus Arausicana II.,[5] anno 531, suum protulerit judicium, quod Bonifacio II. probatum, in doctrinæ et fidei normam assumptum est.

56. Inter plura quæ sanxit capitula, hæc habet: "Si quis ad invocatio-

(1) *Marseilles.*

(2) Aug. lib. de præd. ss. § 12.

(3) Vide Berti Aug. Syst. Vindic. p. ii. diss. iv. c. i. Negat Petavius ad fidem pertinere gratiam quæ in permotione voluntatis sita est, esse absolute necessariam; sed a luce seu illuminatione mentis redundare aliquid in voluntatem omnes censent. De Pelag et Semipel. hær. c. iv. n. 4. et c. v. n. 16.

(4) Vide Gazzanigam de Gratia, p. i. diss. i. c. xi. n. 103 et 128.

(5) Oranges in Galliis.

nem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: 'Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui his qui me interrogabant.'—'Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: 'Præparatur voluntas a Domino:' et Apostolo salubriter prædicanti: 'Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.'"[1]

57. "Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: 'Confidimus, quia cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.' Et illud: 'Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini:' et, 'Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.'"[2]

58. Quamvis plerique decimi sexti sæculi Novatores gratiæ vim maxime prædicarent, conculcata libertate humana, fuerunt tamen qui et vires humanas nimis efferrent, quod Melanchtoni contigisse dicit Walchius, Callisto et Lutheranis plurimis Bossuetius.[3] Duriora Calvini placita, sæculo sequenti, Arminio, professori in Academia Lugduni Batavorum,[4] haud arriserunt, qui, magistro sectæ derelicto, nova excogitavit, dogmatibus Catholicis affinia, quamvis deinceps Semipelagiana vel Pelagiana etiam labe infecta sint, agente præsertim Simone Episcopio. Gomari, professoris in eadem Academia, opera, Calvini decreta in Synodo Dordracena[5] anno 1618 obtinuerunt, *Arminianorum*, qui et *Remonstrantes* dicti sunt, sententiis rejectis. Secta Calviniana inde in duas scissa, fere semper iis controversiis exagitari consuevit; quæ nuperrime *Veteris* et *Novæ Scholæ* dissidium pepererunt.

59. Fidei Catholicæ est doctrina, ab Arausicana Synodo definita, et a Tridentina iterum declarata, sine *præveniente* Spiritus Sancti inspiratione fidem haberi non posse, ideoque ipsum fidei initium, omnemque salutarem cogitationem ad Deum esse referendam. *Prævenians* autem dicitur inspiratio, quia antecedit omnem naturalem conatum, et meritum: *excitans* etiam di-

(1) Cap. iii. iv. col. 1098, tom. ii. edit. Hard.

(2) Cap. v.

(3) Avertissement ii. aux Protestans. Vide etiam Walchium Introduct. ad lib. Symbol. Luther. l. i. c. vii. § xxvii.

(4) Leyden.

(5) Dort.

citur, quum hominem veluti e somno excitet: *operans* insuper, quia Deus efficit in nobis primum in salutem motum: "Nolentem prævenit ut velit."[1]

PROPOSITIO.

Ad initium fidei, et ad quamcunque salutarem cogitationem, illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti est necessaria.

Probatur I. ex Scripturis.

60. Apostoli testimonium ad Corinthios, quod jam adduximus, rem conficit: quum enim idoneos ministros novi Testamenti se suosque collegas dixisset, subjunxit: "non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est."[2] Id de fidelibus omnibus verum sit necesse est, nec enim Apostoli illis minus erant capaces sanctarum cogitationum. Ergo ipsa prima salutis cogitatio a Deo provenit.

61. "Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu."[3] Ergo boni operis initium a Deo repetendum est, primum scilicet salutis desiderium, primus ad salutem conatus.

62. "Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?"[4] Discrimen igitur fidelem inter et incredulum a Deo fit, dono fidei concesso: si autem homo, mero suo arbitrio, credere inciperet, vel pararet se conatu aliquo naturali ad fidem et justitiam, ipse se discerneret, et illum haberet motum a Deo non derivatum, nisi tamquam naturæ auctore: agit autem manifestò Apostolus de supernaturalibus dotibus.

Probatur II. ex Patribus.

65. S. Chrysostomus: "Nihil ex te habes, *inquit*, sed a Deo accepisti . . . . . ergo cum acceperis, habes: non hoc, vel illud, sed omnia quæ habes: non enim hæc tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit; si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinæ verbum, si virtutes, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quæso te, quod non acceperis, et ex te ipso recte acquisieris? Nihil dicere possis."[5]—"Quid, ut oportet, oremus, nescimus . . . . etenim ad eam rem Dei ope egemus; usque adeo homo infirmus est, et ex se nihil."[6]

63. S. Ambrosius: "Vides itaque quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custo-

(1) Aug. Enchir. c. xxxii.
(2) II. Cor. iii. 5.
(3) Philip. i. 6.
(4) I. Cor iv. 7.
(5) Hom. xxii. in ep. ad Cor.
(6) Hom. xiv. in ep. ad Rom.

dire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Et ideo juxta Apostolum, 'Sive manducatis, sive bibitis, omnia in Dei gloriam facite.'"[1]

64. S. Augustinus in Apostoli verba dicit. "Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum. . . . Quod ergo pertinet ad religionem et pietatem, de qua loquebatur Apostolus, *si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis:* profecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est."[2]

66. S. Fulgentius, exponens Apostoli textum: "Justus ex fide vivit," dicit: "Vita nostra a fide sumit initium. Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum Sanctum unicuique dari, Beatus Paulus ostendit." . . . . "In hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus Sanctus effundat et nutriat."[3]

67. Accedit ratio Theologica, quum enim fides donum Dei prædicetur, et gratia Dei in omni bono opere agnoscenda sit, ad humana desideria et conatus naturales fidei vel boni operis initium referri non potest: secus hominis, non Dei, foret illud unde gratia et salus omnis penderet.[4]

OBJECTIONES DILUUNTUR.

68. *Obj.* 1. "Hominis est animam præparare."[5]—"Cor hominis disponit viam suam."[6]

69. *Resp.* Præparatio et dispositio, de qua in objectis locis est quæstio, longe diversa est ab illa, qua quis suis viribus se gratiæ facere idoneum videretur. "Hominis est animam præparare: et Domini gubernare linguam." Insinuat sacer scriptor adeo facile labi quemque sermone, ut Domini speciali custodia indigeat, licet antea secum cogitaverit quid dicere oporteat. Alio loco additur: "sed Domini est dirigere gressus ejus;" ut intelligatur cœpta nostra divino egere favore, nec ex nostris omnino pendere consiliis. De operibus quæ ad salutem referuntur non constat agi. Cæterum et in his, humanis conatibus et præparatione opus est, quamvis cogitatio salutaris, a Spiritu Sancto derivata, omnem nostrum conatum antecedat, et ejus sit causa.

(1) Lib. ii. in Luc. iii. 22.

(2) L. de præd. Sanct. c. ii.

(3) L. de incarnatione et gratia Christi.

(4) Priestleius fatetur ex iis principiis quæ Semipelagiani admittebant, doctrinam quam propugnabat Augustinus sequi, adeo ut ipsi sibi non constarent. Cæterum doctrinam Catholicam non feliciter exponit Priestleius. Hist. per. xii. sect. ix.

(5) Prov. xvi. 1.

(6) Ibidem, 9.

70. *Obj.* 2. Orationi promittitur auxilium divinum: "Petite et dabitur vobis."[1]

71. *Resp.* Utique oranti plurima conferuntur et validiora auxilia, sed ipsa orandi voluntas a Spiritu Sancto provenit. "Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus ineffabilibus."[2]

72. *Obj.* 3. Apostolus se velle saltem suis viribus posse dicit, quamvis salutari operi perficiendo par non esset: "Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio."[3]

73. *Resp.* Describit illic Apostolus pugnam carnem inter et spiritum, quæ adeo erat vehemens, ut bona quæ concepit desideria tentationi adversa perficere vix posset. Cæterum non dicit ea ex se profecta, quamvis facile ea conciperet, Spiritu Sancto inspirante, sine quo se haud idoneum cogitationi sanctæ habendæ agnoscebat.

74. *Obj.* 4. "Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos."[4] Igitur conatus humanus exigitur ut Deus det veniam.

75. *Resp.* Utique conversio hominis ad Deum exigitur ad veniam consequendam: sed gratiæ inspiratione cor convertitur, non suis viribus: ideo precantur Dei cultores: "Converte nos, Domine, ad te, et convertemur."[5]

76. *Obj.* 5. Talenta a Domino unicuique dicuntur distributa, "secundum propriam virtutem."[6]

77. *Resp.* Ex parabolarum minutioribus adjunctis non licet argumentum deducere, quum ad ornatum potius quam ad scopum pertineant. Cæterum sapientissima œconomia gratiæ dona largitur Deus, unicuique prout idoneus est iis utiliter impendendis, non suis viribus, sed ipsa gratiæ largitate: "Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi."[7]

78. *Obj.* 6. Zachæus in præmium solicitudinis Christum videndi salutis gratia donatus est: latronis studium pro Christi honore pollicitationem paradisi meritum est: centurionis Cornelii eleemosynæ fidei dono remuneratæ sunt.

79. *Resp.* Ex liberalitate et misericordia divina illa omnia beneficia profluxerunt. Ipsa Christum videndi solicitudo in corde Zachæi excitata est gratia illius qui eum deinceps salutis participem declaravit. Nonnisi Christo intus movente, latro suppliciorum socium impietatis arguisse cen-

(1) Luc. xi. 9.
(2) Rom. viii. 26.
(3) Rom. vii. 18.
(4) Zach. i. 3.
(5) Jerem. in fine Orat.
(6) Matt. xxv. 15.
(7) Eph. iv. 7.

sendus est. Cornelius vir erat "justus et timens Deum,"[1] antequam ad Christi notitiam, Petro docente, pervenerit: proinde ex fide vivebat, pleniori illa notitia deinceps beandus. Quum nihil de his dicatur, quo gratiæ auxilia excludantur, ea necessario agnoscenda sunt, utpote quæ alias manifesto prædicantur. Sic de Lydia dicitur: "cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo."[2] Merito igitur Arausicana Synodus II., posito principio a Deo esse omnis boni operis initium, adjunxit: "Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit; et Cornelii Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ gratiæ largitate donata."[3]

80. *Obj.* 7. S. Irenæus dicit: "Prophetæ hortabantur homines agere justitiam, bonumque operari, quia in nobis sit hoc."[4]

81. *Resp.* Simonianos aliosque libertatis hostes refellens, docet Irenæus penes nos esse virtutem exercere, sed gratiæ auxilium præsto esse intelligit: ait enim alias: "Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia."[5]

82. *Obj.* 8. S. Chrysostomus: "Oportet nos primum bona eligere, et tunc affert quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem . . . nam nostrum quidem est præeligere et velle, Dei autem est perficere, et ad finem perducere."[6]

83. *Resp.* Concionibus suis studuit Chrysostomus hominum excitare socordiam, ideoque conatus humanos ad validiora gratiæ auxilia necessarios esse verissime docuit. Non tamen illos absque gratiæ motu fieri posse censuit, nam, ipso docente, "gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicat."[7]

ANIMADVERSIONES.

84. Non tantum fide constat supernaturali gratiæ auxilio opus esse, ut quis ipsum salutis desiderium, et fidei initium habeat, sed illud auxilium nullis naturalibus meritis dari: in eo quippe errabant Pelagiani, quod

(1) Act. x. 22.
(2) Act. xvi. 14.
(3) C. xxv. col. 1102, t. ii. conc. Hard.
(4) L. iv. adv. hær. c. lxxii. alias xxxvii.
(5) L. iii. c. xvii. alias xix.
(6) Hom xii. in ep. ad. Heb.
(7) Hom. xiii. in Joan.

etiam postquam divini subsidii necessitatem aliquatenus admiserant, illud liberi arbitrii conatibus tribui et deberi contenderint. Cælestius dicebat: "Dei gratia secundum merita nostra datur. Quia si peccatoribus Deus illam det, videtur esse iniquus." . . . "Propterea et ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus."[1] Semipelagiani fatebantur gratiam aliquando prævenire omne hominum meritum, aliquando vero illud subsequi existimabant,[2] licet "petitionem, et inquisitionem, et pulsationem non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit,"[3] haud denegarent. Hos conatus naturales, ex æquitate quadam, obtinere necessaria gratiæ subsidia falsò putabant.

85. Synodus Diospolitana Pelagium coegit confiteri "gratiam Dei . . . non dari secundum merita nostra."[4] Synodus Arausicana II., ad penitus evellendum errorem, hunc tulit canonem: "Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur; et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti: 'Quid habes quod non accepisti?' et: 'Gratia Dei sum id quod sum.'"[5] Sub finem addidit: "Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus."[6]

86. Quæ ex Apostolo laudavimus testimonia probant gratiam non esse ex operibus, sed gratuitò prorsus dari, ex sola Dei misericordia: "Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei."[7] "Si propterea gratia est," inquit Augustinus, "quia gratis est: nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis; pretium autem quod nobis debetur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est."[8] Igitur nullum prorsus meritum, ne quidem *de congruo*, ut aiunt, scilicet ex quadam con-

(1) Vide apud Aug. l. de gestis Pelag. c. xiv.
(2) Arausic. ii. c. viii.
(3) Cassianus l. xii. de Instit. cœnobior. c. xiv.
(4) C. xiv. col. 1211, t. i. Hard.
(5) Cap. vi. col. 1099. t. ii. Hard.
(6) C. xxv.
(7) Rom. ix. 16.
(8) Enarr. ii. in Ps. lxx.

venientia, agnoscendum est. Cæterum qui etiam ductu naturæ peccare vitat, obicem gratiæ haud ponendo, eam impetrabit, vi voluntatis Dei benignæ et misericordiæ, quæ necessaria ad salutem subsidia haud denegat iis qui obicem non ponunt. "Hoc," inquit Angelicus doctor, "ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter (*in sylvis*) nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium."[1] Hinc verissimum putamus illud Scholæ axioma: "Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam."

87. Gratiæ concessio nequidem ad prævisum voluntatis consensum referenda est, eo sensu ut Deus ideo auxilium supernaturale largiri censeatur, quod voluntatem consensuram præviderit, nam voluntatis consensus tunc ejus causa foret, et tolleretur gratuita ejus natura. Qui *Molinæ* sectantur in scholis placita, dicunt quidem Deum in suis largiendis donis præscientia, veluti lumine quodam, dirigi: *Congruistæ* autem peculiarem Dei erga electos dilectionem in eo reponunt quod gratiam tribuat iis congruam, in iis rerum adjunctis in quibus consensum præstandum certo prævideat: neutri tamen præscientiam illam statuunt veluti *causam* cur Deus eam largiatur;[2] sed ex ejus infinita bonitate, pro supremo suo arbitrio, eam derivari agnoscunt. De vocatione ad fidem et gratiæ dono explicare consueverunt quæ Paulus in epistola ad Romanos disserit, ut promissiones Abrahæ factas in gentium conversione impletas ostendat, filios scilicet promissionis, non posteros, designari. Id probat Apostolus filiorum Isaac exemplo, alium alteri prælatum, ipsa Dei, antequam nascerentur, electione: "Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret,) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei."[3] Ideo gratias Deo laudesque persolvit Apostolus: "Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum

(1) Qu. xiv. de Verit. art. xi. ad i.
(2) Vide Sardagnam Tract. V. de Gratia Art. i. Contr. iii. n. clxvii.
(3) Rom. ix. 11.

per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit, nos in dilecto filio suo."[1]

88. In celebri opere Augustini *de prædestinatione sanctorum*, quod contra Semipelagianos, fidem veluti ad se referentes, eam penitus a divina gratia trahere originem probat, ideoque *prædestinationem*[2] statuit, decretum scilicet Dei, quo, ante omnem humanæ voluntatis naturalem conatum, gratia ad fidem movens ex divina largitate donatur. " Cur autem non omnibus detur," animadvertit, " fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem, sine dubitatione justissimam : ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, et quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscunt : ut qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria esse videt damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. Melius enim et hic audimus aut dicimus, ' O homo, tu quis es qui respondeas Deo ?' quam dicere audemus, quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit."[3]

(1) Eph. i. 3.

(2) Vox hæc ex recentiorum hæreticorum usu male sonat, sed admodum Catholica est, et a veteribus sensu innoxio et verissimo usurpari consuevit.

(3) L. de præd. Sanct. c. viii. n. 16.

CAPUT III. DE GRATIÆ EFFICACIA.

ERRORUM RECENSIO.

89. Illud ex Scripturæ et traditionis Ecclesiæ auctoritate exploratissimum ostendimus, supernaturale gratiæ auxilium, nullo merito humano innixum, omnino requiri ad omnem actum salutarem, et ipsum fidei initium. Jam vero inquirendum quomodo gratia in humanam agat voluntatem, utrum scilicet vi invicta, et necessaria, omni resistendi potestate sublata, vel salvo voluntatis libero arbitrio. Lutherus docuit voluntatis nullas esse partes in salutis negotio, eam scilicet agi necessariò a Deo: "error est," inquit "quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere."[1]—"Sequitur nos necessario operari . . necessario verò dico, non coactè, necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; sed sponte et lubenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quod voluntas sese mutare, et alio vertere non possit. Rursus ex altera parte si Deus in nobis operatur, mutata et blande assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia et pronitate, ac sponte sua vult et facit, non coacte, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur voluntas non esset."[2] Calvinus idem docuit: "voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est, et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo."[3] Neuter tamen renuit fateri voluntatem cum libentia quadam ferri, et a coactione esse liberam. "Mera lubentia, pronitate ac sponte sua vult et facit."[4] Ita Lutherus: Calvinus autem: "Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor, et constanter assero."[5]

90. Michael Bajus, Lovaniensis doctor, qui concilio Tridentino jussu Regis Catholici interfuerat, opiniones quasdam Calvinianis placitis affines propugnavit, quæ sex supra sexaginta numero, anno 1567, a Pio V. damnatæ sunt. Subjecit se decreto pontificio, et in communione Ecclesiæ anno 1589 est mortuus.

91. Jansenius, in eadem Academia Lovaniensi professor, et deinceps episcopus Iprensis, opus elaboravit, quod hoc titulo prodiit: "Augustinus, seu Doctrina S. Augustini de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medi-

(1) Luth. in Ps. v.
(2) L. de servo arbitrio.
(3) Instit. l. ii. c. iii. § 10.
(4) Luth. de servo arb. fol. 434.
5) Calv. l. ii. contra Pighium.

cina, adversus Pelagianos et Massilienses." Sub mortem se illud subjicere Sedis Romanæ judicio testatus est. Illo e vivis erepto, editum est in lucem Lovanii anno 1640. Ad Pontificem delatum, constitutione *In eminenti*, 6 Martii 1642, ab Urbano VIII. damnatum est. Restitit Academia Lovaniensis, sed anno 1651 tandem acquievit decreto. Turbis in Galliis deinceps excitatis, speciale judicium de propositionibus ex libro desumptis imploratum est, et quinque propositiones Bulla Apostolica *Cum occasione* ab Innocentio X., die 31 Maji anno 1653, confixæ sunt. Eas juvat recensere.

92. I. "Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant." Damnata est "ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et hæretica."

93. II. "Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur."

94. III. "Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione." Secunda et tertia damnatæ sunt ut hæreticæ.

95. IV. "Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare." Damnata est ut falsa et hæretica.

96. V. "Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse." Damnata est ut falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; ut impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica."

97. Damnatas propositiones libro Jansenii haud contineri contendebant ejus fautores, et, in Galliis præsertim, exarserunt vehementes inde discordiæ; sed perstiterunt Pontifices, et exegerunt ut omnes viri Ecclesiastici, Jansenismi suspecti, juramento declararent se ex animo rejicere illas propositiones sensu ab auctore intento: quod tandem aliquando feliciter contigit.

98. Paschasius Quesnellius, Parisiensis Oratorii presbyter, congregationem illam deseruit, detrectans Formulario doctrinæ, quo damnabantur errores Janseniani, subscribere. Edidit in lucem opus nuncupatum: "Réflexions morales sur le nouveau Testament;" pietatis velamine damnatas celans sententias: quod idcirco a Clemente XI., Bulla *Universi*, 18 Julii 1708 proscriptum est. Iterum anno 1713, 8 Sept. idem Pontifex solemniore forma sententias quæ eo continebantur, unam supra centum, damnavit constitutione quæ incipit *Unigenitus*. Turbæ inde secutæ sunt, sed constitutio in comitiis Gallicanis, et a Sorbonæ Academia, urgente rege Ludovico XIV. acceptata est. Post ejus mortem Sorbonæ Facultas, 5 Decembris 1715, revocavit Bullæ acceptationem. Quatuor episcopi anno 1717 appellationem a Bulla ad futurum concilium interposuerunt, quos plurimi præsules et cœtus imitati sunt, ipso Archiepiscopo Parisiensi, Cardinali

Noallio, inter *Appellantes* tandem recensito. Post multas turbas *Constitutio* obtinuit, plerisque ad obedientiam Sanctæ Sedi debitam redeuntibus; jamque agnoscitur in universa Ecclesia.

99. Calviniana placita adhuc apud Presbyterianos et Baptistas obtinent, quamvis aliquibus verborum involucris obtecta, ut libertati voluntatis humanæ aliquatenus consuli videatur.[1] Re autem vera videtur tantum agnosci libertas a naturali necessitate, ea scilicet cui subjacent bruta animantia naturæ instinctu acta. Episcopalianorum articuli facilius ad sanum revocantur sensum.[2] *Amici*, seu *Quakeri*, qui totam gratiæ notionem in illuminatione mentis, revelatione scilicet interna Spiritus, reponunt, tanto fulgore veritatis cœlestis mentem rite dispositam illustrari dicunt, ut ea evidentia percipiatur, qua prima ipsa rationis principia, et ei idcirco resisti non posse:[3] quamvis fateantur eos qui illa animi dispositione carent, ei cum sui damno repugnare.

THEOLOGORUM SENTENTIÆ.

100. Theologi Catholici in diversas abeunt sententias, licet in dogmate sint concordes. Juxta *Thomistas* "nomine gratiæ efficacis intelligitur illud auxilium, quo Deus non solum veras tribuit animæ vires bene operandi, sed etiam voluntatem determinat, ut actu bonum velit, et operetur." Ita Gazzaniga.[4] Præmotionem physicam, "hoc est non metaphoricam, neque moralem, seu objectivam, sed veram et propriam," statuunt; cujus loco *Augustinianenses* "adhibent cum Jansenio nomen *delectationis cælestis;* infinitis tamen parasangis utrique a damnata ab Ecclesia ejusdem hæresi distant in eo, quod quacumque absoluta necessitate procul ablegata, sub gratia relative superiori, ac victrice, sartam tectamque servari arbitrii libertatem, adeoque et dissentiendi potentiam, confitentur."[5] *Molina*, e S. J. in Lusitania, anno 1588, intrinsecam efficaciam gratiæ impugnavit, docens

(1) "All those whom God hath predestinated unto life, *and those only*, he is pleased, in his appointed and accepted time, *effectually to call* by his word and Spirit, out of that state of sin and death, in which they are by nature, to grace and salvation by Jesus Christ; enlightening their minds spiritually and savingly, to understand the things of God, taking away their hearts of stone, and giving unto them a heart of flesh, renewing their wills, *and by his almighty power determining them to that which is good;* and effectually drawing them to Jesus Christ; yet so as they come most freely, being made willing by his grace." Man "is altogether passive therein, until being quickened and renewed by the Holy Spirit, he is thereby enabled to answer this call, and to embrace the grace offered and conveyed in it." Presbyterian Confession of Faith, c. x.

(2) Art. x. De Art. xvii. alias dicemus.

(3) "This divine revelation and inward illumination is that which is evident and clear of itself, forcing by its own evidence and clearness, the well disposed understanding to assent, irresistibly moving the same thereunto." Prop. ii. apud Barclay.

(4) De Gratia p. I. diss. v. c. i. De Schol. Opin n. 161.

(5) Ib. n. 108.

"a nostra libertate pendere, ut auxilia prævenientis et adjuvantis gratiæ efficacia, aut inefficacia ad conversionem seu justificationem."[1] Qui ejus sequuntur sententiam, nomen etiam sortiti sunt. Suarez *Congruistarum* scholam duxit, juxta eum enim "vocatio efficax illa est, quæ . . . . . includit quandam congruitatem respectu personæ, cui datur, ut sit illa ita proportionata, et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, tali tempore, et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio, quod congrua et efficax sit."[2] Hinc inducunt scientiam *mediam*, seu *conditionatorum*, qua prælucente Deus gratias tribuit, prænoscens effectum secuturum ex libero voluntatis consensu, in iis rerum adjunctis. Vehementibus inter Dominicanos præsertim et Jesuitas ortis dissidiis, Clemens VIII. an. 1596 causæ examen Censoribus a se constitutis commisit, sed an. 1605 obiit, lite adhuc pendente. Leone XI. immatura morte abrepto, vigesimo sexto Pontificatus die, Paulus V. ad cathedram Petri evectus, congregationes, cœtus scilicet in quibus coram se disputabatur, habuit; sed nullum tulit supremum judicium. Vetitum est utriusque sententiæ defensoribus, ne censura ulla adversarios perstringerent. Innocentius XII. anno 1694 ad Lovanienses rescripsit: "Ut S. Cælestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit, profundiores, difficilioresque partes in materia divinæ gratiæ quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: nec arbitramur opportunum, ut in præsens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ a Prædecessoribus nostris Clemente VIII., et Paulo V. instituta fuit: cum ad confitendam Dei gratiam, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credamus, quidquid Apostolicæ sedis scripta docuerunt." Sapientissimo huic decreto inhærentes a scholastica concertatione abstinendum duximus.

101. Concilium Tridentinum, ut Lutheri Calvinique errores evelleret, hunc edidit canonem: "Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil co-operari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit."[3] Jansenius nihilominus Semipelagianam hæresim in eo posuit ut gratiæ resisti posset, merito idcirco damnatus: "Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare."[4] Dixit quippe Jansenius delectationem cælestem vel terrenam esse "vinculum quo liberum arbitrium in justitia vel

(1) In sua *Concordia* Disp. 40. in qu. 14. art. 13.
(2) L. v. de auxiliis c. 25. n. 4.
(3) Sess. vi. Can. 4.
(4) 4a inter damnatas propositiones ex libro Jansenii.

peccato ita firmiter retinetur et ligatur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur et constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem."[1] Augustinianenses et Thomistæ gratiam *versatilem* negant, quæ scilicet pro hominis nutu effectum consequitur, vel eò privatur; contendunt enim intrinsecam gratiæ efficaciam inesse, adeo ut seu delectatione cælesti, seu præmotione physica, certo determinetur voluntas, neque fieri posse, *in sensu composito*, scilicet præmotione vel delectatione determinante voluntatem, ut homo gratiæ resistat, quamvis id fieri possit *in sensu diviso*, quia vera adest potestas, licet non prodeat in actum. Audiatur Gazzaniga: "Dei quidem operatio suo effectu frustrari non potest; ut enim inquit S. Thomas, i. 2. qu. 10. art. 2 ad 3. *impossibile est, ut Deus moveat voluntatem, et voluntas non moveatur.* Hæc tamen motio Dei animæ nostræ impressa absolute potest ab homine frustrari, et prorsus extingui. Extingui, inquam, potest, et frustrari, non prout *reduplicative* est efficax; hoc enim est contradictorium, sed *absolute*, et in sensu diviso."[2] Libertatem haud tolli dicunt divina determinatione, quia "non solum Deus ea gratia facit, ut voluntas consentiat, sed etiam ut consentiat libere; cum ea sit voluntatis natura, ut libere in suos actus erumpat."[3] In eo autem suam a Lutherana et Calviniana distinguunt sententiam, quod voluntas *habeat aliquam activitatem* et vere co-operetur. Gazzaniga etiam non gravatur fateri rigidos Calvinianos recentiores ita emollire sententiam auctoris sectæ "ut vix ac ne vix quidem ullum supersit inter nos *(Thomistas)* ac illos in hac parte discrimen."[4] Cæterum benignius interpretatus est eorum mentem.

102. Longissime a Calvinianorum castris recedendum existimantes Molinistæ, et Congruistæ, aliique, potentiam resistendi gratiæ non *absolute*, tantum, sed et *relative* ad motionem ejus prævium, eo ipso tempore quo voluntas consentit, vindicant, non quod consensus et resistentia simul existere queant, sed quod resistere potuerit. Fusiore sententiarum expositione omissa, dogma propugnandum aggredimur.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, sub gratia efficaci intactam manere libertatem arbitrii, nullamque absolutam induci necessitatem.[5]

Probatur I. ex Scriptura.

103. "Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare conservabunt te. . . . Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris porrige manum tuam."[6] A conditione hominis primaria, occasionem sumit

(1) Jansen. l. vii. c. 5.
(2) Gazzaniga de Gratia, p. i. diss. v. c. v. n. 232.
(3) Ib. c. i. n. 103.
(4) Ib. diss. iii. c. iii. n. 48.
(5) Verba ex Gazzaniga mutuamur.
(6) Eccli. xv. 14.

sacer auctor hortandi, ut servemus divina mandata, quippe adhuc homo in manu consilii sui est, et si voluerit mandata servare, poterit divina adjutus gratia. Frustra et irrisorie hæc dicerentur, si gratia absolutam necessitatem induceret.

104. Alias divitem pium laudat sacer auctor: "Beatus dives qui inventus est sine macula. . . . Qui probatus est in illo et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino."[1] De divite in quo gratia fuit efficax plane est sermo: eique tribuitur potentia transgrediendi, et mala faciendi, etiamsi transgressus non sit. Nulla igitur absoluta necessitas a gratia efficaci inducitur.

105. Apostolus gratiam secum laborare significat, adeo ut gratiæ et sibi invicem suos tribuat labores: "Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum."[2] Χάριτι δὲ θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι· καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμε, οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασά ὐκ ἐγω δε, ἀλλ' ἡ χαρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοι. Verbis Augustini liceat textum hunc exponere: "per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo."[3] Profectò si gratia Dei necessitatem induceret, non cum Apostolo laborasse dicenda foret.

Probatur II. ex Traditione.

106. S. Irenæus: "Quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, et liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum obedientia: et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, et suæ potestatis arbitrium homini servavit Dominus, dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam. Et iterum: Omnia possibilia (sunt) credenti: et, Vade, sicut credidisti, fiat tibi. Et omnia talia, suæ potestatis secundum fidem ostendunt hominem. Et propter hoc, is qui credit ei, habet vitam æternam: qui autem non credit Filio, non habet vitam æternam: sed ira Dei manebit super ipsum. Secundum hanc igitur rationem, et suum proprium (bonum) ostendens Dominus, et sui arbitrii, ac suæ potestatis hominem significans, dicebat ad Hierusalem: 'Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub alas, et noluisti? Quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta.'"[4]

107. Tertullianus: "Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, bono sponte servando, et malo sponte vitando: quoniam et alias positum hominem sub judi-

(1) Eccl. xxxi. 8.
(2) I. Cor. xv. 10.
(3) L. de gratia et lib. arb. n. 12.
(4) L. iv. adv. hær. c. lxxii.

cio Dei, oportebat justum illum efficere de arbitrii sui meritis, liberè scilicet."[1]

108. Clemens Alexandrinus de Salvatoris verbis agens: "Si vis perfectus esse," dicit: ἐπὶ τῷ ἀνθρώπῳ γαρ ἦν ἡ αἱρεσις ὡς ἐλευθέρῳ, ἐπὶ θεῷ δὲ ἡ δοσις ὡς κύριῳ· δίδωσι δὲ βουλομένοις καὶ ὑπερεσπουδακόσι καὶ δεομένοις, ἵν' ὅτως ἰδιος αὐτων ἡ σωτηρία γένηται[2] "Penes hominem enim erat electio, utpote liberum: penes Deum verò datio, utpote Dominum: dat autem volentibus, et satagentibus, et orantibus, ut sic salus eorum propria sit."

109. S. Cyprianus: "Servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus, sibi ipse vel mortem appetit, vel salutem."[3]—"Manente in hominibus propriæ voluntatis arbitrio."[4] "Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam" dicit.[5]

110. S. Chrysostomus: "Non vi et necessitate quadam Deus bonos facere consuevit: neque electio ejus violenta est, sed suasoria; ut enim intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem constat in nostro esse arbitrio, an salvemur an perdamur."[6]

111. S. Augustinus: "Profectò et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est."[7] Juliano Pelagiano exprobranti negari a Catholicis liberum arbitrium, respondit Augustinus: "Non est ita ut loqueris, quicumque ista dixisti, non est ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium . . . . Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Cælestiani et Pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei, et non erui parvulos a potestate tenebrarum, et sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc estis Cælestiani, et Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis nomen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen?"[8] "Audi ergo de libero arbitrio ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti: audi dicentem: 'aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malam. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest, sed habet unusquisque in voluntate aut

(1) L. ii. contra Marcion. c. 6.
(2) Pædag. l. i. c. 6. n. 10.
(3) Ep. 55. ad Cornel.
(4) De unit. Eccl.
(5) Testim. l. 3. Proœm. n. 52.
(6) Hom. 46. in Joan.
(7) L. de Spir. et lit. c. 34.
(8) L. ii. de Nuptiis et Concup. c. 3.

eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala."[1]

112. S. Thomas: "Modus autem naturalis intellectualis naturæ est ut libere feratur in ea quæ vult: et ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam, potest ea non uti, et peccare."[2]

OBJECTIONES DILUUNTUR.

113. *Obj.* 1. Christus dicit: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum."[3] Trahendi autem metaphora necessitatem indicat.

114. *Resp.* Verbis Augustini: "Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus: ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur." . . . "Nolite cogitare invitum trahi; trahitur animus et amore . . . etiam voluptate traheris. . . . Porro si Poetæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?"[4] "Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo."[5] "Quis autem non videat, et venire quemquam et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest, nisi adjutum esse, si venit. et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat."[6]

115. *Obj.* 2. Deus sibi totum justificationis opus tribuit: "Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. . . . Et faciam ut in præceptis meis ambuletis."[7]

116. *Resp.* Hæc vatis eloquia copiosa gratiæ munera indicant, quibus, in nova dispensatione, Deo donante, fruimur. Ipse quidem est, qui, duritie cordis ablata, pietatis affectum tribuit, cui si obsequamur, majora addit dona, viresque ad perficienda ejus mandata. Merito hæc Deo adscribuntur, quamvis hominis liber consensus præstetur; quod animadvertit Augustinus in illa verba Apostoli: "Quid habes quod non accepisti?" "Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo,

(1) L. ii. de actis cum Felice Manichæo c. 4. Plurima alia testimonia tum Augustini tum aliorum patrum legesis apud Scipionem Maffei Istoria Teologica.

(2) D. Thom. i. p. qu. 62. art. 3. ad. 2.

(3) Joan. vi. 44.

(4) Tract. xxvi. in Joan. n. 24.

(5) Ibidem, n. 7.

(6) De gratia Christi contra Pelag. c. xiv. n. 15.

(7) Ezech. xxxvi. 26.

ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est, accipere autem et habere, utique accipientis et habentis est."[1]

117. *Obj.* 3. "Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere —τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν.—pro bona voluntate."[2]

118. *Resp.* Verbis Augustini: "Illic Apostolus utrumque dicit, et Deum operari, et ipsos. Nam si ipsi non operabantur, quomodo eis dicebat, 'Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini?' operatur ergo ille, co-operamur nos; non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium."[3]

119. *Obj.* 4. Apostolus dicit: "Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei."[4]

120. *Resp.* Illud dicitur, Augustino judice, "non quia nulla est hominis voluntas atque cursus, sed quia nihil potest nisi ille misereatur."[5]—"Non tamen volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut quod volumus adipiscamur, et quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau, et non cucurrit, sed si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset; qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret."[6]

121. *Obj.* 5. "Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?"[7] Ergo ipse voluntatis consensus a Deo acceptus est.

122. *Resp.* Utique ad Deum referendus est ipse voluntatis consensus, quum proveniat ex gratiæ motione, cui voluntas obtemperat, arbitrio utens, quod et ipsum Dei donum est. "Quis te discernit? ubi si dixerit homo," ait Augustinus "fides mea, voluntas mea, bonum opus meum; respondetur ei, quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?"[8]—"Nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit. Quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit."[9] Animadvertit J. A. Möhler in celeberrimo opere *de re Symbolica* hominem justificatum Deo totam gloriam dare, eo quod gratia, qua justus constituitur, a Deo datur intuitu Christi meritorum, quam nullo suo opere promereri poterat; simulque Deo gratias agere de facultate quam largitus est ut possit homo dare ei gloriam, quam absque libero voluntatis exercitio non posset.[10]

(1) L. de Spir. et lit. c. xxxiv.
(2) Phil. ii. 13.
(3) Quæst. in Heptateuch. l. 5. qu. 16. Vide etiam Serm. 13. n. 3. Epist. 215. n. 21.
(4) Rom. ix. 16.
(5) Epist. 186. n. 36.
(6) Op. imp. l. i. qu. 2. n. 10.
(7) I. Cor. iv. 7.
(8) Aug. ep. 186. 4.
(9) De Spir. et. lit. n. 57.
(10) "Dankt er Gott fur die Fähigkeit, ihm den Ruhmgeben zu können, was er ohne Freiheit nicht vermag." Symbolik c. iii. § ii.

123. *Obj* 6. Augustinus passim tuetur gratiæ intrinsecam efficaciam, qua voluntas prorsus determinatur, quamque nulla hominis perversitas frustrari valet: docet quippe interna, et occulta, mirabili ac ineffabili, potestate operari Deum, in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates;[1] prædicat divinam potestatem "occultissimam et efficacissimam, quæ convertit et transfert corda hominum;"[2] quam vocat "inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem."[3] "Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur."[4]—"Volentes ex nolentibus fiant occultissima et efficacissima potestate."[5] "Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur."[6]

124. *Resp.* Libentissime gratiæ vires in ipsa perversitate humanæ voluntatis vincenda agnoscimus, quidquid sit de ratione qua illa gratiæ potestas cum libertate arbitrii concilietur. Censet Natalis Alexander Augustinum intrinsecam gratiæ efficaciam, tamquam ex privata sua sententia, propugnasse,[7] salva tamen libertate quam apertissime agnovit, et invictissime vindicavit. "Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus."[8] "Non enim voluntatis arbitrium ideo tollitur quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur."[9] "Dicit mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Respondeo: immo, et agis et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit, quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas; agnosce quid confitearis. Quando dicis, 'Adjutor meus esto, ne derelinquas me,' adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. . . . Si non esses operator, ille non esset co-operator."[10] Quum hæc aliaque præsto sint documenta, quæ gratiæ vires prædicant necessario intelligenda sunt salva voluntatis libertate. Equidem fatemur Deum operari etiam bonas voluntates, eas scilicet sua gratia excitando, cui tamen libere consentit homo, quum posset repugnare. Efficacissima est ejus potestas, et omnipotentissima, sed ejus exercitium attemperatur humanæ conditioni; nec enim tollit,

(1) L. de gratia Christi c. xxiv.
(2) L. i. contra duas ep. Pelag. xx.
(3) L. de corrept. et gratia c. xiv.
(4) L. i. ad Simplic, qu. 2. n. 13.
(5) L. de gratia Christi c. xxiv. xxv.
(6) L. de corrept. et gratia c. xii.
(7) Synopsis hist. Eccl. sæc. v. c. iii. par. xiii.
(8) L. de spirit. et lit. c. xxx.
(9) Ep. 157 alias 89 ad Hilarium.
(10) Serm. 158. n. 11.

quod donavit, arbitrium. Non est quidem in hominis potestate Dei consilia frustrari, ut frustra misereatur, nec enim temere Deus sua largitur dona, sed sapientia sua prælucente, ut finem quem sibi præstituit, illæsa voluntatis libertate, assequatur. De voluntate indeclinabiliter et *inseperabiliter*, (sic enim legendum) acta, Augustinus loquitur, et eam perseverantiæ dono roboratam, omnia superare posse salutis impedimenta docet: non enim eo loci de quolibet gratiæ auxilio, etiam efficaci, est quæstio. Cæterum ipsa voluntas declinare potest, et sese separare a gratia, etiam ipso tempore quo ita agitur; non quidem ut utrumque simul sit, sed quia vera reluctandi potestas cum actuali consensu conjungitur. Optime animadvertit sanctus doctor: "Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri."[1]

125. *Obj.* 7. Pelagiani, gratiam qua ageretur necessariò voluntas negantes, damnati sunt: qua de causa etiam Semipelagiani hæretici audierunt, licet fatèrentur gratiam requiri etiam ad fidei initium.

126. *Resp.* De Pelagio refert Augustinus: "Solam possibilitatem dicit divino adjuvari semper auxilio; voluntatem autem et actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere."[2] Non ideo damnatus est quod rejiceret gratiam qua voluntas necessariò ageretur, sed qua excitaretur, et muniretur. Ab initio omne auxilium supernaturale visus est rejecisse; sed ut damnationem effugeret, possibilitatem, scilicet, naturæ vires, seu liberum arbitrium divino adjuvari auxilio deinde fassus est: quod tamen de externis auxiliis, lege scilicet, Christi exemplo, et aliis subsidiis hujusmodi intellexit: "Nam gratiam Dei et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura, et libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina."[3] Interiorem gratiam qua moveretur voluntas negavit, quapropter Augustinus dixit: "Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem et actionem, id est, ut bene velimus, et bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult et bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra, justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia quæ nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur."[4] Semipelagiani putabant hominem primum motum ad fidem ex se habere, docebant enim, uti refert

(1) L. de grat. Christi c. xlvii.
(2) Ibid. c. xli.
(3) Ibid. c. iii.
(4) Ibid. c. xlvii.

S. Prosper, ad Augustinum scribens, "quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab iis eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint."[1]

127. *Obj.* 8. Intelligi non potest quomodo liberum maneat arbitrium, gratia voluntatem movente.

128. *Resp.* Plures sunt rationes quibus illud explicetur, vel enim cum Molina, quem putat Le Maistre feliciter nodum solvisse, dicas efficacem esse gratiam eo ipso quod voluntas motui divino cedat; vel cum aliis ipsi gratiæ vim inesse voluntatis alliciendi consensum censeas: num ideo dubitandum Deum posse ita movere voluntatem ut consensus certò sequatur, et tamen plena cum libertate? Cæterum licet gratiæ cum libertate concordiæ ineundæ ratio difficilis admodum aliquibus videatur, prout ipsi Augustino, non ideo alterutra incerta evadet, quum ex Scriptura et Ecclesiæ solemni doctrina omnino constet. Nobis verba Tridentina usurpasse sat est, quibus docemur peccatores per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponi; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui et illam abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit."[2]

ANIMADVERSIO.

129. Concordia fidei Catholicæ in eo est manifesta quod gratiæ ad salutares actus, et ad ipsum fidei initium, necessitatem omnes summo consensu fateantur Theologi, sicut etiam humanæ voluntatis sub gratia libertatem: tota concertatione Theologica in modo quo conciliandæ sint versante. Igitur et libertas sententiarum et fidei unitas habetur. Nos necesse non putamus in alicujus verba jurare, nec gravamur in re adeo difficili hærere ancipites, ne vel gratiæ potentiæ detrahere videamur, quam maximam esse non dubitamus, vel liberum denegare arbitrium, quod Ecclesia docente, et intimo animi sensu novimus. Liceat nobis "non plus sapere quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem."[3]

(1) Ep. 225 inter Aug.
(2) Trid. Conc. Sess. vi. c. 5.
(3) Rom. xii. 3.

CAPUT IV. DE GRATIA SUFFICIENTE.

130. Præter gratiam efficacem agnoscunt Theologi Catholici *sufficientem*, quæ scilicet vires ad agendum præstat, quamvis voluntate renitente, effectus non sequatur. Juxta Molinæ scholam sufficiens gratia vires omnino effectui producendo pares suppeditat, adeo ut sine novo subsidio effectus posset prodire. Est igitur potentia *expedita*, etiam ratione habita adjunctorum, adeo ut voluntas vere possit consentire. Nec tamen necesse est ut vires proxime sufficientes præbeat, dummodo virium quas suppeditat usu, validiores impetrari possint. Ideo alia est gratia *remote* sufficiens, alia *proxime* sufficiens, utraque tamen par effectui ad quem datur.

131. Augustinianenses sufficientem seu *inefficacem* gratiam, uti eam appellare malunt, eam habent quæ desideria et conatus quosdam excitat, et potentiam dat agendi, non tamen *proxime expeditam*, adeo ut actus numquam sequatur, nisi alia gratia validiore, scilicet efficaci, accedente.[1] Hæc *victrix* appellatur *delectatio*, vocibus ab Augustino mutuatis;[2] quas Jansenius etiam adhibere consuevit,[3] sed sensu plane hæretico, quod scilicet contrariam delectationem adeo gradibus superet, ut necessitatem inferat consensus. Ab hoc abhorrent Augustinianenses, et prava consectaria ex principiis verissimis perperam deduci queruntur.[4]

132. Thomistæ gratiam sufficientem intelligunt eam quæ "potentiam quidem ad bonum operandum confert, sed voluntatem efficaciter non determinat, adeo ut bonum illud opus, ad quod efficiendum gratia nos solicitat, et movet suo modo, minime consequatur."[5]

133. Calvinus omnem gratiæ divinæ cui resisti valeat notionem, utpote majestati et omnipotentiæ Dei injuriosam, rejicit: "Illud ergo," inquit "toties a Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit: quo insinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an suo auxilio juvari nobis adlubescat."[6]

134. Jansenius, gratiæ efficaciam absolutam ut tueatur, contendit *parvam* ipsam gratiam, quæ delectatione carnali gradibus inferior est, omnem parere effectum ad quem datus est, excitando scilicet desideria et conatus quosdam ad virtutem: "Ejus gratiæ efficacissima natura declaratur ex eo quod nullo

(1) Vide Berti Aug. Syst. Vind. Diss. iv. c. i.
(2) L. ii. de pecc. meritis et remiss. c. xix. n. 32.
(3) *Augustinus* l. viii. de gratia Christi c. ii.
(4) Vide Berti de Theologicis disciplinis t. i. p. 432, et Aug. Syst. Vindic. p. ii. c. i.
(5) Gazzaniga, Tract. de Gratia Christi, Diss. iv. c. i.
(6) Inst. l. ii. c. iii. n. 10.

prorsus effectu careat, sed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operetur."[1]

135. Presbyteriani et Baptistæ, Calvinianis inhærentes placitis, docent gratiam, qua salus comparari possit, aliis præter electos deesse, quamquam in iis quædam Spiritus operationes communes contingant.[2]

136. *Quakeri* censent lumen interius singulis dari quod ad salutem sufficiat, cui tamen plurimos mentis oculos occludere fatentur.[3]

137. Ex fidei doctrina constat interiori gratiæ nonnumquam resisti; damnata est enim, tamquam hæretica, hæc Jansenii propositio: "Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur."[4]

PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur.

Probatur I. ex Scripturis.

138. Per Isaiam queritur Deus de populo suo: "Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?"[5] Populo igitur largitus est Deus subsidia gratiæ quibus bonorum operum uberes fructus ferre possent: nam juxta vim textus nihil quod faciendum erat prætermisit.—מַה־לַּעֲשׂוֹת עוֹד לְכַרְמִי וְלֹא עָשִׂיתִי בּוֹ Constat autem interiora gratiæ auxilia esse imprimis necessaria, quæ proinde concessa intelligenda sunt.

139. Peccatores alloquitur Deus in Proverbiorum libro:—"Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit."[6] Minæ hæ ostendunt penes illos fuisse Deo vocanti respondere, et proinde interiora gratiæ subsidia præsto fuisse; eos autem, licet vocem ejus intus loquentem audierint, sua culpa induruisse.

140. Christus civitates quæ miraculis ejus ad pœnitentiam non sunt motæ, vehementer redarguit:—"Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam

(1) *Augustinus* l. ii de gratia Salv. c. xxv.

(2) "Others not elected, although they may be called by the ministry of the word, and may have some common operations of the Spirit, yet they never truly come unto Christ, and therefore cannot be saved." Presbyt. Conf. c. x. § iv.

(3) "Although this gift and inward grace of God be sufficient to work out salvation, yet in those in whom it is resisted, it both may, and doth become their condemnation." Prop. ix. apud Barclay.

(4) Prop. ii.

(5) Isaiae. cap. v. 2.

(6) Prov. i. 24.

egissent."[1] Nisi interna gratiæ auxilia simul data fuissent, nulla fuisset exprobrationis, et minarum justa ratio, nam deficientibus illis, non potuerunt pœnitentiam peccatorum agere. Data sunt igitur illa auxilia, quibus tamen cives illi pertinaciter restiterunt, pœnis idcirco gravissimis plectendi.

141. Ipsam urbem principem, sanctamque, Hierosolymas, Christus sic appellavit: "Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?"[2] Ex animo voluit Christus Hierosolymitanos sibi adsciscere, eosque donorum suorum efficere participes: proinde dedit procul dubio illa interiora gratiæ subsidia, quæ ad tantum finem erant necessaria. Noluerunt autem, et pertinaciter restiterunt.

142. Stephanus diaconus Judæos his verbis increpuit: "Dura cervice et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita et vos."[3] Spiritus Sanctus interius præsertim operatur, gratiam tribuendo: ei tamen restiterunt Judæi, quorum corda incircumcisa erant, voluntas scilicet rebellis.

143. Apostolus Paulus ad Corinthios scripsit: "Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis."[4] Illa hortatio inanis foret, si penes eos non esset gratiæ resistere. Nec potest de externis tantum subsidiis intelligi, nam loquitur Apostolus de salutis auxiliis, quæ interna etiam sunt. Præterea quum absque gratia interiori nihil in salutis negotio fieri possit, si ea fidelibus præsto non esset, illuderet iis hortando ut gratiæ obsequerentur, quum ejus defectu non possent.

Probatur II. ex Augustini sententia, quem Janseniani totum suum esse immerito clamitant.

144. In libro primo ad Simplicianum in quo "istam quæstionem" (*de fidei initio*) secundum "veritatem divinarum Scripturarum solutam,"[5] contra Semipelagianos scribens, testatur, ait: "Noluit ergo Esau, et non cucurrit: sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle, et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret."[6]—"Ad illam cœnam, quam Deus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere

(1) Mat. xi. 20.
(2) Mat. xxiii. 37.
(3) Act. vii. 51.
(4) II. Cor. vi. 1.
(5) L. de præd. SS. c. 4.
(6) L. i. ad Simplician. qu. ii.

quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit."[1]—"Recte fortasse quererentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret: cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis."[2]—"Habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit."[3]—"Cor eorum congelascit adversus Deum, et fit durum adversus imbrem gratiæ ejus, ne fructum ferat."[4]—"Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ; sive contra ipsam suam superbiam judicandi et erudiendi, si filii sint misericordiæ."[5] Sunt igitur, juxta Augustinum, qui vocationem divinam negligunt et contemnunt, quum ei possent obtemperare: qui idcirco interiorem gratiam sufficientem receperunt, cui sua culpa restiterunt.

144. Equidem si gratiæ interiori numquam renitatur voluntas humana, peccatoribus exprobrari non potest quod liberi arbitrii abusu peccaverint, quum necessario subsidio carentes virtutem exercere non potuerint. Ergo erit iis excusatio æquissima. Porro benigna erga eos cælestis Patris voluntas, qua illis consulit, eis facultatem salutis adipiscendæ tribuendo, non poterit vindicari, si necessaria auxilia pro arbitrio suo denegaverit.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

145. *Obj.* 1. "Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me."[6] In quæ verba scribit Augustinus: "Quid est; omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me; nisi nullus est qui audiat a Patre et discat, et non veniat a me? Si enim omnis qui audivit a Patre et didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audisset et didicisset, veniret."[7] Nulla igitur est gratia interior cui resistatur.

146. *Resp.* Contextus et stylus Joannis sinunt ut inversionem verborum intelligamus, ita ut legi possint: *Omnis qui venit ad me, audivit a Patre*

(1) L. 83. qu. q. 68
(2) Lib. de Natura et gratia c. lxvii.
(3) L. i. de peccat. meritis et remissione c. ult.
(4) Initio Præf. in Ps. cxxiv.
(5) L. ii. de pecc. merit. et remiss. c. xvii. n. 26.
(6) Joan. vi. 45.
(7) L. de prædest. Sanct. c. viii.

et didicit; sicut in prima ejus epistola "qui non est ex Deo, non audit nos,"[1] scilicet *qui non audit nos, non est ex Deo.* Loquebatur Christus de gratiæ necessitate, potius quam de ejus vi; dixerat enim: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." Cæterum si quis ordini verborum inhærere velit, verissime dicitur omnem qui audivit a Patre et didicit, ad Christum venire, audit enim unusquisque, gratia Dei intus loquente, discit, mentis assensum præbendo. Sunt tamen qui Dei vocem nolunt audire, nimia cordis duritie; quapropter Apostolus, verbis Psaltis, monet: "Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra."[2]—Augustino quidem, in objecto loco, propositum est, contra Semipelagianos, ostendere fidem, et ipsius initium a Dei gratia provenire: "non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino."[3] Cæterum vim gratiæ extollere pergit, qua scilicet flectantur mentes et corda, etiam eorum qui prius duri visi sunt et increduli. "Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur: Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur."[4]—"Ergo trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum."[5] Hæc non ita accipienda sunt, ut nemo ullatenus intus audire censeatur, qui non venit, sunt enim, testante Augustino, qui vocatione contempta reprobi fiunt. Id insuper animadvertendum censemus, in tota illa cum Pelagianis et Semipelagianis concertatione, Augustinum humanæ voluntatis infirmitatem et gratiæ potentiam urgere consuevisse, ut Deo salutis humanæ tribueretur honor: ad scopum autem non collineasset, ostendendo quoties, voluntatis pertinacia, gratia fructu caret: ideoque mirum non est pleraque testimonia vim gratiæ exhibere, et nonnisi obiter et occasione data, agi de ea quæ, humana voluntate renitente, effectu fraudatur. Equidem quicumque experientiam justorum ipsorum præ oculis habuerit, facile perspiciet non gratiæ actionem perpetuam, in singulis vitæ casibus, sed ejus vim singularem, qua superantur res omnes adversæ, plerumque ab Augustino describi: nec enim sancti semper cum tanta animi jucunditate, qualem ipse amat referre, ad virtutis opera feruntur.

147. *Obj.* 2. Apostolus Paulus plane docet neminem divinæ voluntati resistere: "Dicis itaque mihi? Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo?"[6] Liquet Apostolum nihil habere quod respondeat homini querenti de summo Dei

(1) I. Joan. iv. 6.
(2) Ps. xciv. 8. Heb. iii. 12.
(3) L. de præd. Sanct. c. v. n. 10.
(4) Ibidem, c. viii. 13.
(5) Ibidem, n. 15.
(6) Rom. ix. 19.

arbitrio ac potestate, qua "cujus vult miseretur, quem vult indurat."[1] Nemini igitur tribuitur gratia cui resistat.

148. *Resp.* Apostolus vult humanam frangere superbiam, nec enim Deus homini consiliorum suorum reddere rationem tenetur. Cæterum quamvis pro summo arbitrio suo Deus largiatur gratiam, quum nemini debeatur, constat humanam voluntatem ei sæpe repugnare: ideo enim Apostolus peccatorem alloquitur: "An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei."[2] Miseretur quidem cujus vult, cor ejus gratiâ tangendo; quem vult indurat, eum in cordis duritie relinquendo, quamvis non deneget huic etiam ea auxilia quibus ad pœnitentiam adduci posset, quæ spreta majorem provocant vindictam.

149. *Obj.* 3. Augustinus omnem gratiam internam iis qui non credunt defuisse docet. "Cum igitur," inquit, "Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt atque discunt, qui autem non credunt foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur."[3]

150. *Resp.* Non omne interius gratiæ subsidium infidelibus defuisse docet Augustinus, sed speciale illud fidei donum. Statim enim subjungit: "Fides igitur, et inchoata, et perfecta, donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare."[4] Quæ adduximus inter probationes testimonia probant sufficientia ad fidem dari auxilia, quæ, culpa vocationem contemnentis, carent effectu.

151. *Obj.* 4. Augustinus electis dari gratiam dicit, cæteros vocari exterius, potestate amplectendi fidem haud concessa: "Ad alios verò," inquit "vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, non electi."[5]

152. *Resp.* Specialem electorum vocationem et Dei misericordiam Augustinus eo loci prædicat; sed alios etiam vere vocari, et gratiæ subsidia accipere, quibus uti nolunt, agnoscit. Dicit quidem Deum eorum pertinaciam frangere potuisse, copia auxiliorum majori, quibus moveretur voluntas: "Quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur. Verum est ergo; 'Multi vocati, pauci electi.' Illi enim electi, qui congruenter vocati. illi autem qui non con-

(1) Rom. ix. 18.
(2) Rom. ii. 4.
(3) L. de præd. Sanct, c. viii n. 15.
(4) Ibidem n. 16.
(5) Ad Simplicianum l. i, qu. i, n. 13.

gruebant neque, contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati." Quod igitur dicat eos non potuisse moveri, intelligendum est ratione habita eorum voluntatis pertinacis; uti liquet ex iis quæ paulo post subjungit: "Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio; quæritur utrum de divina pœna sit ipsa duritia, cum Deus deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest. Quis enim dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?"[1]

153. *Obj.* 5. Gratia interna, quæ *sufficiens* prædicatur, inutilis est et perniciosa, quum numquam sortiatur effectum, sed hominem magis reum constituat. In ea non apparet effusa Dei bonitas, sed summa potius severitas.[2]

154. *Resp.* Culpa hominis fit ut gratia careat effectu, vim enim præstat, cui si voluntas cederet, effectus sequeretur. Inservit autem ad divinam bonitatem et justitiam vindicandam, datis subsidiis, quibus homo possit, si velit, salutem comparare. Quod magis reus ipse fiat, ei resistendo, ipsi tribuendum est.

155. *Obj.* 6. Gratia sufficiens est ipsa *possibilitatis* gratia, quam in Pelagianis olim abhorruit Ecclesia.

156. *Resp.* Nequaquam: Pelagius enim *possibilitatis* nomine potentiam naturalem intelligebat, liberum scilicet arbitrium, quod tamquam creatoris donum gratiam aliquando nuncupabat. Pelagii scripta legisse se testatur Augustinus: "nec alicubi potui reperire hanc eum gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis et actionis, quam dicit nos habere etiam si nec volumus nec agimus bonum, sed etiam voluntas et actio subministratione Sancti Spiritus adjuvatur."[3]

ANIMADVERSIONES.

157. Dari igitur gratiam interiorem cui resistunt sua culpa homines constat: quibusnam autem detur, jam est inquirendum. Omnibus præter electos auxilia sufficientia denegari docent, ut vidimus, Presbyteriani. Quakeri e contra illa singulis dari hominibus fatentur, lumen scilicet interius Spiritus, mentem cælesti veritate illustrantis, quo salus, absque exteriori aliquo subsidio, possit comparari.[4]

158. Sunt tamen ex Theologis, præsertim Thomistis, qui dicunt interi-

(1) Ad Simplicianum, n. 14.

(2) Jansenius l. 3. de Gratia Christi, c. 2.

(3) L. de gratia Christi, contra Pelag. et Cælest. c. xxxiv.

(4) "This light enlighteneth the hearts of all in a day, in order to salvation, if not resisted: nor is it less universal than the seed of sin: being the purchase of his death, who tasted death for every man: for as in Adam all die, even so in Christ shall all be made alive." V. Prop. apud Barclay.

ora gratiæ subsidia non omnibus suppetere hominibus, nam teste Antonino Massouliè, nec refragante Gazzaniga, "communis sententia est inter S. Thomæ discipulos . . . a Deo denegari obduratis, et excæcatis, ac infidelibus qui nihil unquam de fide audierunt, etiam sufficientia auxilia, quibus converti aut credere possint."[1] Augustinianenses in eadem sunt sententia, Molinistæ et Congruistæ omnibus et singulis ea dari existimant, non ita tamen ut leges naturæ vel generalis providentiæ ordo mutandæ sint, ut singulis applicentur. Sic parvuli in utero plurimi moriuntur, vel apud parentes infideles, absque baptismi remedio.

159. Benigne de Deo sentire juvat, ideoque mitior nobis arridet sententia, maxime quia Christum pro omnium salute fudisse sanguinem credimus; et "Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire."[2] Igitur cum Paulo Orosio, Augustini discipulo, censemus "nemini hominum deesse adjutorium Dei, præsertim cum et seductor instet, et insit infirmitas."[3]

160. "Nunc in extremis mundi partibus," animadvertit auctor libri de vocatione gentium, "sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit . . . quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur."[4] De gentibus quas Deus olim dereliquit, dicit: "numquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati."[5] Equidem proscripta est ab Alexandro VIII. haec propositio: "Pagani, Judæi, Heretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente."[6]

161. Id autem animadvertendum, eos qui nullam habuerunt unquam occasionem veritates revelatas cognoscendi, nulla idcirco culpa teneri, juxta illud Christi: "Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent."[7] Merito igitur damnata est Baji propositio "Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est."[8] Gratiæ autem adjutorium iis præberi, ut servent legem naturalem, eorum mentibus insculptam, non videtur dubitandum: qua violata reos se constituunt æternae morti obnoxios: "Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt."[9]

(1) Diss. i. de div. motione qu. 8. art. 9. Vide etiam Gazzanigam de Gratia p. i. diss. v. c. vii. Prop. v.
(2) I. Tim. ii. 4.
(3) Apol. pro. lib. arb.
(4) L. ii. c. xvii.
(5) Ib. c. iv.
(6) Prop. v. ex. damn. 7. Dec. 1690.
(7) Joan. xv. 22.
(8) Prop. lxviii.
(9) Rom. ii. 12.

162. Iis quibus prædicatur Evangelium a legitimis præconibus, dari interiora gratiæ subsidia, quibus valeant mentis assensum credendo præbere, constat, ex gravissimis pœnis in quas haud credendo incurrunt: "Quicumque non acceperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen, dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati."[1] "Prædicate Evangelium omni creaturæ . . . qui vero non crediderit condemnabitur."[2] Ideo Apostolus: "Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei."[3] Pulchre Augustinus: "Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt."[4]

163. Peccatores in delicto pertinaces quodammodo a Deo derelinqui constat, subductis plerumque validioribus gratiæ subsidiis: "Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quam ille despexerit."[5] Cæterum non temere dicendum eos unquam privari omni gratiæ auxilio, quamdiu in hac vita versantur, nam de omnibus juvat intelligere Domini per prophetam verba: "Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini?"[6] Plura quidem de cæcitate qua peccatores puniuntur, profert Augustinus, scripturarum testimoniis innixus, quin tamen eam absolutam esse ante vitæ finem dicat: ait enim: "In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur: sed nondum penitus, dum in hac vita est."[7]

164. In gratiæ distributione magna varietas necessario agnoscenda est, et arbitrii supremi Dei, sicut et munificentiæ, exercitium. Eam explicare vel vindicare opus non est, sed præstat eum expectare diem, in quo consilia ejus omnia in hominum utilitatem et salutem, suo lumine exposita, patebunt. Interim id firmissime tenendum, quod sæpe monuit præclarus gratiæ vindex Augustinus, justissima ejus judicia esse: "Quare illos potius quam illos liberat? O homo! quis es qui respondeas Deo? inscrutabilia sunt judicia ejus."[8] Id quoque unicuique cavendum ne dum totam gratiæ œconomiam mente complecti studet, sibi concredita talenta negliga'; quum id e memoria numquam excidere debeat, rationem justo judici reddendam, pro datis muneribus.

(1) Matt. x. 14.
(2) Marc. xvi. 16.
(3) II. Cor. iv. 3.
(4) Lib. de Spir. et lit. c. xxxiii.
(5) Eccl. vii. 14.
(6) Ezech. xxxiii. 11.
(7) Enarr. in Ps. vi.
(8) L. de dono persev. c. xii.

CAPUT V. DE GRATIA SANCTIFICANTE.

165. De gratia universim, sed præsertim de ea quæ dicitur *actualis*, cum Pelagianis erat controversia; hi quippe nullo supernaturali dono vel auxilio opus esse asserebant ad actus salutares. Cum Jansenianis etiam de actuali gratia præcipue agitur, qua roboratur voluntas, et ad bonum movetur, repugnandi potestate haud adempta. Lutherus de natura gratiæ *habitualis*, qua anima Deo fit grata, etiam gravissime erravit, principio de fide justificante inhærens. Indulgentiarum abusum, et deinceps usum impugnaverat, opera pœnitentiæ, quorum locum tenebant, haud requiri dicens, quum Deus plenam indulgeat veniam peccatori, statim ac tota animi fiducia peccata sibi propter Christum remitti persuasum habet. Inde facili ratiocinio deducebat totam hominis justificationem in illa meritorum Christi imputatione positamesse, et peccata velo veluti obtegi, et peccatorem in filium adoptari, quin aliquo dono anima ornetur, quo sancta fiat.

166. Calvinus idem sensit, scribit enim: "Ita nos justificationem simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in receptos pro justis habet. Eam in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus."[1] In Confessionis Augustanæ Apologia ambigue de justificatione disceptatum est, utraque vocis significatione admissa: "quia justificari significat ex injustis justos effici, seu regenerari; significat et justos pronuntiari, seu reputari: utroque enim modo loquitur Scriptura."[2] Attamen posteriori sensu apud Lutheranos invaluit uti ex *formula concordiæ* liquet.[3] Osiander docuit nos justos vere effici, justitia Dei in nobis habitante.[4]

167. Recentiores plerique sectarii eandem præbent notionem in fidei confessionibus.[5] Quakeri tamen intrinsecam justitiam agnoscunt, Christo

(1) Instit. l. iii. c. ii. § 2.

(2) Apol. art. ii. de justif.

(3) Solid. Declar. iii. de fid. justif. § ii.

(4) Vide Walchium Introd. ad lib. symbol. Luth. l. i. c. viii. de form. concordiæ § xviii.

(5) "We are accounted righteous before God, only for the merit of our Lord and Saviour Jesus Christ by faith." Episc. Art. xi.

"Those whom God effectually calleth, he also justifieth; not by infusing righteousness into them, but by pardoning their sins, and by accounting and accepting their persons as righteous: not for any thing wrought in them, or done by them, but for Christ's sake alone." Presbyterian Confession of Faith, ch. xi. n. i.

Jesu in nobis formato, quo pacto justi efficimur: quod suo modo de lumine semineque cælesti explicant.[1]

168. Catholicam doctrinam perspicuis verbis proposuerunt Tridentini Patres: "Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ."[2] Errores verò novatorum anathemate damnarunt: "Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit."[3]

169. *Gratia sanctificans* est igitur supernaturale Dei donum, animæ inhærens, quo justa et sancta efficitur, Deo grata, cum jure ad cælestem hæreditatem. *Justificatio* est translatio peccatoris ad justitiæ statum, remissis peccatis, et dono gratiæ sanctificantis concesso. *Sanctificatio* idem sonat. Protestantes hanc ab illa immeritò distinguunt, *justificationem* scilicet censent judicialem Dei actum, quo peccatorem justum haberi decernit, propter Christi merita; *sanctificationem* vero justificati hominis conatum studiumque in excolendis virtutibus, grati animi ergo, ob justificationis beneficium. "Neque tamen interea negandum est," animadvertit Calvinus, "quin perpetuò conjunctæ sint ac cohæreant duæ istæ res sanctificatio et justificatio."[4]

PROPOSITIO.

Justificatio veram peccatorum deletionem indicat, et gratiam et charitatem quæ in corde per Spiritum Sanctum diffunditur, eique inhæret, secum fert.

Probatur I. Ex Scripturis.

170. Deus per Isaiam dicit: "Ego sum,—ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me."[5] Psaltes precatur: "Omnes iniquitates meas dele. . . . Lavabis me, et super nivem dealbabor."[6] Michæas dicit: "Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem? . . . deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra."[7] Petrus

(1) "We understand the formation of Christ in us, Christ born and brought forth in us. . . . . It is this inward birth in us, bringing forth righteousness and holiness in us, that doth justify us." Barclay, Prop. vii. Expl. 4.

(2) Sess. vi. cap. vii.

(3) Ibid. Can. xi.

(4) Calv. Antidot. in conc. Trid. opus. p. 702 cit. a Mohler Symbolik l. i. k. 3. § xiv.

(5) Isaiæ xliii. 25.

(6) Ps. l.

(7) Mich. vii. 18. 19.

Judæos sic alloquitur: "Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra."[1] Metaphoræ *delendi, lavandi, mundandi, et in maris profundum projiciendi*, ablationem peccatorum plane significant: et vi sua carent, si de sola extrinseca absolutione intelligantur.

171. De gratia veluti dono cælesti accepto et in homine manente, instar seminis terræ demandati, loquitur scriptura.—"De plenitudine ejus," inquit Joannes de Christo, "nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia."[2]—"Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet."[3] Paulus amplissima gratiæ munera effert: "Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes,—οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσυνης λαμβάνοντες—in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi."[4]—δίκαιοι κατασταθήσονται. Igitur vere recipiunt homines copiam donorum cælestium, et justi efficiuntur.

172. Regenerati et renovati a Spiritu Sancto, in nos effuso, alias dicimur: "Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ."[5] Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffusus, nobis datus, et in nobis habitans exhibetur: "Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis."[6]—"Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis?"[7] Hæc non meram extrinsecam absolutionem, sed dona cælestia, quæ Spiritus Sanctus, animæ justi veluti infusus et conjunctus, largitur, denotant..

Probatur II. ex Patribus.

173. Gregorius Nazianzenus scribit: "Quemadmodum nos primum Deus creavit, ita creatos restauravit ac refinxit; et quidem figmento diviniore."[8]

174. Chrysostomus ait: "Qui crimine, regis beneficio, absolutus est, inquinatum animum servat: quem abluit baptisma non item; sed solis radiis puriorem mentem habet."[9]—"Cordis compunctio, sicut ignis, omne animæ vitium perurit et adimit, et quantacumque in ea repererit mala, abstergit universa, et penitus delet."[10]

175. Augustinus: "Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam pec-

(1) Act. iii. 19.
(2) Joan. i. 16.
(3) 1. Joan. iii. 9.
(4) Rom. v. 17.
(5) Tit. iii. 4.
(6) Rom. v. 5.
(7) I. Cor. iii. 16.
(8) Orat. in S. Bapt.
(9) Hom. xl. in ep. i. ad Cor.
(10) L. ii. de compunct. cordis.

catorum, et auferre crimina, non radere."[1]—"Ille in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam sui Spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit et parvulis."[2]

176. Cyrillus Alexandrinus: "Formatur in nobis Christus, Sancto nobis Spiritu divinam quandam formam per justificationem et justitiam inducente."[3]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

177. *Obj.* 1. S. Paulus ait: "Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam."[4] In quæ verba notat Calvinus: "eos quibus justitia imputatur justificari: quando hæc duo a Paulo tamquam synonyma ponuntur. Unde colligimus, non disputari quales sint in se homines, sed quo loco Deus ipsos censeat."[5]

178. *Resp.* Apostolus de justitiæ natura ibi non agit, sed de ejus causa, vel conditionibus ad eam assequendam: ostendit, scilicet, Abraham nullo opere eam meruisse, sed fidem ejus a Deo acceptatam rationem justitiæ habuisse, scilicet instar operis virtutis habitam esse.[6] De justitia Christi imputata Abrahæ nihil eo loci dicit Apostolus, uti Bloomfield, post Macknight, fatetur.[7] Intuitu quidem Christi meritorum, Deus fideles rite dispositos justos facit, gratiæ dona largiendo: quapropter in se justi fiunt, donante Deo, qui eos quales sunt censet, deletis prioribus delictis, et gratia misericorditer concessa.

179. *Obj.* 2. "Inveniar in illo, *(Christo)* non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide."[8] Omnis propria justitia lgitur excluditur.

(1) L. i. contra 2 ep. Pelag. c. xiii.

(2) L. i. de pec. mer. et remiss. c. ix.

(3) L. v. in Isaiam.

(4) Rom. iv. 3.

(5) In locum.

(6) "Deus hoc ita in bonam partem accepit, ut Abrahamum præmiis afficiendum existimaret." Rosenmuller in loc.

(7) "Neither here, nor in Gal. iii. 6, is it said that Christ's righteousness was imputed to Abraham, so neither is it said any where that Christ's righteousness is imputed to believers." Macknight in loc. "Indeed it may be thought strange, how some men have made this so fundamental an article of their faith, which is so contrary to the whole strain of the Gospel: a thing which Christ in none of all his *sermons* and *gracious speeches* ever *willed* any to rely upon; always recommending to us works, as instrumental in our justification. And the more it is to be admired at, because that sentence or term, (so frequently in their mouths, and so often pressed by them, as the very *basis* of their hope and confidence,) to wit: the imputed *righteousness of Christ* is not to be found in all the Bible, at least as to my observation." Barclay's Apology, Prop. viii. § vii. pos. i.

(8) Phil. iii. 9.

180. *Resp.* Utique in Christo, credendo in ipsum eique obtemperando, justitiam consequimur, quæ ex Deo est, nobisque ejus dono communicatur: "ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur."[1]

181. *Obj.* 3. Apostolus docet "quod Deus homines justificet, peccatum non imputando."[2] "Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum."[3] Et alio loco: "Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum."[4]

182. *Resp.* Non omnem justificationis effectum Apostolus semper recenset, sed unum alterumve, pro occasione. De remissione peccatorum objectis locis præcipue agit, dicitque Deum non imputare peccata, quæ, scilicet, misericorditer delet. Hinc alias dicit fideles ablutos, et sanctificatos, et justificatos, ἀπελούσασθε, ἡγιάσθητε, ἐδικαιώθητε.[5]

183. *Obj.* 4. Ad Christum omnem fidelium justitiam refert Apostolus: "Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio."[6]—"Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso."[7] Igitur propter Christum justi habemur, quamvis omni vera justitia carentes.

184. *Resp.* Christus est nobis omnis gratiæ et doni causa, per ipsum quippe omnia divinitus nobis dantur, nosque coram Deo justi efficimur, quæ vis est verborum Apostoli. Libenter agnoscimus eum justitiæ omnis causam, "nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri."[8] Sed ejus virtus in eo maxime elucet quod veram consecuti simus justitiam in illo.

185. *Obj.* 5. Queritur Apostolus de iis qui justitiam propriam statuere quærunt. "Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti."[9]

186. *Resp.* Apostolus de Judæis loquitur, qui per opera legis Mosaicæ, absque fide in Christum, se salutem assequi posse confidebant, contra divinæ sapientiæ consilia. Nos verò justitiam Dei prædicamus; gratiam enim omnem a Deo, intuitu meritorum Christi, dari profitemur, nec ullam

(1) Aug. l. de Sp. et lit. c. ix. n. 15.
(2) Calvin in Rom. iv. 6.
(3) Rom. iv. 6.
(4) II. Cor. v. 19.
(5) I. Cor. vi. 11. "This *(justified)* here understood, must needs be *a being really made just*, and *not a being merely imputed such;* else *sanctified* and *washed* might be reputed a being *esteemed* so, and not a being *really* so; and then it quite overturns the whole intent of the context." Barclay's Apology, Prop. vii. § vii. pos. i.
(6) I. Cor. i. 30.
(7) II. Cor. v. 21.
(8) Act. iv. 12.
(9) Rom. x. 3.

nostram justitiam statuimus, quam enim ab illo accipimus, illius, non nostra est.

187. *Obj.* 6. Sententia de justitia inhærente superbiam fovet.

188. *Resp.* Nequaquam, quum a Deo accepta agnoscatur juxta Apostoli monitum: "Quid autem habes quod non accepisti? Si autem acceperis, quid gloriaris quasi non acceperis?"[1] Præterea "habemus thesaurum istum in vasis fictilibus."[2] Timor igitur est ne culpa nostra tanto bono privemur. Grato autem animo semper nos esse oportet Deo, qui ostendit "abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu."[3] Qui justitiam in extrinseca imputatione constituunt, detrahunt divinæ gloriæ, quæ non ita splendet in poena remittenda, ac in macula ipsa delenda, et cælesti muneris datione.[4]

189. *Obj.* 7. Nec Deus, licet omnipotens, potest efficere ut peccator haud peccaverit: igitur tantum eum habere poterit justum alienæ justitiæ ergo. Ita Macknight.[5]

190. *Resp.* Potest Deus delere labem qua se inquinaverat peccator, et animam donis cælestibus ornare. Quæ admiserat peccata eo sensu tolluntur, quod maculæ veluti abstergantur. Quis negaverit hanc animæ mutationem a Deo induci posse, ut sublato peccandi affectu, peccati etiam reatu et macula, anima donis augeatur, ob quæ justa et sancta habeatur et sit: "Videte" inquit Joannes, "qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus."[6]

191. *Obj.* 8. Justificatio, juxta vim vocis, *vindicias* significat, quæ peccatori non conveniunt, nisi venia data delicti: venia autem nullam animæ mutationem inducit.

192. *Resp.* Non vocis vis attendenda est, sed Scripturarum novi Testa-

(1) I. Cor. iv. 7.

(2) II. Cor. iv. 7.

(3) Eph. ii. 7.

(4) "Let them have a care *(scribit Forbesius, Pseudo—Episcopus Edinburgensis, Protestantes alloquens)* lest by too great and empty subtilty, unknown both to the Scriptures and the Fathers, they lessen and diminish the weight and dignity of so great and divine a benefit, so much celebrated in the Scripture, to wit—justification of the wicked. For if to the formal reason of *justification* of the ungodly doth not at all belong his *justification*, (so to speak) i. e., his being made righteous, then in the justification of a sinner, although he be justified, yet the stain of sin is not taken away, but remains the same in his soul as before justification. And so, notwithstanding the benefit of justification, he remains as before unjust and a sinner; and nothing is taken away, but the guilt and obligation to pain, and the offence and enmity of God through non-imputation. But both the Scriptures and Fathers do affirm, that in the justification of a sinner, their sins are not only remitted, forgiven, covered, not imputed, but also taken away, blotted out, cleansed, washed, purged, and very far removed from us, as appears from many places of the holy Scriptures." Consid. Modest. de Just. l. 2. § 8.

(5) In Rom. iv. 3.

(6) Joan. iii. 1.

menti usus: agitur enim de dogmate christiano. Constat autem S. Paulum justificatos dicere fideles, eo quod abluti a peccatorum sordibus, et sanctitatis dono ornati erant.[1] Mirum non est vocem a forensi usu ad dogma divinum designandum traductam vim habere longe majorem: homines enim justificant qua valent ratione, innocentiæ ferendo sententiam; Deus autem quomodo ei convenit, ipsam tollendo peccati maculam, et pœnitenti largiendo gratiæ munus.[2] Consueverunt autem scriptores veteres, juxta Möhleri sapientem animadversionem, exteriora indicia pro intima rei natura, quæ per ea se prodebat, usurpare: ideo justificatio seu absolutio, qualis reis coram tribunalibus contigit, pro peccati remissione et gratia quam supremus judex largitur, reum justum efficiendo, adhibita est.[3]

(1) "Justification is both more properly and frequently in Scripture taken in its proper signification for making one just, and not reputing one merely such, and is all one with sanctification." Barclay's Apology, Prop. vii. Expl. v. Pos. ii.

(2) "Whensoever the Scripture makes mention of the justification before God, as speaketh *Paul*, and from him, (besides others,) *Augustine*, it appears that the word *justify* necessarily signifies not only to pronounce just in a law sense, but also really and inherently to make just; because that God doth justify a wicked man otherwise than earthly judges. For he, when he justifies a wicked or unjust man, doth indeed pronounce him as these also do; but by pronouncing him just, because his judgment is according to truth, he also makes him really of unjust to become just." William Forbes in consider. Modest. de just. lib. 2. § 8.

(3) "Die Alten pflegen die Form, in welcher das innere in die Erscheinungswelt tritt, und nach Aussen sich offenbart fur das Innere selbst zu setzen, weil dieses in seiner Form verborgen zu Tage gefordert wird." Symbolik i. b. iii. Kap. § 13.

J. E. Grabe in Bulli opus, "harmonia Apostolica" dictum, scribens, animadvertit "forensem verbi δικαῦν significationem" quam propugnat Bullus, non perpetuam prorsus in S. literis esse. "Nam et altera significatio, qua *purgare a peccatorum labe*, sive *a vitiis animum liberare* denotat, identidem reperitur." Inter plura loca adnotat illud Apostoli: "*ut peccatis mortui, justitiæ vivamus*, procul dubio sensum exprimunt verbi *justificare;* quod idcirco hoc loco de justitia inhærente, tamquam eximio fructu in ligno crucis ex passione Christi nato, accipiendum esse patet." Ad c. i. 2. Annot.

CAPUT VI. DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

193. Gratuitam esse justificationem constanter docet Ecclesia, Paulum magistrum secuta; "gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur."[1] Quomodo autem adulti ad eam præparentur explicat Tridentinum Concilium, scilicet fide, timore, spe, dolore, proposito, et dilectione Dei tamquam fontis omnis justitiæ.[2]— Gratis justificari fideles docuit Lutherus alio prorsus sensu, quod scilicet Deus credentibus Christi imputet justitiam; credentium verò nomine intellexit eos qui firmiter sibi persuasum habent, sibi justitiam Christi imputari. Summam rei Christianæ in doctrina de justificatione suo modo explicata posuit: "in hoc articulo sita sunt, et consistunt omnia, quæ contra Papam, diabolum, et universum mundum in vita nostra docemus, testamur, et agimus."[3] In colloquiis symposiacis dicebat: "Si hæc doctrina exciderit actum est de nobis."[4] Calvinus electos tantum justificari docuit, fide concepta se in Christo ad gloriam gratis prædestinari.

194. Jactanter, pro more, Lutherus fidem solam requiri dixit, adeo ut credenti nulla possint obesse delicta;[5] quod durius dictum, alii mitigarunt, dicentes fidem alias virtutes, veluti fructus, ferre, quæ tamen justificationem sequantur. Hæc apud plerosque recentiores obtinuit loquendi ratio. Anglicani affirmant doctrinam esse maxime salutarem, et consolationis plenam, quod fide sola justificemur; attamen bona opera fructus fidei, post justificationem, agnoscunt.[6] Presbyteriani docent fidem unicum esse justificationis instrumentum, sed in homine justificato solam haud esse, quum eam semper comitentur cæteræ omnes gratiæ salutares.[7] Hæc consona sunt Calvini placitis: "pœnitentiam verò non modo fidem continuò subsequi,

(1) Conc. Trid. Sess. vi. cap. 8.

(2) Ib. cap. vi.

(3) Cit. a Jo. Georgio Walchio in introd. ad libros Symbolicos Lutheranæ Ecclesiæ l. i. c. v. de articulis smalcaldicis § xi.

(4) Cit. a Möhler, Symbolik c. iii. § x. "fällt aber die Lehre, so ist es mit uns gar aus."

(5) "Pecca fortiter, sed fortius fide," scripsit Lutherus ad Melanchtonem t. i. ep. ed. Georgii Cæl. p. 345.

(6) Art. xi. "That we are justified by faith only, is a most wholesome doctrine, and very full of consolation." Art. xii. "Good works are the fruits of faith, and follow after justification."

(7) "Faith, thus receiving and resting on Christ and his righteousness, is the alone instrument of justification; yet it is not alone in the person justified, but it is ever accompanied with all other saving graces, and is no dead faith; but worketh by love."— Presbyterian Confession, ch. xi.

sed ex ea nasci, extra controversiam esse debet."[1] Presbyteriani hodierni dicunt electos fide complecti Christum, et ejus justitiam, et in eo inniti, adeo ut ejus obedientia et satisfactio eis imputetur, quin ipsa fides vel obedientia iis, tamquam eorum justitia, imputetur.[2] *Quakeri* opera bona ad justificationem omnino necessaria esse affirmant, tamquam *causam sine qua non* justificamur, sed non *propter quam* justificatio nobis contingit.[3] Fidem autem intelligunt firmam fiduciam Dei promissionum, qua Deo interius loquenti fidimus, et res sperandas apprehendimus.[4] Cæterum quum vix sit inter Protestantes qui justificationem vindicet homini peccato adhærenti, hanc controversiam facile componi posse censemus, si *status quæstionis* rite intelligatur, et absit litigandi libido: Catholici scilicet fidem, timorem Dei, dolorem de peccatis, dilectionem Dei tamquam fontis omnis justitiæ, non habent veluti causas justificationis, sed tantum dispositiones necessarias. Ad opera bona quod attinet, ea scilicet quæ merentur vitam æternam, nulla agnoscimus ante justificationem; quæ postea fiunt, eam habent virtutem ex Christi gratia, per quem Patri offeruntur.

195. Contra grassantes suo tempore errores Concilium Tridentinum plures edidit canones: "Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit."—"Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur, anathema sit."—"Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, et indispositionis, peccata sibi essa remissa, anathema sit."—"Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod, se absolvi, ac justificari certò credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit."[5]

(1) Inst. l. iii. c. iii. n. i.

(2) "Those whom God effectually calleth, he also freely justifieth; . . . not for any thing wrought in them, or done by them, but for Christ's sake alone: not by imputing faith itself, the act of believing, or any other evangelical obedience to them, as their righteousness; but by imputing the obedience and satisfaction of Christ unto them, they receiving and resting on him and his righteousness by faith; which faith they have not of themselves, it is the gift of God." Presbyt. Confess. c. xi. n. i.

(3) "Since good works as naturally follow from this birth, as heat from fire, therefore are they of *absolute necessity to justification*, as *causa sine qua non*, i. e. though not as the cause for which, yet as that in which we are, and without which we cannot be justified." Barclay's Apology, Prop. vii. Expl. v. Pos. 3.

(4) Prop. ii. §. viii.

(5) Sess. vi. can. 9. 12. 13. 14.

PROPOSITIO.

Sola fide impius non justificatur.

Probatur I. ex Scripturis.

196. Apostolus Jacobus: hæc habet: "Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? . . . Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. . . . Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis; et dæmones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nonne operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; et ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. . . . Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est."[1] Hæc certe illustratione non indigent, quum clara sint et aperta. Quod autem ait Calvinus: "in hoc genus hominum, qui fallaci prætextu impie fidem profanant, invehitur Jacobus;"[2] pugnat cum tota oratione; nam fidem veram esse concedit Apostolus, sed mortuam ob operum defectum. Vim testimoniorum novit Lutherus, qui nullum evadendi locum superesse videns, epistolam *stramineam* vocavit.[3]

197. Aliarum præter fidem dispositionum necessitas probatur plurimis Scripturæ locis: "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum."[4] "Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum."[5]

Probatur II. ex Patribus.

198. S. Chrysostomus: "Ne fideles sola fide se salvari posse confidant."[6]

199. S. Augustinus: "A fide incipit homo, sed quia dæmones credunt et contremiscunt, necesse est addere spem et charitatem."[7]

Lutherus fassus est se Patres sibi habere adversarios: "Ego neminem scio qui de fide et operibus recte judicare potuerit, exceptis Apostolis."[8]

(1) Jac. ii. 14.

(2) Inst. l. iii. c. ii. n. 12.

(3) "Luther, to show his contempt of it, called it a *strawy* or *chaffy* epistle." Macknight in præf. In præf. primæ editionis Bibliorum a Luthero factæ anno 1525, Wittebergæ. Watts, *in Logica*, aliique passim fatentur Lutherum ignorasse quomodo Jacobi testimonia cum suis placitis componi possent.

(4) Act. ii. 38.

(5) I. Cor. xiii. 2.

(6) Hom. vii. in Mat.

(7) Serm. vi. n. 6. de verbis Apostoli.

(8) In brevi confess. de Sacr.

200. Accedit ratio theologica, quod scilicet sententia de sola fide justificante vix cum sanctitate morum componi possit, quum quis jubeatur imprimis certò se credere justificatum, Christi meritorum ergo; virtutibus cæteris, veluti arboris fructibus, nonnisi post justificationem secuturis. "Neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus, sed sola fides est medium, et instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi, et remissionem peccatorum, quæ bona nobis in promissione Evangelii offeruntur, apprehendere et accipere possumus." Ita in libro Lutheranorum symbolico legitur.[1] Novimus Calvinum aliosque virtutes cæteras necessariò comitari fidem docere; sed fidem de justitia Christi nobis imputata simpliciter concipiendam dicunt, nulla ad eas virtutes habita relatione. Quomodo autem poterit quisque se credere justificatum, antequam eum delictorum pœnituerit?

OBJECTIONES.

201. *Obj.* 1. Apostolus frequentissime sola fide nos justificari dicit. "Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis."[2]—"Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei."[3]—"Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis."[4]

202. *Resp.* In eo totus erat Apostolus ut fidelibus, præsertim ex Judaismo conversis, ostenderet justos nos constitui, non ritu aliquo vel opere legis, sed fide in Christum, gratia ejus et meritis. Fides igitur radix est et causa justificationis, quamvis et pœnitentiam et alias virtutes comites et pedissequas necessariò postulet. Numquam dicit Paulus *sola* fide quemquam justificari; sed meritò dicit per fidem id contingere, quum absque ea nemo justificetur, et ea sit fundamentum cæterarum ad justificationem dispositionum. Sic mulieris peccatricis fidei venia tributa est, eo quod dilectionem vehementem, cum animi dolore, excitaverit.[5] Abrahæ etiam fides obedientiam peperit, quæ Deo maxime fuit grata.[6]—Qua ratione Pauli de fide absque operibus doctrina cum Jacobi de fide cum operibus conjuncta concilianda sit, ipsius Abrahæ exemplo ostendit Augustinus; obedientia scilicet quam præstitit non erat opus legis, nondum enim lex

(1) Solida et plana declaratio art. 3.
(2) Rom. iii. 27.
(3) Rom. iv. 5.
(4) Gal. ii. 16.
(5) Luc. vii. 47.
(6) Gen. xxii. 16.

Mosaica data erat, sed ex fide orta est, ideoque ex ea totam suam virtutem derivavit. "Non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli et Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur."[1]—"Homines non intelligentes quod ait Apostolus . . . putaverunt eum dicere homini sufficere fidem . . . etiamsi opera bona non habeat, quod absit ut sentiret vas electionis."[2] Hæc Augustinus.

203. *Obj.* 2. Christus fidei vitam æternam tribuit: "Qui credit in Filium, habet vitam æternam."[3]

204. *Resp.* Habet vitam æternam, scilicet spe: "spe enim salvi facti sumus."[4] Fides est vitæ æternæ principium et pignus certissimum ei qui ejus obtemperat dictaminibus. Qui credit autem dolere debet de peccatis, ut veniam consequatur;[5] et per dilectionem operari, ut salvus sit. Meritò autem vita æterna fidei adscribitur, quum subsidia præbeat quibus comparetur.

205. *Obj.* 3. Dicit Christus: "Crede tantum et salva erit."[6]

206. *Resp.* Eo loci jubet Christus ut puellæ mortuæ pater credat eam resuscitandam. De justitia assequenda non agitur.

207. *Obj.* 4. Philippus fidem tantum ab eunucho exegit, ut ei baptismum administraret: "Si credis ex toto corde, licet."[7]

208. *Resp.* Fidem utique exegit, quæ tamen pios animi affectus conjunctos haberet, eunuchus enim vir erat religiosus, qui Hierosolymas adoraturus advenerat, et sacris scripturis meditandis, dum reverteretur domum, dabat operam.

209. *Obj.* 5. Origenes Apostoli de fidei justificatione doctrinam sic exponit: "Dicit sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuit expletum."[8]

210. *Resp.* Mens Origenis est justificationem contingere ante opera virtutis peracta; sed animi virtutes fidei conjunctas dispositiones esse necessarias omnino intelligit; quod exemplis peccatricis et latronis, quæ citat, ostenditur. "Puto," inquit, "quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est, profectus verò et augmenta ædificii, spes; perfectio autem et culmen totius operis, charitas."[9] "Credentibus quidem Christo,

(1) L. 83. quæst. q. 76.
(2) Lib. de gratia et lib. arb. c. 7.
(3) Joan. iii. 36.
(4) Rom. viii. 24.
(5) Act. ii. 28.
(6) Luc. viii. 50.
(7) Act, viii. 37.
(8) In c. iii. ep. ad Rom.
(9) In c. iv. ep. ad Rom.

nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis, fides reputari non potest ad justitiam."[1]

211. *Obj.* 6. Hilarius dicit: "fides enim sola justificat."[2]

212. *Resp.* Integra recitata sententia mens sancti doctoris patebit: "Movet Scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Jesu Christo contuebantur. Et remissum est ab eo quod lex laxare non poterat; fides enim sola justificat." Fidei igitur soli tribuitur justificatio, non ut virtutes dispositionesque aliæ excludantur, sed ut legis infirmitas ostendatur.

213. *Obj.* 7. S. Ambrosius, vel alius antiquus auctor Commentarii in epistolam ad Romanos, ait: "Justificati sunt gratis quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt, dono Dei."[3]

214. *Resp.* Auctor ille docet justificationem non contingere vi operum, sed sola fide, quam tamen per dilectionem operari intelligit, ait enim: "Magna res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile: sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, et conversari digne Deo."[4]

215. *Obj.* 8. S. Chrysostomus dicit: "Eum qui operatur opera justitiæ sine fide, non possum probare vivum esse: fidelem absque operibus possum probare et vixisse, et regnum cælorem assecutum. Nullus sine fide vitam habuit; latro autem credidit tantum, et justificatus est."[5]

216. *Resp.* Opera absque fide certe non valent: fides sola absque operibus valet, eo scilicet sensu, quod ipsa bene agendi voluntas, ex fide orta, pro re ipsa a Deo acceptetur. Cæterum exemplum latronis humilem suæ indignitatis sensum, studium pro Christi patientis honore, precesque enixas effusas, fidei conjunctas ostendit.

217. *Obj.* 9. S. Augustinus dicit: "Sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint; sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum."[6]

218. *Resp.* Totus est Augustinus eo in libro ut ostendat opera esse necessaria ad salutem; sed nulla prodesse docet quæ ex fide non oriantur, et a justo homine non fiant. Per fidem autem justificari quemque dicit obvio plane sensu, quod hæc necessaria omnino sit, et valeat, etiam operibus legis non præcedentibus, dummodo humilitatem, pœnitentiam, et bene agendi firmum propositum conjuncta habeat. "Excutiendum est," inquit, "a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam

(1) In c. iv. ep. ad Rom.
(2) Cap. 8. in Mat. n. 6.
(3) Comm. in c. iii. ep. ad Rom.
(4) Comm. in c. iv. ep. ad Heb.
(5) Hom. de fide et lege naturæ.
(6) Lib. de fide et operibus c. 14.

obtinendam sufficere fidem putaverint, bene autem vivere, et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint."[1]

219. *Obj.* 10. S. Bernardus ait: "Quisquis pro peccatis compunctus esurit, et sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, et solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum."[2]

220. *Resp.* Eo ipso loco compunctionem cum magno justitiæ desiderio unà cum fiducia divinæ misericordiæ ad justificationem disponere innuit mellifluus doctor, uti verba objecta ostendunt. Id etiam liquet ex aliis locis ejus operum, ait enim: "Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actis." . . . "Vides quod non facit hominem rectum fides etiam rectu, quæ non operatur ex dilectione? . . . Si ergo nec fides sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem: nos qui in Christum credimus, fratres, rectas studeamus facere vias nostras, et studia nostra."[3]

221. *Obj.* 11. Justificatio gratuita jam non erit, si eæ animi dispositiones requirantur: igitur Dei misericordiæ et Christi redemptioni detrahetur.[4]

222. *Resp.* Verbis Tridentini Concilii: "gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur."[5] Nihil derogatur Dei misericordiæ vel. copiosæ Christi redemptioni; nam libenter agnoscimus pœnitentiam, aliosve pios animi affectus, ex mera Dei misericordia acceptari, intuitu Christi meritorum, ut deleantur quæ admisimus delicta.

(1) Lib. de fide et operibus c. 14.
(2) Serm. xxii. in Cantica.
(3) Serm. xxiv. in Cantica.
(4) Rom. iii. 24.
(5) Sess. vi. c. 8. Decr. de justif.

CAPUT VII. DE FIDE JUSTIFICANTE.

Sect. I. De fiducia peccatorum remissionis.

223. Juxta Lutheranos: "illa fides quæ justificat, non est tantum notitia historiæ, sed est assentiri promissioni Dei, qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum, et justificatio est velle et accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum, et sanctificationis."[1] Haud absimilia tradit Calvinus: "Nunc," inquit, "justa fidei definitio nobis constabit, si dicamus esse divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris, et obsignatur."[2] Eadem ex sectarum confessionibus colliguntur."[3] Fidem igitur *promissionum* a fide *historica*, quam dicunt, distinguentes, illam præsertim requiri, ut quis justificetur, dicunt. *Amici* seu *Quakeri*, Spiritui intus loquenti credentes justificari affirmant, licet ignorare contigerit *historiam* de Christi redemptione, quæ tamen mentis assensu excipienda est, quandocumque ea fuerit declarata, seu promulgata.[4] Sectarii plerique in his regionibus in eam fidei notionem conveniunt, sententias varias de plurimis doctrinæ capitibus haud obstare justitiæ, et saluti censentes, dummodo certò quis persuasum habeat sibi Christi merita ad justitiam imputari. Catholici e contra fidem qua assentimur omnibus quæ Deus revelavit, ad justificationem nos disponere tenent, rejicientes, veluti temerariam, et præsumptionis plenam, eam certam fiduciam qua quis se justificari credit. Concilium Tridentinum definivit: "Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam justitiam solam esse qua justificamur; anathema sit."[5] Catholicam de justificatione doctrinam Evangelio facile conciliari agnoscunt Oxonienses.[6]

(1) Apologia Confess. Aug. art. 2. de justif.

(2) Inst. l. iii. c. ii. n. 7.

(3) "By this faith, a Christian believeth to be true, whatsoever is revealed in the word, ... but the principal acts of saving faith, are accepting, receiving, and resting upon Christ alone for justification, sanctification, and eternal life, by virtue of the covenant of grace." Presby. Confess. ch. xix. 2.

(4) "We do also believe that it is the duty of every one to believe it to whom it pleases God to reveal the same, and to bring to them the knowledge of it; yea we believe it were *damnable unbelief* not to believe it when so declared." Barclay's Apology, Prop. v. and vi. § xv.

(5) Sess. vi. Can. xii.

(6) Allowing such explanations (*of the exact meaning attached to words,*) "I am inclined to believe that there is nothing in the Tridentine statements which cannot be

PROPOSITIO.

Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est illa fiducia divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, qua quis credit, certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa.

Probatur I. ex Scripturis.

224. Christus Apostolos mittens dixit: "Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit."[1] Fides igitur ad salutem necessaria ea est qua Evangelio creditur: Evangelium autem omnia quæ tradidit Christus complectitur, uti liquet ex loco *parallelo:* "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis."[2] Ergo non promissiones tantum, sed omnia revelata fides respicit.

225. Joannes Evangelicam narrationem se scripsisse dicit, ut fides de Christo Filio Dei, ad vitam profutura, foveretur: "Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus."[3] Fides hæc promissionem veniæ non respicit, sed dogma de Christi divinitate: quod proinde ad vitam assequendam ducit.

226. Paulus Apostolus eandem fidei salutaris dat notionem: "Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris."[4]—"Justus autem meus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus substractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. . . . Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. . . . Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit."[5] Hæc plane est fides dogmatica, quæ non res sperandas et Deum remuneratorem tantummodo respicit, sed et mundi creationem, et Christi resurrectionem, et omnes res revelatas. His omnibus assensus ad vitam et salutem requiritur.

227. *Probatur II. ex Patribus*, qui fidem pro assensu revelatis omnibus veritatibus passim usurpant, de illa fiducia et certa persuasione silentes.

fairly reconciled with the Gospel doctrine." *Perceval on Roman Schism*, p. 365. Hic cum Oxoniensibus fere consentit. Newman ex eorum numero agnoscit Tridentinam doctrinam, quousque explicetur, veram esse, quamvis non plenam. *On Justification.*

(1) Marc. xvi. 15.
(2) Matt. xxviii. 19.
(3) Joan. xx. 31.
(4) Rom. x. 8. 9.
(5) Heb. x. 38.

S. Augustinus ait: "Est fides et præteritarum rerum, et præsentium et futurarum."[1]—"Nostra fides, hoc est, Catholica fides, justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit: quia justus ex fide vivit."[2]

228. S. Leo: "Hoc est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, et vera Deitas, et vera credatur humanitas."[3]

229. *Accedit ratio theologica.* Nemo potest infallibili certitudine credere peccata sibi remissa, nisi Dei innixus revelatione: atqui nulla existit revelatio *specialis* peccata alicujus esse remissa; imo nec *generalis* est ulla revelatio peccata remitti illis quibus certo persuasum fuerit ea sibi remitti. Præterea de sua pœnitentia nemo infallibiliter certus est; ergo nec de remissis sibi peccatis, nam Deus nonnisi pœnitentibus veniam indulget. Præclare hæc exponit Bossuetius.[4] Id insuper non prætermittendum, in symbolis antiquissimis temporibus usurpatis, de fide illa sileri quæ tamen Luthero est basis ac fundamentum rei christianæ.

OBJECTIONES.

230. *Obj.* 1. Fides ab Apostolo definitur fiducia rerum sperandum:[5] Εστι δὲ πιστις ελπιζομένων ὑπόστασις.[6] Certissima quippe persuasio apprehendit divinas promissiones, et earum nos facit participes.

231. *Resp.* S. Chrysostomus pulchre eam fidei descriptionem illustrat. "Quoniam ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiam, magis autem eis non tribuit, sed ipsa est essentia eorum: ut puta, resurrectio necdum facta est, et nec dum est in substantia: sed fides facit eam subsistere in anima nostra; hoc est quod dixit substantia."[7] Non dicit Apostolus fidem esse fiduciam de Christi justitia nobis imputata; sed eam docet nobis præsentia veluti sistere quæ speramus, et certissima facere quæ oculis non subjacent: "*argumentum non apparentium*" πραγματων ἔλεγχος ὀυ βλεπομένων. Quæ laudat exempla res revelatas spectant, nullo facto inter promissiones et doctrinas discrimine.

232. *Obj.* 2. Apostolus Abrahami extollit fidem: "qui contra spem in

(1) Enchir. c. viii.

(2) L. iii. contra 2 ep. Pelag. c. 5.

(3) Serm. iv. de Epiph.

(4) Variat. l. i. § xi. Bullus etiam in Harm. Apost. passim.

(5) "Faith is the *confidence* of things hoped for. So our translators have rendered the word ὑποςασις. Heb. iii. 14. But the Greek commentators, taking the word in its etymological meaning, explain the clause thus: Faith gives a present subsistence to the future things which are hoped for." Macknight *in locum*. Animadvertat lector quomodo interpretes Protestantici sacrum textum verterint, suis erroribus studentes.

(6) Heb. xi. 1.

(7) Hom. xii. in ep. ad Hebræos.

spem credidit—in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide."[1] Ergo fiducia et certa promissionum acceptio fides est.

233. *Resp.* Ibi de remissione peccatorum non agitur, sed de prole numerosa Abrahæ promissa: "Contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam." Fides igitur Abrahæ erat assensus Deo, nixus ejus veritate et omnipotentia: "Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis."[2] Fides nostra nititur quoque Dei omnipotentia, quæ in Christo resuscitato manifestata est. Argumentatur Apostolus ex eo quod Abrahæ fides adeo fuerit Deo grata, ut meriti loco habetetur, nos quoque gratos et acceptos habendos, si pari firmitate Dei credamus revelationi. Non tunc cœpit Abraham esse justus,[3] sed agnitus est et ostensus, et novis meritis auctus.

234. *Obj.* 3. Credendi vox plerumque fiduciam denotat in Scripturis:—"Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis."[4] "Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis."[5] "Postulet autem in fide, nihil hæsitans."[6]

235. *Resp.* Fiducia sæpe oritur ex fide, et credendi vocabulum ad utramque exprimendam adhibetur: cæterum dum agitur de fide ad justificationem disponente, assensus revelatis veritatibus imprimis denotatur, cui accedere debet fiducia in Dei misericordia. Hæc autem absoluta non est, vel omnis formidinis immunis, de nostra enim infirmitate et indignitate humiliter sentiendum est. Josaphat viros Juda et habitatores Jerusalem hortatus est, ut vaticinio Jahaziel, de divino auxilio in prælio, fidem adhiberent, et in Domino omnem reponerent fiduciam, subjungens iis quæ objecta sunt verbis: "credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera." Christus ad certam fiduciam, preces nostras audiendas, nos adhortatur,

(1) Rom. iv. 18, 20.

(2) V. 23.

(3) "Eaverba: *et reputatum est illi ad justitiam*, non possunt hoc loco de prima justificatione intelligi, quam Abraham jam consecutus erat multo antea quam seminis futuri repromissionem acciperet." Gazzaniga de gratia, p. ii. diss. ii. c. ii. n. 53. "Hebræi veteres semper cogitando conjungebant facta egregia et præmia; hinc צְדָקָה nunc est factum egregium; nunc id, quod præmio est dignum." Rosenmüller in c. iv, v. 3. ep. Rom.

(4) 11 Par. xx. 20.

(5) Marc. xi. 24.

(6) Jacobi i. 6.

sicut et Jacobus Apostolus. Utroque loco illa commendatur fiducia, quæ fide nititur, omnipotentia silicet et benignitate Dei; sed nihil dicitur quo fidei essentia in certa persuasione peccata sibi reapse dimitti, ponatur.

236. *Obj.* 4. Paralytico dixit Christus: "Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:"[1] Hæmorrhoissæ etiam: "Confide, filia, fides tua te salvam fecit."[2]

237. *Resp. Credendi* vocabulum iis locis haud adhibetur, sed fidendi: θαρσει. Paralytici animum erexit Christus, eum de remissis peccatis certiorem faciens, quin exigeret certam fiduciam, veluti præviam ad veniam dispositionem. Hæmorrhoisa ob egregiam fidem de potestate Christi, cujus vis, tacta ora vestis ejus, manifestaretur, fluxu sanguinis liberata est; sed de remissione peccatorum nil dicitur.

238. *Obj.* 5. Apostolus de Christo loquens dicit: "In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus."[3] "Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi—accedamus cum vero corde in plenitudine fidei."[4]

239. *Resp.* Per fidem habetur utique fiducia, quæ major est pro fidei præstantia. Non ideo fides cum fiducia est confundenda, quam plane distinguit Apostolus, hortans ut in plenitudine fide—ἐν πληροφορία πίστεως accedamus.

240. *Obj.* 6. Promissâ et oblatâ nobis per Christum veniâ, nihil requiritur præter humilem beneficii oblati acceptionem, quæ fit fide.

241. *Resp.* Conditiones divinis promissionibus adnectuntur, quæ nisi impleantur, venia non est speranda. Igitur diligentia magna in iis exequendis ponenda est, et magna habenda est divinæ misericordiæ fiducia. De nobis formidandum, ne ulla ex parte deficiamus.

Sectio II. De Fiducia Electionis.

242. Ex iis quæ disceptavimus facile colligitur fidem qua ad justificationem disponimur non esse certam persuasionem, multo minus cognitionem, se esse a Deo electum et prædestinatum in vitam beatam. Attamen, Calvino si audiamus, "vere fidelis non est nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium benevolumque patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit. . . . . Fidelis, inquam, non est nisi qui salutis securitate innixus, diabolo et morti confidenter insultet."[5]

(1) Matt. ix. 2.
(2) Ib. v. 22.
(3) Eph. iii. 12.
(4) Heb. x. 19.
(5) Inst. l. iii. c. ii. n. 16.

243. Errorem Calvini anathemate percussit concilium Tridentinum: "Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum; anathema sit."[1]

244. Quum *prædestinationis* vox sæpius occurrat, quæ recentiorum hæreticorum usu male sonat, animadvertendum eam, apud scriptores ecclesiasticos et concilia, pro Dei decreto de iis quorum ipse est auctor præcipuus, scilicet de operibus gratiæ et gloriæ, usurpari. Prædestinati igitur intelliguntur electi ad gloriam cælestem: nec interest impræsentiarum inquirere utrum electio meritorum prævisioni præcedat, vel eâ nitatur.

PROPOSITIO.

Fides justificans non est certa persuasio se esse in numero prædestinatorum.

Probatur I, ex Scripturis.

245. Apostolus, Judæorum qui a gratia Dei exciderant exemplo, fideles deterret, ne dono fidei nimis glorientur, tamquam salutis securi: "Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris."[2] Hæc de singulis fidelibus, sicut de universis, vera sint oportet; qui proinde nulli possunt indulgere securitati, quum eorum salus ex perseverantia, quæ illis prorsus incerta est, pendeat. Ergo certa salutis persuasio non est fides illa qua peccatores justificantur, vel justi ab injustis discernuntur.

246. Ad Corinthios scribens, eos hortatus est ad conatus maximos ut salutem assequerentur. Usus est exemplis a ludis quibus assueverunt: "Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis."[3] Abstinendum ideirco innuit ab omnibus quibus enervari possit virtus, athletarum instar: "Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam." Sui ipsius exemplum proponit, qui quamvis ad salutem hominibus annuntiandam divinitus fuerit electus, magnum ponebat studium in suis domandis cupiditatibus, vehementique conatu ad metam tendebat, ne spe salutis excideret. "Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne

(1) Sess. vi. can. xv.
(2) Rom. xi. 19.
(3) 1 Cor. ix. 24.

forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar." Ex Hebræorum historia documenta etiam desumit; iis scilicet universis magna dona sunt concessa, maris alveo iter præbente, manna in cibum cælitus dato, petra aquas fundente; quorum tamen plerique divinam provocarunt vindictam suis sceleribus. Quæ illis contigerant scripto dicit demandata in Christi discipulorum cautelam, quapropter subjungit: "Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat."[1] Ex tota orationis serie liquet nimiam salutis fiduciam cavendam, et insistendum bonis operibus ut spes non sit inanis. Non igitur firma et solida salutis assequendæ persuasio fidei qua justificamur includitur notione.

247. Ad Philippenses scribens, quæ tradiderat documenta in memoriam revocat, studiumque virtutum, ne forte excidant a salute, commendat: "cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate."[2] Igitur fideli timendum est, ne Deo eum ad salutis opera impellenti desit, et ideo a salute excidat.

248. Apostolus Petrus eandem solicitudinem fidelibus commendat, ut salutis spes certa evadat: "Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis."[3] Quamvis autem in hodierno textu Græco *bona opera* haud exprimantur,[4] studium et solicitudo salutis, quæ nonnisi magna nostra diligentia certa nobis futura sit, perspicue inculcantur.—Διὸ μᾶλλον, ἀδελφοὶ, σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι.

249. Angelo Ecclesiæ Philadelphiæ sanctus et verus, Joannis opera, dicit: "Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam."[5] Ergo vita æterna, quæ corona designatur, fideli usque ad mortem promittitur, quin detur cuicumque certitudo se ad mortem usque fidelem permansurum. Fides igitur illam salutis assequendæ certitudinem non affert.

Probatur II. ex patribus.

250. S. Hieronymus incertam esse unicujusque salutem plane tradit: "Ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quamdiu enim vivimus, in certamine sumus; quamdiu in certamine, nulla est certa victoria."[6]

251. S. Augustinus ait: "Quis enim ex multitudine fidelium, quam-

(1) I. Cor. x. 12.

(2) Phil. ii. 12.

(3) II. Pet. i. 10.

(4) Ex contextu bona opera intelliguntur: "they were elect only so long as they were careful to maintain faith and good works." Slade apud Bloomfield in loc. Nota Griesbach διὰ τῶν καλῶνἐργων in aliquibus reperiri codicibus.

(5) Apoc. iii. 11.

(6) Lib. II adv. Pelagianos.

diu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?"[1]

252. S. Bernardus: "Quis potest dicere. Ego de electis sum: ego de prædestinatis ad vitam: ego de numero electorum? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos."[2]

253. Accedit ratio theologica. Ut quis certò credat se esse e numero prædestinatorum, debet niti revelatione divina: at nullibi revelatur singularem aliquem hominem esse prædestinatum; imo nulla datur revelatio fideles omnes esse prædestinatos, quæ si daretur, nemo certus omnino foret se eam habere fidem quæ necessaria est ut quis vere fidelis habeatur.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

254. *Obj.* 1. Apostolus dicit: "Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi."[3] Igitur ex Spiritus sancti testimonio unusquisque fidelis novit se esse Dei filium et hæredem vitæ æternæ.

255. *Resp.* Nullam salutis assequendæ certitudinem Apostolus eo loci indicat, sed eam quam omnes Christiani habent adoptionem filiorum, et spem vitæ, quæ tamen nititur conditione, ideoque subjungit: "si tamen compatimur ut et conglorificemur." In eo est ut ostendat fideles non debere carni obsequi, dixerat enim: "Ergo, fratres, debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei."[4] Morum igitur sanctitatem commendat et urget Apostolus, ea præcipue ratione, quod filii Dei, baptismate scilicet renati, Spiritu Dei agi debeant, ut hæreditatem cælestem consequantur: "Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus."[5] Nullum hic fundamentum nimiæ illius fiduciæ, quam jactant Calviniani, præbetur; sed potius gravis formidinis causa. Sic ad Hebræos scribens, monet ne quis, sua culpa, divinitus oblata hæreditate excidat: "In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus . . . contemplantes ne quis desit gratiæ Dei."[6]

256. *Obj.* 2. Joannes Evangelista fideles scire vult se habere vitam æternam: "Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei."[7]

257. *Resp.* Utique sciunt fideles se habere vitam æternam, scilicet sub-

(1) Lib. de corrept. et grat. c. xiii.
(2) Serm. i. de Septuagesima.
(3) Rom. viii. 16.
(4) Ib. v. 12.
(5) Ib. v. 9.
(6) Heb. xii. 7, 15.
(7) I. Joan. v. 13.

sidia quibus comparetur; hæc enim est vita æterna," inquit Christus, "ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum."[1] Certissima est hæc fidei cognitio, Dei veritate innixa; nemo autem novit se vitam æternam reapse consecuturum, quia vitam ad quam jus credendo comparavit, poterit amittere, vel fidei jactura, vel cupiditatibus indulgendo. Ideo dicit Paulus: "Justus autem meus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ."[2]

258. *Obj.* 3. Apostolus dicit fideles scire suam electionem: "scientes fratres dilecti a Deo, electionem vestram."[3]

259. *Resp.* Loquitur Apostolus eo loci, sicut et alias sæpe, de electione ad fidem, statim enim addit: "quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti." In memoriam scilicet revocat conversionis fervorem, ut eos ad proficiendum urgeat.

260. *Obj.* 4. Dicit Apostolus fideles Spiritu promissionis signari, pignore hæreditatis, ad quam prædestinati sunt, accepto: "in quo *(Christo)* etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus . . . in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ."[4]

261. *Resp.* De vocatione ad fidem loquitur Apostolus, qua scilicet Deus "prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum." Ideo dicit: "in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestræ,) in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto." Quamvis autem prædestinati fuerint fideles, ad fidem scilicet vocati, gratuito et misericordi consilio et decreto Dei, qui gratiam, et Spiritum Sanctum largiendo, pignus dedit insigne hæreditatis, non ideo certi sumus eam nos assecuturos; fieri enim poterit ut culpa nostra discedat a nobis Spiritus; quapropter monet Apostolus: "nolite locum dare diabolo . . . et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis."[5]

262. *Obj.* 5. Apostolus certam persuasionem se esse e numero prædestinatorum prodit: "certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia

(1) Joan. xvii. 3.
(2) Heb. x. 38.
(3) I. Thess. i. 4.
(4) Eph. i. 11.-13.
(5) Ibidem. iv. 27. 30.

poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro."[1]

263. *Resp.* Magna fiducia, potius quam certitudo, Græca voce designatur—πεπεισμαι. Apostolus, Christi amore flagrans, poterat sibi polliceri se, Deo auxiliante, nulla vi, vel potestate, ab eo divellendum. Certitudinem autem omnimodam non potuit habere, nisi ex speciali revelatione, quæ utrum ei facta fuerit non constat. Charitatis vim, quam adversa quæque frangere nequeunt, meritò laudavit: ea quippe adjutrice vincere hostes omnes poterimus, cujus tamen jacturam facere penes nos est. "Ideo unusquisque," monente Augustino, "cavere debet, ne ab ipsius Dei caritate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, si quidem et nos ipsi creatura sumus, a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro."[2]

264. *Obj.* 6. De gloria sibi danda Apostolus tamquam certus loquitur: "reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus."[3]

265. *Resp.* Seposita etiam speciali revelatione, poterat quidem Apostolus maxima cum fiducia de gloria sibi danda loqui; nihil enim erat sibi conscius, sed totus Deo deditus. Hæc tamen fiducia, quæ cum sanctitate vitæ proportionem quamdam servat, a fidei certitudine differt.

(1) Rom. viii. 38.
(2) Aug. l. i. de Moribus Eccl. Cath. c. xii. n. 21.
(3) II. ad Tim. iv. 8.

CAPUT VIII. DE JUSTITIÆ CERTITUDINE.

266. Certitudinem eandem de justitia Christi sibi imputata quemque habere posse, quam de omnibus fidei articulis habet, docuit Lutherus; quem sequitur Melanchton in Apologia pro Confessione Augustana—"Non diligimus, nisi certò statuant corda, quod donata sit nobis remissio peccatorum."[1]—"Hanc certitudinem fidei nos docemus requiri in Evangelio."[2] Calvinus, ut vidimus, salutem eadem certitudine expectandam dixit:[3] male tamen cohærent quæ aliàs dicit: "Nos certe dum fidem docemus esse certam ac securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione, nec securitatem, quæ nulla solicitudine impetatur, quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia; tantum abest ut eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur. Rursum tamen, qualemcumque in modum afflictentur, decidere ac desciscere negamus a certa illa quam de misericordia Dei conceperunt, fiducia."[4] Dordracena Synodus certitudinem fidei definivit;[5] sed cautius de ea loquuntur recentiores, varios ejus gradus recensentes.[6] Bullus, Anglicanus licet, non dissimulat eam esse reformatarum sectarum probrum et dedecus. Verba quibus illud plorat, juvat recitare: "Pergamus jam ad membrum dilemmatis nostri alterum, quod est de fiducia absoluta. Ea vero est talis animi certitudo, qua quis, nulla omnino conditione suspensus, credit, peccata sibi actu remissa esse, seque Deo ad salutem acceptum haberi. Atque de hac absoluta certitudine plerosque omnes reformatarum ecclesiarum Theologos, (præsertim exteros) qui de fiducia tamquam formali actu fidei justificantis loquuntur, intelligendos esse, nimis proh dolor! manifestum est. Fuit hæc doctrina jam a multis annis ipsissimum reformatæ ecclesiæ opprobrium ac dedecus; neque est alia ulla, quam vel magis rideant ac ludibrio habeant, vel severiori stylo exagitent Pontificii. Neque id immeritò; est enim error non levis, error putidissimus, error (pene dixerim) *in fide*. Det tandem

(1) Apol. iv. § 40.
(2) Apol. xii. § 20.
(3) Instit. l. iii. c. 2. § 16.
(4) Ibid. § 17.
(5) Puncto 5.
(6) "This faith is different in degrees, weak or strong; may be often and many ways assailed and weakened, but gets the victory, growing up in many to the attainment of a full assurance through Christ, who is both the author and finisher of our faith." Presbyt. Conf. ch. xiv. 3.

misericors Deus, ut hujusmodi dogmata e nostrorum scriptis, vel saltem catechesibus, in æternum deleantur."[1]

267. Concilium Tridentinum optime docet: "Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum."[2]

PROPOSITIO.

Nemo scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Probatur I. Ex Scripturis.

268. Apud Ecclesiasten dicitur: "Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit."[3] Ex pari rerum eventu, justis scilicet et impiis adversa et prospera æque contingere videntur—"eo quod universa æquè eveniant justo et impio:"[4]—nec alii, nec ipsi justi certo nosse possunt utrum Deo sint dilecti, vel odio habeantur. Nihil dicit sacer auctor ex quo intelligatur hanc tolli incertitudinem interiori Spiritus testimonio. Pulchre Hieronymus textum exponit: "Porro hic sensus est: etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret, quos odisset, et inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant quæ sustinent, an ad supplicium."[5]

269. In Proverbiis legimus: "Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?"[6] In hunc textum scribit Venerabilis Beda: "restat itaque ut sint multi mundo corde, et, juxta humanæ possibilitatis modum, puri a peccato, nec tamen seipse quisquam mundicordem, et immunem a peccato, absqe temeritate pronuntiaverit."[7]

270. Psaltes, Dei legem commendans, se aliquando delinquere, licet haud conscius sit, indicat: "Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me."[8] Hieronymus Apostolum de sua justitia hæsitantem veluti locutum dicit, ob hoc Psaltis testimonium: "Qui hoc dicebat, nullius uti-

(1) Bullus, Harmonia Apostolica, dissertatio prior, c iv. § 6.

(2) Sess. vi. cap. ix.

(3) Eccl. ix. i. Vide vol. i. p. 425.

(4) V. 2.

(5) Hier. in loc.

(6) Prov. xx. 9. Ita Vulgatus interpres. Textus Hebraicus paulo aliter, sed eo lem sensu: מִי־יֹאמַר זִכִּיתִי לִבִּי טָהַרְתִּי מֵחַטָּאתִי "Quis dicet: mundavi cor meum; purificavi a peccato meo?"

(7) Comm. in loc.

(8) Ps. xviii. 13. Heb. xix.

que peccati sibi conscius erat, sed quia legerat: 'Delicta quis intelligit?' idcirco temperabat scientiam, ne forte per ignorantiam deliquisset."[1]

271. Apostolus, nil sibi conscius, divino se servat judicio, veluti formidans ne culpam aliquam Deus in se reperiat: "Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est."[2] Animadvertit Chrysostomus: "Non Corinthios tantam, sed seipsum quoque hoc privat judicio, quod cognitione sua majus habetur."[3] Augustinus etiam: "Quanta abyssus sit audite: tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est: cum enim dixisset: 'Nihil mihi conscius sum,' adjecit, 'sed non in hoc justificatus sum."[4]

272. Patres passim sanctum timorem de divinis judiciis commendant, numquam omnino certam remissionis peccatorum persuasionem. Sic Gregorius Magnus Gregoriæ cubiculariæ Augustæ, quæ revelationem de peccatis sibi remissis cupiebat, respondit: "Secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare."[5] Similia scripserat olim Ambrosius virgini lapsæ.

273. Accedit ratio theologica. Nemo potest certitudine fidei nosse id quod iis suspenditur conditionibus, quas certò nosse nequit impletas: gratiæ autem consecutio pendet ex animi pœnitentia sincera, aliisque conditionibus, de quibus impletis nequimus esse omnino certi.

OBJECTIONES.

274. *Obj.* 1. "Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei."[6] In quæ verba Chrysostomus scribit: "Cum Spiritus Sanctus testatur, quæ tandem est ambiguitas?"[7] Bernardus autem ait: "Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem."[8]

275. *Resp.* Apostolus, ut jam diximus, in eo est ut ostendat Christi fideles sancte se gerere debere, quum filii sint Dei, ideoque ejus spiritu agi debeant. Non dicit Spiritum unicuique testari se esse filium Dei, sed "quod sumus filii Dei," scilicet Christiani omnes suæ vocationis ratione.[9] De hac adoptione, qua Christi discipuli ab Hebræis distinguimur, filii a

(1) Dial. ii. contra Pelag.
(2) I. Cor. iv. 4.
(3) In loc.
(4) In Ps. xli.
(5) L. vi. ep. 22.
(6) Rom. viii.16.
(7) Hom. xiv. in ep. ad Rom.
(8) Serm. i. de Annunt.
(9) Macknight, juxta vim Græcæ vocis, textum reddit: "the spirit itself beareth witness *together with our spirit*, that we are children of God." Alteram versionem non

servis, agit Chrysostomus, Apostoli mentem explicans; et certitudinem testimonii effert, ut dignitatis qua ornati sumus æstimatio æqua habeatur: "Nam" inquit "si vel homo, vel angelus, vel archangelus, vel alia hujusmodi potestas hoc polliceretur, par conveniensque esset nonnullos hæsitare: quum autem summa essentia, et ea quidem quæ hoc largita sit donum, vel ab iis unde preces fundere jussit, nobis testimonium afferat, quis tandem de dignitate ambiget?"[1] S. Bernardus, pro more suo, accommodat Apostoli verba testimonio de peccatorum venia, ut fiduciam, quam sæpius Spiritus Sanctus pœnitentibus impertitur, exprimat. Cæterum non omnem formidinem abesse jubet, ait enim: "Novit Dominus qui sunt ejus: quis verò scit hominum si est dignus amore an odio?"[2]—"Certitudinem non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur."[3] Recens interpres Protestanticus non negat gentium in filios Dei adoptionem ab Apostolo significari.[4]

276. *Obj.* 2. Apostolus dicit scientiam donorum quibus fruimur in Christo, a Spiritu Dei justis dari: "Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis."[5]

277. *Resp.* Agitur eo loci de Spiritus Sancti lumine Apostolis concesso, ut redemptionis mysterium, cæteraque Dei erga homines beneficia cognoscerent, cæteris ea annuntiaturi; ideo subjungitur: "quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus." De uniuscujusque justificatione non fit sermo.

278. *Obj.* 3. "Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ."[6] Ergo, juxta Apostolum, justi certam habent scientiam se Deo esse gratos.

279. *Resp.* De se loquitur Apostolus, et sui muneris exercitio:—"quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo." Habent quidem justi gloriam, ex intimi animi conscientia, quoties nihil sibi sunt conscii: attamen non omnis abest formido, ne ipsa bona opera quæ aggrediuntur, titillatione quadam superbiæ vitientur: ideo Apostoli exemplo edocti, Christi expectant judicium, qui consilia cordium manifestabit. Recte Augustinus animadvertit: "Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum."[7]

rejicit: "provided by *the spirit's witness* we do not understand a particular revelation to individuals, but the common witness which the spirit bears, by producing filial dispositions in the hearts of the faithful." In loc.

(1) Chrys. hom. xiv. in ep. ad Rom.

(2) Serm. ii. de oct. Pasch.

(3) Serm. i. in Septuag.

(4) "By this argument the Apostle proved that the great honor of being the sons of God was not restricted to the Jews." Macknight in loc.

(5) I. Cor. ii. 12.

(6) II. Cor. i. 12.

(7) L. de perf. just. c. xv. n. 33.

280. *Obj.* 4. De Spiritu Sancto dicitur: "Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit." . . . "In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis."[1] Ergo cognoscunt justi se habere Spiritum Sanctum, et Christum.

281. *Resp.* Apostoli, quos allocutus est Christus, cognituri erant Spiritum Sanctum, divino ejus lumine illustrati, ut fidei veritates traderent. Alter locus ad gloriam cælestem refertur, interprete Augustino; "In quo die? nisi de quo ait: *et vos vivetis:* tunc enim erit ut possimus videre quod credimus."[2] Neutrum testimonium certe spectat cognitionem quam singuli fideles de spiritu in eis habitante habituri forent.

282. *Obj.* 5. Apostolus fideles indicat cognoscere Christum in ipsis esse: "Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis."[3]

283. *Resp.* Apostolus provocat Corinthios ut seriò perpendant utrum firmiter in Christum credant, quæ enim apud eos invaluerant mala, gravem de fide eorum integra dubitandi rationem præbebant. Appellat Christi Jesu iis præsentis sua virtute prodigia, quæ haud deesse confidebat, nisi omnino a fide defecissent. Liquet eum agere de vitiis emendandis, et nullatenus de persuasione quam quisque habere posset se justum esse.[4] Reprobi autem *viles*—ἀδοκιμοι—intelliguntur eo loci, uti liquet ex eo quod Apostolus reprobus haberi velit eorum causa: "nos autem ut reprobi simus."[5]

284. *Obj.* 6. Joannes Apostolus sæpius prædicat scientiam quam habent fideles, Spiritus testimonio, de Christo in iis manente, vitamque largiente: —"Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres."[6]—"In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis."[7]—"Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se."[8]

285. *Resp.* Utique dilectio qua fratres complectimur, est nobis indicio satis manifesto vitam cælestem, gratiam scilicet qua Deo vivimus, nobis donatam. Ex donis etiam Spiritus cognoscere licet ipsum in nobis esse.

(1) Joan. xiv. 17-20.

(2) Tract. lxxv. in Joan.

(3) II. Cor. xiii. 5.

(4) "This being spoken to the faction, who were in such a state of wickedness, . . . it cannot be so much as supposed that Jesus Christ was in them, in the sense in which our translators understood that phrase." Macknight in loc.

(5) II. Cor. xiii. 7. "The word ἀδοκιμοι which our translators have rendered *reprobates*, does not admit of that meaning in this passage, as is plain, from the scope of the discourse, and from the apostle's applying that word to himself." Macknight in v. 6.

(6) I. Joan. iii. 14.

(7) Ibid. iv. 13.

(8) Ibid. V. 10.

Cæterum hæc quacumque cognitio non omni caret formidine, quum cordis nostri affectus non semper nobis explorati sint, nec dona vel arcana opera Spiritus Sancti certò innotescant. Apostolus revera non agit eo loci de singulorum persuasione, sed de divinæ religionis origine, argumentis desumptis ex dilectione fraterna quam docet, et ex Spiritus Sancti donis, quæ largiter effusa visa sunt. Qui credit in Filium Dei, hujusmodi motus rationibus, habet testimonium Dei in se, excipit illud scilicet, et divina nititur veritate. De gratiæ vel justitiæ dono hic non agitur.

286. *Obj.* 7. S. Hilarius Pictaviensis ait: "Justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua."[1]

287. *Resp.* De futurorum bonorum spe agit sanctus doctor, et regnum cælorum magna cum fiducia expectandum vult; nec enim justificari possemus, si dubitaremus utrum illa famulos Dei revera maneant: "Contemptum sæculi," inquit "et fiduciam futurorum toto superiore sermone præceperat" *(Christus)*,—"confirmari nos in spem bonorum æternorum laborat . . . regnum cælorum . . . vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari: alioquin justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua."

288. *Obj.* 8. Augustinus dicit: "Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ecce adjuvante ipsius misericordia Spiritum Christi habemus, ex ipsa delectatione justitiæ, integra fide, Catholica fide Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus."[2]

289. *Resp.* Indicia quaedam Spiritus Sancti intus habitantis justis suppetunt, quæ pacem gaudiumque afferunt, nec tamen omnem errandi excludunt formidinem. Catholica fides est fundamentum et ratio tanti gaudii, accedentibus cæteris virtutibus.

290. *Obj.* 9. Injuriam facit Deo, qui dubitat de peccatorum remissione.

291. *Resp.* De Dei misericordia optime sentiendum; sed quum animo pœnitenti et humili venia sit promissa, in his excolendis virtutibus magnum ponendum est studium; et nequid e nostra parte desideretur formidandum est. Nimia illa fiducia, quæ ipsam salutem etiam respicit, Deo injuriosa est, et in hominum perniciem cedit, uti animadvertit Bullus: "Juxta hanc sententiam fiducia et persuasio de electione nostra, quasi primus gradus in scala salutis statuitur, docenturque homines nondum justificati, ante omnem obedientiam suam hanc fiduciam concipere. Sententia tam inepta et absurda ut refutatione prorsus indigna sit; tam verò impia et periculosa, ut omni odio et quovis anathemate sit dignissima."[3]

292. *Obj.* 10. Pax habenda est ad Deum, juxta Apostoli monitum: "Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum."[4]

(1) Comm. in Mat. c. v. n. 6.
(2) Serm. 6. de verbis. Apost.
(3) Bullus Examen Censuræ, Resp. ad Anim. xiii. § 7.
(4) Rom. v. 1.

293. *Resp.* Utique pax nobis suadetur, quum Deus Pater sit benignus, magna in eum fiducia honorandus: sed filius dolet de delictis, quæ numquam satis deflesse se censet, et veretur ne aliquid minus Patri gratum admittat: ea de causa ne justus quidem est omni timore liber. Monet sapiens: "De propitiato peccato noli esse sine metu."[1]—"Beatus homo qui semper est pavidus."[2] Apostolus etiam—"Cum metu et timore vestram salutem operamini."[3]

CAPUT IX. DE JUSTITIÆ AMISSIONE.

Sectio I. De peccandi possibilitate.

294. Jovinianus, exeunte quarto sæculo, docuit "eos qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari, quicumque autem tentati fuerint, ostendi eos aqua, non Spiritu, baptizatos."[4] Hunc cum aliis erroribus damnavit Siricius Pontifex, et concilium Mediolanense anno 391 habitum, S. Ambrosio præside.

295. Lutherus fidei præstantiam adeo extulit laudibus, ut justitiam amitti non posse, quamdiu quis crediderit, aliquando affirmaverit, fidemque servari, inter gravissima crimina; ait enim: "Ita vides, quam dives sit homo christianus; etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas."[5] Scripsit etiam ad Melanchtonem: "sufficit quod agnovimus per divitias gloriæ Dei agnum qui tollit peccatum mundi: ab hoc non avellet peccatum, etiam si millies uno die fornicemur, aut occidamus."[6] Quum autem id palam a suis asseclis cœperit prædicari, ægerrime tulit, et licentiæ morum verbo et exemplis palam patrocinantes vehementer redarguit. "Quum," scribit Walchius, "Lutherus audiret, esse Islebiæ inter ministros verbi divini Casparem Bohemum aliosque, item in regione Lunebergensi et Pomerania, qui crassiora docerent, et negarent fidem adulterio et aliis gravissimis flagitiis amitti, consultum esse existimavit, ut epistolam hanc juris publici faceret,"[7] eam scilicet, qua Agricolæ, *antinomorum* (sic audiebant) ducis, palinodiam referebat. Sanior hæc Lutheri sententia apud plerosque ejus asseclas obtinuit.

296. Jure optimo animadvertit Bullus ex principiis Lutheri pessima

(1) Eccli. v. 6.
(2) Prov. xxviii. 14.
(3) Phil. ii. 12.
(4) Hieronymus l. ii. contra Jovinian.
(5) L. de captiv. Babyl. t. ii. fol. 284.
(6) I. Aug. 1521. cit. ab Audin, Vie de Luther, vol. i. p. 278. Paris 1839.
(7) Introd. ad lib. symb. Luth. l. i. c. vii. § xxi. p. 812.

Antinomorum consectaria necessariò derivari. "Hoc ideo curiosius observandum," *(de lege morum servanda loquens)* "ne errorem erremus, quem Lutherus et post eum nostratium theologorum plerique in disputationibus suis de justificatione contra Pontificios, nimio contradicendi aestu abrepti, in ecclesias reformatas, maximo earum malo, invexerunt: sc. Evangelium ex puris putis promissis constare; Christum dedisse mundo legem nullam: id tantum egisse, ut legem prius latam exponeret, atque à pessimis Scribarum ac Pharisæorum commentis assereret; legis moralis usum eum nunc esse unicum, ut per ipsum homines ad fidem Christi adducantur, vel saltem ut sit arbitraria quædam vivendi regula, a Christo quidem nobis commendata, cui obtemperare ex gratitudine teneamur: nequaquam vero sub periculo animæ aut tanquam conditio novi fœderis ad salutem observatu necessaria, nobis imposita. Ex his principiis, incautius ab iis positis, atque a theologorum vulgo avide arreptis, per necessariam consequentiam deducta, fluxerunt execrabilia Antinomorum, Libertinorum, Familistarum atque ejusdem farinæ aliorum dogmata, de quibus fortasse boni illi viri ne per somnium quidem cogitarunt. Verum utut sit, qui talia docent, et tamen in Libertinos magnis clamoribus vociferantur, quid aliud agunt, quam, ut dum illos damnant, seipsos condemnant? Quippe in præmissas consentiunt, conclusionem tantum respuunt."[1]

297. Quum juxta Calvinum fide apprehendatur Christi justitia in sui electionem, adeo ut fidelis quisque certò credat se esse in Christo ad vitam æternam prædestinatum, inde facile derivatum est placitum de inamissibili justitia.[2] "Hoc interim tenendum est," inquit Calvinus, "quantumvis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suæ adoptionis, numquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam: reprobos verò tali luce aspergi, quæ postea dispereat."[3] Paulo ante dixerat: "in fidem non illuminantur, nec Evangelii efficaciam vere sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem."[4] Electos in peccata etiam graviora labi posse, certitudine suæ prædestinationis haud amissa, satis innuit: "Itaque eodem tempore et iratam sibi, vel peccatis suis, et propitium concipiunt: quia non ficte iram ejus deprecantur, ad quem tamen cum tranquilla fiducia confugiunt."[5]

298. Dordracena Synodus definivit: "Deus . . . Spiritum Sanctum

(1) Bullus in Harmonia Apostolica diss. prior. cap. iii. § 3.

(2) "Hodie autem reformatæ Ecclesiæ doctores idem sentiunt. Concedunt quidem, electos prolabi posse in peccata graviora, quæ efficiant ut fides eorum obscuretur, negant autem eam penitus extingui aut amitti. . . . Detestabilem hunc errorem non potuerunt non amplecti, postquam ad horrendum dogma de absoluto prædestinationis decreto sunt prolapsi." Walchius, introd. ad lib. symb. l. i. c. iii. § xxxi.

(3) Inst. l. iii. c. ii. n. 12.

(4) N. 11.

(5) N. 12.

etiam in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert, nec eo usque eos prolabi sinit, ut a gratia adoptionis, ac justificationis statu excidant."[1] Id tradunt aperte Presbyteriani hodierni.[2] *Quakeri* dicunt ad tantam perfectionem perveniri posse, ut quis in *apostasiam* totalem haud amplius labi valeat.[3]

299. Calvini errores confixit concilium Tridentinum: "Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit."[4] "Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius pecare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum: anathema sit."[5]

PROPOSITIO.

Homo justificatus potest peccare, et gratiam amittere.

Probatur I. ex Scripturis.

300. Apud Ezechielem dicitur: "Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia quam operatus est, morietur."[6] Liquet igitur justum a justitia decidere posse, et in peccato mori.

301. Christus Dominus explicans parabolam seminis ait: "Nam qui super petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent; qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt."[7] Qui igitur vere credunt, animoque gaudenti suscipiunt verbum, aliquando recedunt urgente tentatione: proindeque principium illud Calvinianum, fidem et justitiam amitti non posse, Christi dictis repugnat.

302. Palmitibus discipulos suos assimilavit Christus, quorum aliquos a se divellendos, et in ignem projiciendos, significavit: "Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater;"[8]—"Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ig-

(1) Can. vi.

(2) "God doth continue to forgive the sins of those that are justified: and although they can never fall from the state of justification, yet they may by their sins fall under God's fatherly displeasure, and not have the light of his countenance restored unto them, until they humble themselves, confess their sins, beg pardon, and renew their faith and repentance." Confession of faith, ch. xi. v.

(3) "Such an increase and stability in the truth may in this life be attained, from which there cannot be a total apostacy." ix. Prop. Barclay.

(4) Conc. Trid. Sess. vi. can. xvii.

(5) Can. xxiii.

(6) Ezech. xviii. 26.

(7) Luc. viii. 13.

(8) Joan. xv. 2.

nem mittent."[1] Ergo qui palmes est, vere Christo, fide et charitate, conjunctus, arescere potest, ita ut in ignem mittendus sit.

303. Apostolus Paulus de se ipso dicit: "Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar."[2] Similitudine mutuata ab athletis, affirmat se corpus afflictationibus reprimere, ne posteaquam aliis conditiones pugnæ et præmia annuntiasset, ipse præmio haud idoneus reperiretur. Id certe indicat fieri potuisse, ut Paulus ipse a gratia, justitia, et salute excideret, nisi studium adeo diligens in se domando posuisset.

304. Galatis exprobrat Paulus eos a gratia excidisse: "Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis."[3] De quibusdam affirmat: "circa fidem naufragaverunt."[4] De aliis prædicit: "in novissimis temporibus discedent quidam a fide.[5] De iis loquitur, "qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste; et participes facti sunt Spiritus Sancti,—et prolapsi sunt."[6] Hi procul dubio justi fuerunt, fide præditi, et gratia, quam tamen postea sua culpa amiserunt.

Probatur II. ex Patribus.

305. S. Cyprianus reprehendit lapsos, gratiæ, qua spoliati sunt, amissionem non plorantes: "An ingemiscit et plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, neque indumentum Christi quod perdidit, cogitare?"[7]

306. S. Hieronymus, Jovinianum refellens, ait: "Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum: si peccaverimus, et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, illico Christus recedit. Unde et David post peccatum: Redde mihi, ait, lætitiam salutaris tui, quam scilicet peccando amiserat."[8]

307. Augustinus: Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquamdiu fideliter et juste vivere, et postea cadere, neque de hac vita, priusquam eis id contingat auferri."[9]

308. Accedit ratio. Abhorret ab omni pietatis sensu et rectæ rationis dictamine, ut David adulterii reus, et Petrus, Christo denegato, justi habeantur:[10] ergo justitiam quam acceperant amiserunt, eam nonnisi pœnitentes recuperaturi.

(1) Joan. xv v. 6.
(2) I. Cor. ix. 27.
(3) Gal. v. 4.
(4) I. Tim. 1 19.
(5) I. Tim. iv. 1.
(6) Heb. vi. 4.
(7) Tract. de lapsis.
(8) L. ii. contra Jovinian.
(9) L. de Cor. et grat. c. xiii.
(10) Absurdum illud Protestantibus merito objicit Barclay in Apol. prop. vii. § v. Note: "Those who, according to the common opinion of Protestants, have been converted;

OBJECTIONES.

309. *Obj.* 1. Joannes dicit: "Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum."[1]—"Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est."[2] Igitur quicumque peccat numquam vere Deo renatus est.

310. *Resp.* S. Joannes iis locis sanctitatem qua ornari debet Christi discipulus inculcat. Ait igitur; "Omnis qui in eo manet, non peccat;" scilicet quamdiu in Christo manet, et semen ipsius in eo manet; nec potest peccare, quatenus ex Deo natus est, quia divina illa nativitas ei virtutum, haud vitiorum, est causa. Hæc dicit Apostolus ne quis existimet peccatum grave cum gratia componi posse: "Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis."[3] Cæterum fatetur fieri posse ut Christianus homo in peccatum labatur: "Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum."[4] Hortatur autem ad perseverandum, ne a salute penitus excidamus: "Et nunc filioli manete in eo; ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus."[5] Quod peccatorem dicit non vidisse nec cognovisse Christum, vehemens est ratio demonstrandi cognitionem Christi natam esse ad virtutes omnes producendas: quapropter ex lapsu in vitia, præsertim graviora, infertur non ea rerum Christianarum notitia eum imbutum, quæ ad salutem prosit.[6] Recte Hieronymus Apostoli mentem explicuit: "Propterea, inquit, scribo vobis filioli mei: *omnis qui natus est ex Deo non peccat*, ut non peccetis, et tamdiu sciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis. Immo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt."[7]

311. *Obj.* 2. Verborum esset lusus, seu battologia, si testimonia Apostoli de sanctitatis obligatione intelligantur. Ex aliis autem locis liquet eos qui peccarunt et defecerunt, numquam fuisse justos et fideles; ait enim de quibusdam: "Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum."[8]

whom albeit they confess they persist always in some Misdeeds, and sometimes in *heinous sins*, as is manifest in David's adultery and murder; yet they assert to be perfectly and wholly justified."

(1) I. Joan. iii. 6.

(2) V. 9.

(3) C. ii. 1.

(4) Ibidem.

(5) II. 28.

(6) Consule Tertullianum l. de pudicitia, c. 19. Augustin. in ep. 1. Joan. iii. n. 8. Hieronymum, l. ii. adv. Jovinian.

(7) L. ii. adv. Jovinian.

(8) I. Joan. ii. 19.

312. *Resp.* Verba Apostoli magnam habent vim, ostendunt enim quantopere a peccato alienus esse debeat Christifidelis: "in hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli: omnis qui non est justus, non est ex Deo."[1] Quod autem de apostatis affirmat, indicat fidei firmam indolem, et affectus pietatis vim, qua in Ecclesia conservantur qui vere sunt Christiani, nullis tentationibus subruendi. "Quid est, quæso, non erant ex nobis? Nonne vocati fuerunt, ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis renovati? Sed si audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset: Vera sunt hæc omnia: erant ex nobis; verum tamen secundum aliam discretionem non erant ex nobis."[2] Ita præclare Augustinus.

313. *Obj.* 3. Electi a Deo ante constitutionem mundi, non desinunt diligi, licet in peccatum labantur, eos enim in Christo Deus in salutem excepit.

314. *Resp.* "Odio sunt Deo impius et impietas ejus;"[3] ideo fieri non potest ut homo peccati reus, eique animi affectu adhærens, odio Deo non sit. Quomodo autem Deus eum elegerit ad salutem, non est opus definire, ut res sit explorata eos odio haberi, quamdiu manent peccato inquinati

Sectio II. De fide absque justitia.

315. Admisso peccato fidem perire Lutherani nonnulli censuerunt, fiduciam scilicet veniæ per Christum haberi non posse, quum quis sciens prudensque divinam violet legem, existimarunt. Calviniani fidem adhuc manere affirmarunt, quæ scilicet vera fuerit; fatebantur enim contingere ut plures se fide præditos crediderint, suo decepti spiritu. Catholici e contra fidei nomine intelligentes assensum veritatibus revelatis, negabant fidem necessariò cum justitia amitti; quamvis eam amitti posse, rejiciendo scilicet divinum aliquod dogma, non diffiterentur. Tridentini Patres novatorum figmenta anathemate damnaverunt: "Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum anathema sit."[4]

Propositio.

Fides vera manere potest, et reapse sæpe manet, amissa peccato justitia et gratia.

Probatur I. ex Scripturis.

316. S. Paulus dicit: "Si habuero omnem fidem ita ut montes trans-

(1) I. Joan iii. 10.
(2) L. de dono persev. c. 8.
(3) Sap. xiv. 9.
(4) Sess. vi. can. xxviii.

feram, charitatem autem non habuero, nihil sum."[1] Ergo fieri posset ut quis eximiam haberet fidem, etiam qua miracula patraret, licet careret charitate, amissa, quam in baptismo accepit, justitia.

317. Consonum id est ipsius Christi Domini dictis, quibus certiores efficimur quosdam qui miracula, ejus nomine invocato, patrarunt, ob mala opera damnandos: "Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem."[2] Liquet eos credere in Christum, eumque invocare, et egregia fidei documenta, miraculis et vaticiniis, dare, quamvis justi non sint, vel saltem in justitia haud perseveraverint.

318. Apostolus Jacobus fidem absque operibus bonis, et proinde absque justitia esse posse, manifesto tradit. De ea ait: "Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?"[3] Fides illa quæ ad salutem assequendam non prodest, justitiam non habet comitem.

319. De multis optimatibus dicit Joannes eos in Christum credidisse, quamvis non auderent fidem profiteri, humano timore deterriti: "Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei."[4] Fidem eos habuisse liquet, absque justitia tamen, quum humanas divinis anteferrent rationes.

Probatur II. ex Patribus.

320. S. Irenæus fidem absque dilectione haud prodesse docet, proinde ab ea separari posse: "neque agnitionem sine dilectione quæ est erga Deum præstare aliquid, neque mysteriorum comprehensionem, neque prophetiam, sed omnia vacua et frustrata esse sine dilectione."[5]

321. S. Cyprianus in invidiam et contentionem, zeli nomine, invectus, ait: "Quomodo autem vel pacem Domini, vel charitatem tenet, qui intercedente zelo, nec pacificus potest esse, nec carus? Ideo et Apostolus Paulus cum pacis et charitatis merita depromeret, cumque asseveraret firmiter et doceret, nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec passionem quoque ipsam confessoris et martyris profuturam, nisi charitatis fœdera integra-

(1) I. Cor. xiii. 2.
(2) Mat. vii. 21.
(3) Jac. ii. 14.
(4) Joan. xii. 42.
(5) L. iv. adv. hær. c. xxv.

atque inviolata servasset, adjecit et dixit. *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non zelat.*"[1]

322. S. Augustinus: "Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse."[2]

323. Accedit ratio theologica, ex ipsa fidei natura desumpta, quum enim sit mentis assensus iis quæ revelavit Deus, liquet eum manere posset etiam postquam quis cupiditatibus cedens divinam violaverit legem: ita ut in homine christiano Poetæ verba locum habeant:

Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

324. *Obj.* 1. Apostolus hypothesim impossibilem facit, dum fidem absque charitate haberi posse innuit: sic alias dicit: "Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizaverit præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit."[3] Nec tamen inde concludendum cælestem nuntium posse falsam doctrinam tradere.

325. *Resp.* Ex orationis contextu satis colligitur Apostolum de re possibili loqui, plures enim congerit hypotheses quæ nihil absurdi præseferunt. Hyperbolen quidem in iis quæ de linguis angelorum dicit, videre est, sed Judæis admodum familiarem. Cæterum summam facundiam, mysteriorum eximiam cognitionem, eleemosynarum copiosam largitionem, et etiam propter fidem supplicia, absque charitate esse posse insinuat Apostolus; nec est cur ea omnia ad impossibiles hypotheses referamus. De fide qua miracula patrentur idem dicendum. Hanc veram esse liquet ex Christi verbis, quibus fidei nomen ei tribuitur: "Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc; et transibit, et nihil impossibile erit vobis."[4] Ad locum objectum quod attinet, impossibilis hypothesis ibi agnoscenda erit, si de vero angelo cœlesti intelligatur; et ea usus censendus erit Apostolus ut fideles de veritate Evangeli faceret certiores, quam scilicet nequidem cœlestis nuntius, ullo in rerum eventu, mutare posset. Cæterum potest explicari de dæmone se angelum lucis simulante: "ipse enim satanas," testante Apostolo, "transfigurat se in angelum lucis."[5]

326. *Obj.* 2. Apostolus eo loci de fide justificante non disserit, sed de fide miraculorum.

327. *Resp.* Loquitur Apostolus de fide eximia, cujus argumentum miracula præbent. De vera fide, quæ ad justitiam necessaria est, eum agere liquet ex eo quod, tres virtutes recensens, eam cum spe et charitate conjungat, primas huic tribuens partes: "Nunc autem manent fides, spes, chari-

(1) Liber de zelo et livore.
(2) Lib. xv. de Trinitate, c. xviii.
(3) Gal. i. 8.
(4) Mat. xvii. 19.
(5) II. Cor. xi. 14.

tas, tria hæc : major autem horum est charitas."[1] Equidem ipsa est fides qua creditur Christo, et qua, ejus nomine invocato, patrantur prodigia. De fiducia veniæ, sensu Protestantico, nec hic nec alibi agit Apostolus.

328. *Obj.* 3. Principes, de quibus loquitur Joannes, non credebant in Christum fide justificante, sed humana quadam seu historica fide.

329. *Resp.* Dicuntur illi in Christum credidisse—ἐπιστευσαν εἰς αὐτόν—ea verborum formula qua ipsi ejus discipuli credere alias dicuntur. Nihil innuit fidem illam non fuisse veram, quamvis, deficiente externa professione et obedientia, ad justitiam non profuerit.

330. *Obj.* 4. Jacobus de fide viva et vera, qua scilicet homines justi efficiuntur, non agit eo loci quo fidem prodesse negat. Arguit peccatorem fidem sibi vindicantem, ob sterilem veritatis notitiam, qualem ipsi dæmone habent. Igitur eam haud designandam fidem innuit, mortua quippe est, et nullius prorsus valoris.

331. *Resp.* Equidem de fide qua justus Deo vivit non agit Apostolus, quippe qui queritur opera, fidei salutaris argumenta et fructus, deesse. Cæterum ipsa est fides justis et injustis communis, uti liquet ex eo quod Apostolus pergat de fide Abrahæ loqui, quæ obedientiam Deo jubenti peperit. Quod autem Numinis notitiam quam habent dæmones, vim ejus in suppliciis patientes, cum sterili christiani hominis fide comparet, non probat eos credere eadem ratione ac illum, sed notitiam, quæ fructus bonorum operum non habet, non prodesse. Id in omnibus comparationibus animadvertendum, aliquam similitudinem sufficere ut afferantur, quin omni ex parte conveniant. Mortua dicitur fides, eo quod ad salutem non prosit, licet vera fides sit, sicut verum est corpus, etiam ab anima derelictum. Liceat Bulli, præsulis Anglicani, qui plura egregia, nonnulla minus probanda scripsit, verba ad rem nostram transferre. "Unicam" inquit, "solummodo observationem, quæ magis usui erit, adjiciam ; nempe ex hac ipsa Apostoli similitudine optime stabiliri distinctionem illam fidei, quam nostrates plerique temere exagitant, (vix alia certe de causa ; quam quia a Pontificiis usurpata sit) in *informem* et *formatam*. Optarim certe ut cæteræ omnes Scholasticorum distinctiones tam essent S. Scripturis consentaneæ. Est enim *fides informis* Apostolo velut corpus inanime, et *fides formata* velut corpus animatum. Sic ergo utrinque vera fides, sicut utrinque verum corpus. At vero sicut corpus inanime nihil agit, sic fides bonis operibus non animata nihil ad salutem prodest."[2]

332. *Obj.* 5. Joannes Apostolus mendacii arguit eum qui notitiam fidei absque mandatorum observatione sibi vindicat : "Qui dicit se nosse eum (*Deum*), et mandata ejus non custodit, mendax est."[3] "Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus charitas est."[4]

(1) I. Cor. xiii. 13.
(2) Bullus, in Harm. Apost. Diss. post. c. ii. § 8.
(3) I. Joan. ii. 4.
(4) Ibidem, iv. 8.

333. *Resp.* Mendacii recte arguitur qui, neglectis mandatis, notitiam Dei, quæ ad salutem prosit, se habere jactat. Absque charitate nemo novit Deum salutariter. De fidei notitia qualicumque non agit Apostolus, sed de ea quæ hominem Deo amicum efficit, et vitæ æternæ hæredem; scilicet, "fides quæ per charitatem operatur."[1]

334. *Obj.* 6. S. Gregorius M. dicit: "Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit."[2] Ergo, moribus corruptis, fides deficit.

335. *Resp.* Veram fidem eo loci intelligit S. Gregorius eam quæ ad salutem assequendam prosit; explicat enim Domini verba quibus salus credentibus Evangelio promittitur: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit."—"Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet."

336. *Obj.* 7. Dedecet omnino ut peccatores fideles prædicentur, et christiani, dum Christum pessimis flagitiis inhonestant.

337. *Resp.* Nil peccatores juvant nomen et privilegia christiana, quamdiu voluntate perversa peccato adhærent. Attamen non ideo negandum est eos vere credere, et christianos esse, quamvis sua culpa deciderint e salutis conditione.

ANIMADVERSIONES.

338. Quamvis peccato fides non necessariò pereat, sæpe tamen qui se flagitiis inquinant ad rejicienda divina dogmata sensim sine sensu ducuntur, Deo lumen cæleste, in pœnam, subducente.

339. Fidem amitti posse indubium est, nam Christus de quibusdam locutus est, qui "ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt;"[3] et Apostolus de Hymenæo et Phileto dicit: "a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem."[4]

340. Janseniani solent charitatem adeo prædicare, ut fides cultusque absque ea nullus illis habeatur. Verum quidem est, uti nos docent Scripturæ, absque charitate cætera non prodesse ad salutem; cæterum plurima exercentur virtutum aliarum opera ex gratiæ excitantis influxu, quæ suam habent vim, animumque aliquando ad charitatem disponunt. Merito igitur damnata est illa Quesnelli propositio: "Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas."[5]

(1) Gal. v. 6. "Nec fides, nec fiducia quicquam valet, quæ non sit δι ἀγάπης ἐνεργουμένη, *per charitatem efficax*, seu potius ad effectum producta et consummata, Gal. v. 6. . . . . fides quæ et quatenus justificat, vera charitate informetur, omnino est necesse." Bullus, Harmonia Apostolica, diss. prior, c. iv. §. v.

(2) Hom. xxix. in Evang. n. 3.

(3) Luc. viii. 13.

(4) II. Tim. ii. 18.

(5) Prop. lviii.

CAPUT X. DE JUSTITIÆ PERFECTIONE.

Sectio I. De præceptorum observatione.

341. Quamvis Calvinus censuerit hominem non posse a justificatione decidere, non ideo tamen eum perfectum prædicavit, sed imparem potius mandatis servandis: "nemo enim nostrum," inquit, "servandis mandatis par est."[1]

342. Jansenius Calvini vestigia pro more pressit: "Hæc igitur omnia," dicit post quædam disceptata, "plenissime planissimeque demonstrant nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, et justis volentibus, conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia."[2] Hoc ex loco extracta est damnata propositio: "Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant."

343. Presbyteriani hodierni, non obscure docent mandata esse impossibilia etiam justis, adeo ut ea quotidie cogitatione, verbo, et opere, violent,[3] et quidem ea ratione ut maledictionem divinam, interitumque æternum mereantur. Quakeri e contra dicunt hominem ad tantam perfectionem attingere posse, ut nec levissime peccet.[4]

344. Concilium Tridentinum in doctrinæ catholicæ expositione ait: "Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, (*debet*,) Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis."[5] Canonem verò tulit: "Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit."[6]

(1) Inst. l. iii. c. xviii. 9.

(2) L. iii. de Gratia c. xiii.

(3) "No man is able either of himself, or by any grace received in this life, perfectly to keep the commandments of God; but doth daily break them in thought, word and deed." Larger Catechism, ii. 149. "Every sin, even the least, being against the sovereignty, goodness, and holiness of God, and against his righteous law, deserveth his wrath and curse, both in this life, and that which is to come." Q. 152.

(4) Viii. prop. apud Barclay.

(5) Sess. vi. c. xi.

(6) Can. xviii.

PROPOSITIO.

Nulla Dei præcepta justis volentibus et conantibus sunt ad observandum impossibilia.

Probatur I. ex Scripturis.

345. Ecclesiastici sacer scriptor ait: "Si volueris mandata servare, conservabunt te."[1] Ergo penes nos est, divino auxilio roboratos, mandata servare.

346. Christus nos hortatur ut ejus jugum suscipiamus, addens: "jugum enim meum suave est, et onus meum leve."[2] Onus autem foret haud ferendum, jugumque nimis durum, si ejus mandata nequidem a justis possent impleri.

347. Ait etiam: "Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum."[3] Violationi igitur mandati cujuscumque, licet minimum apud homines habeatur, pœna adnectitur, et gratiæ apud Deum amissio: quod cogitari non potest, si penes homines, justos præsertim, non foret omnia mandata servare. Fallaciter autem diceretur eum qui ea fecerit magnum in regno cælesti habendum, si nemo ea faceret, imo nec facere posset.

348. Apostolos alloquens dixit Christus: "Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis."[4] Conditionem, ex qua pendebat amicitia Christi est præceptorum ejus impletio: igitur impleri possunt, secus nemo amicitiæ ejus dono frui posset.

349. Humilitatem insinuans dixit: "Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus."[5] Sunt ergo qui vere implent omnia præcepta: secus falsa niteretur hypothesi illud Christi monitum: quod quis audeat cogitare?

350. "Mandata ejus gravia non sunt,"[6] ait Apostolus Joannes. Ergo possunt, saltem a justis, impleri.

351. Apostolus Paulus ad Dei æquitatem refert ut fideles nulla patiatur tentatione pulsari, e qua evadere incolumes non valeant: "Fidelis Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam

(1) Eccli. xv. 16.

(2) Matt. xi. 30.

(3) Matt. v. 19.

(4) Joan. xv. 14.

(5) Luc. xvi. 10. In hoc testimonium scribit Grabe, "Quibus verbis Servator apertissime docet, nos facere posse quæ præcepta sunt, quæque facere tenemur: alioquin impossibilem supponeret conditionem, et juberet nos mentiri dicendo: *Fecimus quod facere debuimus.* Absit verò ut talis blasphemia cuipiam in mentem veniat." Ad cap. iii. § 3. *Harmoniæ Apostolicæ* a Bullo.

(6) I. Joan. v. 3.

cum tentatione proventum ut possitis sustinere."[1]—Si autem mandata forent servatu impossibilia, tentaremur supra vires, nec possemus sustinere impetum, divino denegato auxilio.

Probatur II. ex Patribus.

352. S. Basilius M. ait: Ἀσεβὲς ἦν τὸ λέγειν ἀδύνατα εἶναι τὰ τῆς πνευματος παραγγέλματα.[2] "Impium est asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse servatu."

353. S. Chrysostomus: Μὴ τοίνυν ἀδύνατα εἶναι νομίζομενος τὰ επιτάγματα. Καὶ γὰς μετα τοῦ συμφεροντος σφοδρά ἐςιν εὐκολον, ἂν νήφομεν.[3] "Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta, quæ certe et utilia nobis sunt, et valde facilia, si tota utique mente vigilemus."

354. S. Augustinus de justis præsertim loquens, dicit: "Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, spirituaḷiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur."[4]—Et iterum: "Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus."[5]

Probatur III. conciliorum auctoritate.

355. Concilium Milevitanum anathemate ferit eum qui dixerit per gratiam nobis non præstari, "ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus et valeamus."[6] Decretum respicit quidem gratiæ necessitatem, sed ostendit etiam per eam fieri ut præcepta implere possimus.

356. Concilium Arausicanum II. sic loquitur: "Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere."[7]

357. Favet ratio manifesta: si enim ipsis justis, volentibus et conantibus, præcepta forent impossibilia servatu, Deus non foret æquus legum lator, qui subditis suis et filiis imperaret ultra quam ferre valeant. Dominatio igitur injusta in præceptorum sanctione exerceretur, crudelitas in delictis puniendis, quæ vitari non poterant.

(1) I. Cor. x. 3.
(2) Hom. in illud Mosis, *Attende tibi ipsi.*
(3) Hom. xviii. in Mat.
(4) L. de nat. et gratia c. xxvi.
(5) Ibidem c. lxix.
(6) Can. iv.
(7) Tract. xcii. in Joan.

OBJECTIONES.

358. *Obj.* 1. Apostolus dicit "omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est justus quisquam."[1] Id probat veteris Testamenti testimoniis, subjungens: "Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur: ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati."[2]

359. *Resp.* Omnes, Judæos et Græcos, peccato inquinatos fuisse affirmat Apostolus, adductis testimoniis Scripturæ, quibus id de Judæis lege gaudentibus probet, ut salutis per Christum adstruat necessitatem: "omnes enim," inquit, "peccaverunt, et egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu."[3] Christi discipulos, ejus gratia roboratos, non posse servare mandata Apostolus non dicit; quamvis non suis operibus, sed Dei gratia justi sint.

360. *Obj.* 2. Apostolus fatetur se non posse præcepta servare, licet toto animi nisu velit: "Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio; consentio legi, quoniam bona est."[4]

361. *Resp.* Absit ut cogitemus tantum Apostolum non potuisse servare mandata; ipso contra testante: "Omnia possum in eo qui me confortat."[5] —"Nihil mihi conscius sum."[6] Eo loci ex quo desumpta est objectio, legem Mosaicam non abstulisse peccata, sed iis potius præbuisse occasionem tradit; quod ex pugna inter carnem et mentem ostendit, homo scilicet ipsius rationis ductu abhorret a flagitiis ad quæ cupiditate fere invitus aliquando trahitur. Personam alienam induit Apostolus, figura μετασχηματισμος usus, ut rem vividius exhibeat. Ita quidem Origeni, Chrysostomo, Theophilo, Basilio, Hieronymo visum est,[7] imo aliquando Augustino; qui tamen serius Hilarium, Gregorium Nazianzenum, et alios secutus, maluit verba Apostoli de homine sub gratia, seu de Paulo ipso explicare, quin eum ullatenus præcepta violasse censeret. "Ubi verò," animadvertit Augustinus, "jam dicit, Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum: jam quod confligens patiebatur ostendit. Non enim dixit, carnalis fui, vel eram: sed, sum. Et apertius tempora ipsa distinguit, ubi dicit, 'Nunc autem

(1) Rom. iii. 9.
(2) Ibidem 19.
(3) Ibidem 23.
(4) Rom. vii. 14.
(5) Phil. iv. 13.
(6) 1. Cor. iv. 4.
(7) Vide apud Cornelium a Lapide in loc. Consule etiam Bullum Harm. Apost. diss. post. c. ix. Bloomfield in loc.

jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.' Jam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam ; quia peccato facta est, et si consentientem traxerit atque illexerit, concipit, paritque peccatum. Et cætera usque ad eum locum, ubi ait, Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, verba sunt jam sub gratia constituti, sed adhuc contra concupiscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis ut peccet, sed tamen quibus renititur, peccati desideria patientis."[1]

362. *Obj* 3. Patres Petrum docent " non potuisse vitare culpam." Ita Hilarius.[2] " Negatio Petri," inquit Chrysostomus, " non tam erat socordiæ et negligentiæ, quam ex eo quod Deus eum deseruerat."[3] Augustinns dicit eum non potuisse " verum testimonium perhibere Christo."[4]

363. *Resp.* Loquuntur Patres plerique de impotentia quæ ex animi elatione et nimia sui fiducia secuta est. Hilarius quidem Petri culpam extenuare voluit, eam trepidationi et infirmitati tribuens ; eumque dicit non potuisse vitare culpam, licet monitus fuisset, fragilitatem potius quam impotentiam hac ratione loquendi designans : " quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, recolens trepidationis istius culpam se nec admonitum potuisse vitare." Chrysostomus Dei desertionem ob elatum Petri animum contigisse dicit: "quoniam erat verosimile eum sibi placere et elato esse animo." Augustinus Petri præsumptionem sæpe redarguit,[5] et veram potestatem abstinendi a negatione agnoscit: " Quis dubitaverit quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradidisset, et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset?[6]"

364. *Obj.* 4. Augustinus manifestò docet aliquando volentem facere Dei mandatum, non posse, defectu validioris auxilii. Ait enim : " Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhue parvam et invalidam : poterit autem eum magnam habuerit et robustam."[7]

365. *Resp.* Docet Augustinus validius illud subsidium oranti non denegari : "Ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus."[8]

366. *Obj.* 5. Quotidiana occurrunt exempla justorum " qui tentantur ultra quam possint sustinere."[9]

(1) Aug. contra Julianum Pelag. l. vi. c. xxiii. n. 73.
(2) Hil. c. xxxii. in Mat.
(3) Chrys. hom. xxxi. in ep. ad Heb. n. 3.
(4) Tract. xcii. in Joan.
(5) Tract. lxvi. in Joan. Tract. cxiii. n. 6. Serm. ccxcvii. n. 1. Serm. cexcvi. n. 3.
(6) L. de unit. Eccl. c. ix.
(7) Lib. de grat. et lib. arb. c. xvii.
(8) L. de Nat. et gratia c. liii.
(9) L. de gratia Christi c. xiii.

367. *Resp.* Apostolus nos contrarium jubet credere: si ergo nonnulli vehementiores experiantur impetus quibus cedunt, id non contingit gratiæ defectu, sed sua culpa. Orationis neglectus, temeritas se objiciendi periculo, et nimia sui fiducia in causa plerumque est cur propositi immemores ad malum se cupiditate dominante trahi sinant.

Sectio II. De peccatis venialibus.

368. *De perfectione justitiæ hominis* librum scripsit Augustinus, Pelagianos refellens, qui libero arbitrio omnes cupiditates frænari, et legis præcepta servari posse, asserebant. Ille e contra naturæ vires necessariò a gratia roborandas contendit, cujus ope perfectionem quandam, quæ tamen non integra sit, assequi justus possit. "Ingredi autem sine macula" inquit, "non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis."[1]

369. *Venialia a mortalibus* peccatis distinguere solent Theologi: illa scilicet nuncupantur leves divinæ legis transgressiones, hæc graves quæcumque. Sic verbum temere prolatum venialis culpa habetur: blasphemia est lethalis. Omnia peccata per se mereri æternam pœnam docent post Calvinum Presbyteriani, ut supra vidimus, quæ tamen credentibus non imputari ad interitum, et ideo venialia dici posse affirmant. Ex scholasticis doctoribus fuerunt qui divinæ misericordiæ tribuerent quod quædam peccata venialia haberentur: sed plerique censent peccata inter se tanto discrimine distingui, ut quædam æternam pœnam non mereantur. Baji propositio, quæ illi scholasticorum opinioni affinis videri posset, damnata est, sed sensu auctoris Calviniana placita sapientis:—"Nullum est peccatum ex natura sua veniale: sed omne peccatum meretur pœnam æternam."[2] Bullus nobis consentit peccatum veniale agnoscentibus, ait enim: "Jam in Evangelio nusquam talis Dei voluntas revelatur, qua nempe pœna æternæ damnationis cuivis, vel minimo, justitiæ defectui evitabili statuatur."[3]

370. Beguardi et Beguinæ, anno 1311, in concilio generali Viennensi damnati sunt, asserentes hominem in hac vita ad tantam perfectionem pervenire posse, ut gratiam et charitatem amplius amittere nequeat. Michael de Molinos, Hispanus, Quietistarum, decimo septimo sæculo, antesignanus asseruit: "Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum

(1) L. de perf. just. c. ix. n. 20.
(2) Prop. xx.
(3) Examen Censuræ, Resp. ad animad. xix. § 18.

non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia."[1] Quakeri idem fere sentiunt.[2]

371. Catholica e contra Ecclesia docet, et quotidiana demonstrat experientia, tantam esse fragilitatem humanam, ut, absque speciali Dei privilegio, nemo per totum vitæ cursum culpam omnem venialem vitare valeat: "Si quis hominem semel justificatum . . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit."[3]

PROPOSITIO.

Homo justificatus non potest in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio.

Probatur I. ex Scripturis.

372. In Proverbiis monitum hoc reperitur: "Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corruent in malum."[4] Labitur igitur multis vicibus justus, quin a justitia decidat, alioquin justus non diceretur. Monemur autem ne ex levioribus ejus lapsibus occasiones illi ruinam moliendi capiamus.

373. Ecclesiastes dicit: "Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet."[5] Præstantia sapientis in eo apparet, quod, quum justitia in plerisque desit hominibus, nec absque aliqua labe in quopiam reperiatur, ipse eam possideat. Ideo licet omni culpa haud immunis sit, super plures optimates principesque viros jure optimo effertur.

374. Jacobus Apostolus ait: "Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir."[6] Monet omnes ne magisterium ambiant, cum sui periculo, quia quum omnes multis lapsibus sint obnoxii, lingua præsertim facile peccatur. Hæc fideles justosque manifestò complectuntur, quos proinde leviter peccare existimandum est.

(1) lvii. prop.

(2) "In whom this holy and pure birth is fully brought forth, the body of death and sin comes to be crucified and removed, and their hearts united and subjected unto the truth, so as not to obey any suggestion or temptation of the Evil One, but to be free from actual sinning, and transgressing of the law of God, and in that respect perfect. Yet doth this perfection still admit of a growth; and there remaineth a possibility of sinning, where the mind doth not most diligently and watchfully attend unto the Lord." Prop. viii. apud Barclay.

(3) Conc. Trid. Sess. vi. can. xxiii. de justif.

(4) Prov. xxiv. 15.

(5) Eccles. vii. 21.

(6) Jacob. iii. 1.

375. Apostolus Joannes dicit: "Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est."[1] Quamvis de peccatis antea patratis id intelligere juvet, probat tamen neminem per totam vitam peccatum omne vitare posse, absque speciali Dei privilegio, "si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum."[2]

376. Christus ipse nos docuit veniam culparum petere: "Dimitte nobis debita nostra."[3] Hanc orationis formam omnibus tradidit, quam sanctissimi ejus discipuli debent proinde proferre. Ergo justi culparum rei sunt, quarum veniam quotidie implorare debent.

Probatur II. ex Patribus.

377. S. Gregorius Nazianzenus dicit: "Eum vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacet, supra humanæ naturæ modum Deus constituit."[4]

378. S. Hieronymus Pelagium refellens: "Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est, nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate et commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur: quia Deus solus est immutabilis."[5]

Probatur III. Conciliorum auctoritate.

379. Concilium Carthaginense anno 418: "Item placuit, quod ait S. Joannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit."[6] "Item placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicæ orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema sit."[7]

380. Experientia ipsorum virorum qui sanctitatis laude claruerunt accedit, in iis enim leves culpas sæpius animadvertere erat: quod de seipsis quotquot sunt justi libentur agnoscunt.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

381. *Obj.* 1. Christus perfectionem nobis injungit divinæ similem: "Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est."[8]

382. *Resp.* Ex Patris cœlestis perfectione occasionem sumpsit Christus discipulos hortandi ut ipsi perfectioni studerent, præsertim ut ejus benefi-

(1) I. Joan. i. 8.
(2) Ibidem 10.
(3) Matt. vi.
(4) Orat. iv. in Julian.
(5) Dialog. l. ii. contra Pelag. n. 30.
(6) Conc. Carth. can. vi.
(7) Can. viii.
(8) Mat. v. 48.

centiam imitarentur, inimicis gratificando. Nemo est qui summam Numinis perfectionem adæquandam somniaverit.

383. *Obj.* 2. "Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est."[1] Ergo nullum peccatum omnino in homine renato reperire est.

384. *Resp.* Apostolus sanctitatem quæ decet Christi discipulos eo loci inculcat, eos monens ut sanctificent se, ad gloriam cœlestem, quam sperant, assequendam: "Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut et ille sanctus est."[2] Quid debeat facere innuit, ut spes illa valeat. Sic ob nativitatem quam fide et Baptismo quisque consecutus est, dicit unumquemque non peccare, nec peccare posse, scilicet, quin e privilegiis illius nativitatis decidat, semine cœlesti amisso. Cæterum de peccato et iniquitate, gravi scilicet legis prævaricatione, agit Apostolus, non de leviori bus culpis, quibus justos obnoxios esse alias indicat.

385. *Obj.* 3. S. Augustinus dicit: "Si a me quæratur, utrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium."[3]

386. *Resp.* Potest quidem absolute, quia nulla est peccandi necessitas; spectata autem humana fragilitate, non potest, nam inter tria quæ Ecclesia catholica, testante Augustino, contra Pelagianos defendit, "alterum est, in quantacumque justitia sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere."[4]

387. *Obj.* 4. Si sit vaga quædam et moralis necessitas in culpas saltem veniales incidendi, homo nequidem gratia Christi sanatus est, sed adhuc laborat vulnere.

388. *Resp.* Sanatus est homo divina gratia, quatenus et peccatorum indulgentiam, et auxilia ad bene agendum accipit, et singulis tentationibus resistere valet. Cæterum perfecta vulneris medela in altera vita expectanda est.

Sectio. III. De justitiæ augmento.

389. Justos in culpas veniales identidem incidere liquet: non ideo tamen in virtutis semita sistere coguntur, sed in dies, adjuvante Deo, progredi possunt, ad perfectionem viriles faciendo conatus. Bonorum operum exercitio augeri justitiam docuit concilium Tridentinum, et contrarium errorem anathemate percussit: "Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit."[5] Lutherus asseruerat:

(1) I. Joan. iii. 9.
(2) Ibidem v. 3.
(3) L. ii. de pec. mer. et rem. c. vi.
(4) L. de dono pers. c. 2. n. 4.
(5) Sess. vi. can. 24.

"omnes christiani æque magni sumus atque Mater Dei, et æque sancti ac ipsa."[1] Ex principio de justitiæ Christi imputatione credentibus, illud consectarium derivatum est, qui enim intrinseca carent justitia, et sola imputatione alienorum meritorum habentur justi, nullo dono accepto, nullos gradus diversos justitiæ habere possunt.

390. Facile adstruitur veritas Catholica, nam in Proverbiorum libro dicitur: "Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem."[2] Pulcherrima sane imago est progressus in justitiæ semita, virtutum exercitio. Apostolus Petrus hortatur fideles ad proficiendum; "Crescite verò," inquit "in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi."[3] Paulus etiam: "veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus."[4] Ergo augeri potest gratia, cognitio, et vita quam in Christo justi habent. Id liquet exemplo Abrahæ, qui justus, jam ex fide vivens, e patria egressus est, Deo ut obtemperaret, et aliud illustrius dedi fideit et obedientiæ specimen, filium immolaturus, quo charior Deo factus, et justitia auctus, amici instar habitus est: "et suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est."[5] Rite animadvertit Bullus: "sic eum in propiorem amicitiæ gradum recipit."[6] Christi ipsius verba refert Joannes, hortantis ut justus perseveret, et proficiat: "Qui justus est, justificetur adhuc."[7] Id est, ut bene adnotat Grabe: "maneat et crescat in justitia, ac proinde etiam in favore ac amicitia Dei, juxta ista Servatoris verba Joan. xv. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione."[8]

391. Patres justitiæ gradus plane agnoscunt: "Unicuique nostrum," inquit Hieronymus, "data est gratia juxta mensuram gratiæ Christi: non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiæ ejus infunditur, quantum valemus haurire."[9] Augustinus concinit: "ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, 'Novit Dominus qui sunt ejus,' diversarum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent: sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores."[10]

392. Equidem tolluntur virtutum incitamenta, si justitia augeri nequeat eas exercendo. E contra magnos dat animos ad conatus indefessos, gratiæ dona augenda, et præmia proinde certò sperare.

(1) Serm. de Nat. B. V. M.
(2) Prov. iv. 18.
(3) II Pet. iii. 18.
(4) Eph. iv. 15.
(5) Jac. ii. 23.
(6) Harmonia Apost. diss. post c. i. § v. 2.
(7) Apoc. xxii. 11.
(8) Adnot. ad c. i. § 5. Harm. diss. post.
(9) L. ii. contra Jovin.
(10) Tract. vi. in Joan. Evang. n. 8.

CAPUT XI. DE PERSEVERANTIA.

393. Ex Pelagiana controversia Augustino data est occasio gratiæ partes in hominis salute explicandi et vindicandi. Semipelagiani ei gratiæ necessitatem ad salutis opera docenti obaudierunt; sed initium et finem ad humanam referebant voluntatem. Hos ut ad sane sentiendum adduceret scripsit librum *de prædestinatione Sanctorum*, in quo fidei initium a gratia derivari ostendit, et alterum *de dono perseverantiæ*, ut usque in finem perseverantiam magnum Dei munus esse probaret. Insignis doctoris verba mutuari non dubitavit concilium Tridentinum, eam nuncupans "magnum illud usque in finem perseverantiæ donum"[1]. Canonem quoque tulit: "Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit."[2] Speciale auxilium videtur intelligi gratia ad perseverandum directa, utpote præter alia gratiæ auxilia ad singulos actus virtutis concessa. Perrone tamen censet illud tantum a gratia habituali distingui; quod vix vocis vim explicare nobis videtur.

PROPOSITIO.

Absque speciali Dei auxilio justificatus in accepta justitia perseverare non potest.

Probatur I. Ex Scripturis.

394. "Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu."[3] Ergo perfectio operis, perseverantia scilicet in finem, sicut et ejus initium, Dei est: specialis idcirco gratia agnoscenda est eo consilio data ut perseveremus.

395. Petrus fideles alloquens dicit: "qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem."[4] Custodia in salutem divinæ potestati—δυνάμει θεου—tribuitur. Speciale est igitur ad perseverandum auxilium.

Probatur II. ex Augustino, cujus auctoritas in gratiæ quæstionibus magna est, eo quod Ecclesiæ doctrinam magno plausu vindicaverit.

396. Libertatem nostram gratiæ auxiliis validam esse tradit: "major quippe libertas est necessaria adversus tot et tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus."[5]—

(1) Conc. Trid. Sess. vi. cap. xvi.
(2) Can. xxii.
(3) Philip. i. 6.
(4) I. Pet. i. 5.
(5) L. de corrept et gratia c. xii.

"Inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate non vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et inseperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei."[1]

Probatur III. Conciliorum auctoritate.

397. Concilium Arausicanum II. dicit: "Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare."[2]

Probatur IV. Pontificia definitione.

398. Cælestinus ad Galliarum episcopos scribens,[3] definit "Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit."[4]

399. Favet ratio et quotidiana experientia: quum enim infirmi simus, et ad peccandum proclives, innumeris obnoxii tentationibus, nemo poterit sibi victoriam, et ad finem usque in virtutum exercitio perseverantiam polliceri, nisi speciali Dei auxilio nixus.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

400. *Obj.* 1. Speciale Dei auxilium penitus ex ejus bonitate pendet, proindeque pro lubito denegari poterit: ideo hominum salus est penitus extra eorum potestatem, si eo auxilio opus sit.

401. *Resp.* Est quidem speciale et magnum Dei donum perseverantia, quam nemo sibi promereri poterit, quamvis precibus eam valeat impetrare, docente Augustino.[5] Utique potuisset Deus omnia gratiæ auxilia hominibus denegare, et ea nos relinquere conditione qua primorum parentum culpa positi sumus: sed placuit benignissimo Patri ipsa Filii sui morte nobis gratiarum fontem veluti aperire, ideoque "in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere."[6] Ita docent Tridentini Patres.

402. *Obj.* 2. Speciale auxilium, justa Augustinum illud est quo voluntas indeclinabiliter et *insuperabiliter* agitur. Ideo de adjutorio Adæ dato, quo potuisset perseverare quum dixisset, subjunxit: "Nunc vero sanctis in

(1) L. de corrept et gratia c. xii.
(2) Can. x.
(3) Anno. 432.
(4) Cap. vi.
(5) Aug. l. de dono persev. c. vi. n. 10.
(6) Conc. Trid. Sess. vi. de justif. c. xiii.

regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint."[1] Igitur, si Augustini de perseverantiæ munere doctrinæ standum sit, actum est de libertate humana, et sincera Dei reprobos salvandi voluntate.

403. *Resp.* Augustini testimonia ostendunt quidem perseverantiam ex occultis Dei consiliis, æquissimis tamen, pendere : sed salva omnino libertate humana, et sincera Dei reprobos salvandi voluntate. Distinctionem inter *adjutorium sine quo non* possit quis perseverare, et *adjutorium quo* perseverat, instituit, illudque datum homini integro, hoc lapsis, hominibus dicit, adeo ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. Hoc de finali perseverantia, mortis scilicet cum gratia conjunctione, intelligit P. Zacharias,[2] cui verba objecta et alia plura testimonia favent. Ad specialem igitur Dei erga electos amorem refertur, quod eos e vita vocet eo temporis momento, quo justi sunt, gratiæ obtemperando. Cæterum non gravamur ea intelligere de auxiliis ad perseverandum, quibus voluntas roboratur, quæ tamen nullam vim aut necessitatem inducunt. Prædicat sæpe Augustinus gratiæ vires quibus justus omnia sibi adversantia superare valeat: "fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissime nollent."[3] Hanc vim voluntatis gratiæ munitæ adversus tentationes, potius quam vim gratiæ in voluntatem, prædicare videtur Augustinus. *Inseparabiliter* autem,[4] non *insuperabiliter* agitur voluntas, intimo nexu cum gratia conjuncta, quamdiu ei adhæret. Servatur igitur humana libertas, et ostenditur sincera erga reprobos voluntas Dei, quibus perseverantiæ munus ex infinita sua bonitate largitus esset, nisi sua culpa obstitissent.

404. *Obj.* 3. Prædestinationis dogma ex doctrina de perseverantiæ munere fluit, uti docuit Augustinus sibi admodum constans in tota hac de gratia doctrina : attamen abhorret sensus christianus a prædestinatione.

405. *Resp.* A prædestinatione, prout apud plerosque jam intelligitur, abhorret omnino sensus christianus; nam hæreticorum usus fecit, ut de absoluto Dei decreto, quo quidam suppliciis, quidam beatitudini destinantur, summa Dei potentia, nulla habita criminum vel virtutum ratione, accipiatur. Hoc dogma ex Catholica de perseverantia doctrina non fluit, quamvis enim speciale esse Dei munus eam agnoscamus, non ideo tamen eam ex absoluto decreto pendere docemus; sed e contra Tridentini Patres docent: "Deus

(1) Lib. de corrept. et gratia c. xii.

(2) Franc. Ant. Zachariæ e S. J. de adjutorio, *Sine quo non et sine quo* diatriba.

(3) De corrept. et gratia n. 39.

(4) Ita legit ipse Calvinus in Instit. Ita legendum ostendit Scipio Maffei Ist. Teol. l. xii. p. vii. n. 2.

sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur."[1] Ita docuerat jam Augustinus: "Deus cum hominem ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur."[2] Ex orationibus Ecclesiæ ut detur suis filiis perseverantia, meritò argumentatus est eam esse magnum Dei munus; pro ea tamen frustra oratio funderetur, si ex absoluto decreto penderet. Quod igitur inde derivavit argumentum, ut ostenderet eam e divina largitate procedere, probat conditione quæ penes nos est eam quodammodo niti: "Restat in his bonis," inquit præclarus doctor, "usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie a Domino petitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationes exaudit, operatur."[3]

406. *Obj.* 4. Correptio omnis, conatusque nil valent, si perseveraturi sint ii tantummodo quibus illud donum Deus ex sua largitate concesserit.

407. *Resp.* Deus omnia summa sapienta, æquitate, justitia et bonitate statuit, ideoque perseverantiæ donum, non temere, sed justissime sanctissimeque largitur. Correptiones igitur, conatusque omnes humani, juxta consilia divina inserviunt ut peccatores in viam justitiæ et salutis deducantur, Deo misericorditer tangente eorum corda, iis tantum derelictis qui ejus gratiæ reluctantur: "Nemo ergo dicat non esse corripiendum, qui exorbitat de via justa: sed ei reditum et perseverantiam a Domino tantum esse poscendam: nemo prudens et fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sit sic vocatus, quoniam qui corripit nescit; faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum."[4]

ANIMADVERSIONES.

408. Perseverantiæ munus "suppliciter emereri potest," precibus scilicet impetrari, et certò sperandum est ex divina bonitate; idque tantum formidandum ne obicem superbia, incuria, vel alia culpa nostra ponamus. Nulla quidem virtutum opera illud merentur; sed humilibus et vigilantibus non denegatur. De eo postquam plura disseruerat Augustinus, dixit: "satis dilucide ostenditur et inchoandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem."[5]

409. In eo valde elucet Dei misericordia, et perseverantiæ munus, quod electi ejus famuli e vita eripiantur eo tempore quando gratiæ libere obtemperando, justitiam consecuti sunt, quam si diutius viverent, amittere facile

(1) Sess. vi. de justif. c. xi.
(2) L. de Nat. et Gratia, c. xxvi.
(3) Lib. de dono persev. c. xvii.
(4) Aug. Lib. de corrept. et gratia c. ix.
(5) L. de dono persev. c. xiii.

possunt. Ideo sæpius adduxit Augustinus illud Sapientiæ testimonium de justo in ætate juvenili decedente: "Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est; raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius . . . placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum."[1] "Videte," inquit Augustinus, "a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit, ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum facit hominem perseverare usque in finem."[2]

CAPUT XII. DE BONORUM OPERUM MERITO.

410. Bona opera ea intelliguntur quæ ab homine justo fiunt, ex gratiæ divinæ impulsu, et per Christum, cujus justus vivum est membrum, Deo offeruntur. Quæ justificationem præcedunt illud nomen haud obtinent, quum non possint vim et meritum habere, quatenus a peccatore fiunt. Forbesius, Anglicanis licet studens placitis, ea intelligit "quæ per justitiam habitualem, i. e. in ipsa justificatione infusam, inhærentem, et permanentem efficiuntur, atque sic speciali quadam ratione dicuntur bona opera."[3] Latiori tantum sensu ea dicuntur opera bona, quæ rationi sunt consona, et sensui humano, quamvis omni careant virtute supernaturali.

411. Lutherus sæpissime in bona opera invectus est, specie quidem humanam superbiam reprimendi, sed tanta verborum licentia quæ morum corruptelæ faveret: "Erga Deum," inquit, "non operibus, sed nuda fide indigemus; debemus enim cum solo Isaac venire, id est, in fide: servos et asinos, hoc est, opera deorsum dimittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit."[4] Audiatur Walchius, beatissimi patris sui (Lutheri nempe) vindicans sermones! "Objicis duriora quædam Lutheri de hac re effata, cujusmodi sint: doctrinæ puritas arcte tenenda, vitæ autem sanctitas non adeo rigide urgenda; quanto sceleratior tanto gratiæ vicinior: nulla peccata possunt damnare, nisi sola incredulitas: rei uxoriæ operam dare, tam cuique est necessarium, quam edere, bibere, dormire. INVENIRI TALES SENTENTIAS BEATI VIRI HAUD NEGAMUS." Pergit allegare mores ejus probos, de quibus qui vult rectum ferre judicium consulat res ejus gestas nuperrime a J. V. Audin fideliter enarratas.[5] Ad-

(1) Sap. iv. 10—14.
(2) Aug. lib. de dono persev. c. xvii.
(3) In Consider. pacific. de justif. l. i. c. iii. § 3.
(4) Serm. de pisc. Petri.
(5) Vie de Martin Luther, Paris, 1839.

dit Walchius: "His de causis omnino decet, Lutheri sententias, quæ videntur duriores, per interpretationem mitigare."[1]

412. Concilium Tridentinum Catholicum dogma hoc munivit canone: "Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit."[2]

PROPOSITIO.

Bona justorum opera quæ per gratiam Dei, et Jesu Christi meritum fiunt, vere merentur vitam æternam.

Probatur I. ex Scripturis.

413. Christus dixit: "Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis."[3] Habet igitur mercedis rationem quod nobis promittitur regnum cæleste.

414. Datur etiam veluti in virtutis præmium: "Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare."[4]

415. Quæ Christi causa patimur, gloriam nobis operari dicuntur: "Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis."[5] αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν.

416. De gloria, veluti corona jure debita, loquitur Apostolus: "Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus."[6] Sicut vincentibus in palæstra vel stadio corona jure debebatur, sic jure vindicatur cælestis gloria, impleta scilicet conditione quam libere statuit Deus. Ideo dicit Bernardus: "Est quam Paulus expectat corona justitiæ; sed justitiæ Dei, non suæ; justum quippe est, ut reddat quod debet; debet autem quod pollicitus est."[7] De martyribus dicitur:" Hi sunt qui venerunt de tribu-

(1) Introd. l. i. c. iii. § xl.
(2) Sess. vi. can. 32.
(3) Mat. v. 10.
(4) Mat. xxv. 34.
(5) II. Cor. iv. 17.
(6) II. Tim. iv. 7.
(7) Cit. a Bullo Harm. Ap. c. xviii. diss. post § 15.

latione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni, ideo sunt ante thronum Dei."[1] Quod igitur propter Christum passi sint, causa est gloriæ qua fruuntur.

417. Hortatur Christus famulos suos ut virtutibus sedulo navent operam, mercede operum certò remunerandos: "Qui justus est justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua."[2] Imo dicit eos jus habere et potestatem in lignum vitæ, scilicet in ipsam vitam æternam: "Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni; ut sit potestas eorum in ligno vitæ."[3] "Huic testimonio," inquit Bullus, "addi possunt omnia illa novi Testamenti loca, in quibus vitam æternam a Deo operibus nostris ex justitia dari clarè asseritur, 2 Thess. i. 7. Heb. vi. 10. II. Tim. iv. 8. Hinc enim sic licet argumentari: si merces vitæ æternæ operibus nostris ex justitia detur, ergo ex operibus nostris jus ad mercedem istam consequimur; (tale scilicet jus, quod in gratioso Dei per Christum fœdere fundamentum suum unice habeat) sunt hæc τῶν πρός τι καὶ ἀντίστροφα. Cui merces ex justitia datur, ille jus ad mercedem illam habeat necesse est, et vice versa."[4] Mirum est qui hæc scripsit Catholicam de merito doctrinam alibi carpere.

Probatur II. ex Patribus.

418. S. Ignatius M. "Sinite me ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum adipisci."[5]—δι' ὧν ἐξὶ θεοῦ ἐπιτυχεῖν.

419. S. Justinus: "Edocti a prophetis pœnas et supplicia, ac bonas remunerationes pro meritis cujusque actionum irrogari, verum id esse confirmamus." τας ἀγαθας ἀμοίβας κατ' ἀξιαν των πραξεων ἑκαστ.[6] "Quos quidem si dignos se per opera illius consilio ac voluntati exhibuerint, adepturos accepimus, ut cum eo degant, atque una regnent corruptionis et perpessionis expertes."[7]

420. S. Irenæus, recitatis Pauli verbis de agone suo: "Bonus igitur agonista, ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, uti coronemur; et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur."[8]

421. S. Cyprianus: "Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum: præceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem."[9]

(1) Apoc. vii. 14.
(2) Ibid. xxii. 11.
(3) Ibid. 14. Varia est lectio: codices nonnulli, quos sequitur Vulgata, habent: ὁι πλύνοντες τὰς ϛολας αὐτῶν. Griesbach communem lectionem præfert: ὁι ποιόντες τας εντολας αὐτοῦ.
(4) Harmonia Apostolica, diss. prior. c vi. § 11.
(5) Ep. ad Rom.
(6) Apol. i. n. 43.
(7) Ib. n. 10.
(8) L. iv. c. lxxii.
(9) L. de Unit. Eccl.

422. S. Hilarius: "Regnum Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. Et hæc recte perfecteque viventium merces est, ut in novam cælestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur."[1]

423. S. Ambrosius: "Nonne evidens est meritorum aut præmia, aut supplicia post mortem manere?"[2]

424. S. Joannes Chrysostomus: "Quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia proposita sunt, et bene viventibus præmia."[3]

425. S. Hieronymus: "Jam nostri laboris est pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare."[4]

426. S. Augustinus: "Nulla ne sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt. . . . Sicut merito peccati, tamquam stipendium, redditur mors, ita merito justitiæ, tamquam stipendium, vita æterna."[5]

427. Hæc una Patrum omnium sententia a Concilio Arausicano II. satis feliciter declarata est: "Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant."[6]

428. Ratio theologica favet, in Dei scilicet gloriam cedit ut virtutis præmia largiatur, suos famulos munerans, quos sua gratia ad agendum impulit.

OBJECTIONES.

429. *Obj.* 1. Isaias, populi fidelis nomine, dicit: "Facti sumus ut immundus omnes nos: et quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ."[7]

430. *Resp.* Plorat propheta plerorumque delicta sua ætate. Ipsa Religionis munia quæ justitiæ vocabantur כָּל־צְדָקֹתֵינוּ colentium vitiis sæpius inquinabantur. Cæterum erant quidam Deo grati virtutum exercitio: "occurristi lætanti et facienti justitiam."[8] Calvinus, licet et ipse hoc testimonio semel usus sit ad humanorum operum impuritatem designandam, in ipsum tamen scribens fassus est vatem de justorum omnium operibus non loqui: quod et alii scriptores Protestantici agnoverunt.[9]

431. *Obj.* 2. Christus jubet: "Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus."[10]

(1) C. v. in Mat.
(2) L. i. de offic. c. xv.
(3) Hom. xxii. in Gen.
(4) L. ii. ad Jovinian.
(5) Ep. 105 ad Sixtum.
(6) C. xviii.
(7) Isaiæ lxiv. 6.
(8) V. 5,
(9) Vide Barclay Apolog. prop. vii. obj. 3. §xi.
(10) Luc. xvii. 10.

432. *Resp.* Id dicere oportet quia revera omnia Deo debemus, nec ullam illi bene agendo afferimus utilitatem. Placuit tamen illi cælestem nobis polliceri gloriam, ea conditione ut bona opera, gratiæ ejus adjutorio[1] et motu, faciamus: quapropter dicturus est famulo fideli: "Euge serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui."[1]

433. *Obj.* 3. Apostolus ait: "Gratia autem Dei vita æterna."[2] Igitur bonis operibus non comparatur.

434. *Resp.* Verbis Augustini: "Verumtamen quia et ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini."[3]

435. *Obj.* 4. S. Augustinus Deum alloquens dicit: "Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, et multum invenis unde damnes."[4]

436. *Resp.* Nihil in homine sibi relicto invenit Deus unde eum salvet, sed plura suæ gratiæ dono; adeo ut homo, divina promissione innixus, possit cælestem hæreditatem sibi vindicare: "Illo ergo modo, possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, et hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti."[5]

437. *Obj.* 5. S. Basilius ait: "Requies æterna non secundum operum debitum ac meritum retribuitur, sed juxta magnificentiam Dei his qui in ipsam speraverunt."[6]

438. *Resp.* Obvius est sensus, præmia longe superare merita, tribuuntur scilicet pro summa Dei munificentia. Alias dicit: "Omnes qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionem cælestium comparantes."[7]

439. *Obj.* 6. S. Gregorius M. "Si opus virtutis exercuero, ad vitam, non ex meritis, sed ex venia, convalesco."[8]

440. *Resp.* Nulla nostra sunt merita, nisi data delictorum venia, et tributa gratia. Cæterum: "quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat."[9]

(1) Matt. xxv. 23.
(2) Rom. vi. 23.
(3) L. de corrept. et grat. c. xiii.
(4) Serm. clxix alias xv. de Verbis Apostoli.
(5) Serm. clviii. alias xvi. de Verbis Apostoli. c. 2.
(6) In. Ps. cxiv.
(7) Orat. in initium Prov.
(8) L. ix. Moral. c. xiv.
(9) L. iv. Moral. c. xlii.

441. *Obj.* 7. Deo, vitæ æternæ largitori, et Christo Salvatori detrahitur, dum meritis nostris tribuitur vita æterna.

442. *Resp.* Nihil detrahimus Deo, agnoscimus enim nullo naturæ nostræ jure ad regna cælestia patere aditum, sed ex infinita ejus bonitate: nihil detrahimus Christo, non enim speramus salutem, nisi ejus sanguine expiati. Promissio cælestis hæreditatis tribuendæ libere facta est; subsidia ad eam assequendam gratis donata; adeo ut totum salutis opus misericordiam et bonitatem divinam commendet. Conditiones divinitus præscriptas adimplendo, jus acquirimus, quod tamen in libera Dei promissione innititur. Igitur hortatur nos Apostolus, ut bene agamus, retributionis spe: "Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis."[1]

ANIMADVERSIONES,

443. Gravis admodum est inter Theologos controversia, utrum prædestinatio ad gloriam fiat ex mera Dei benignitate, vel ex operum bonorum prævisione. Constat autem apud omnes *prædestinationem* admittendam, æternum scilicet Dei decretum de gloria quibusdam danda. "An quisquam dicere audebit," rogat Augustinus, "Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. HÆC EST PRÆDESTINATIO SANCTORUM, nihil aliud: præscientia scilicet et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur."[2] Alias dicit: "In sua quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino neque aliud quidquam est prædestinare."[3] Constat etiam prædestinatos nonnisi fide et bonorum operum exercitio vitam æternam reapse consequi, nam uti animadvertit Hieronymus in Pauli testimonium: "Vasa misericordiæ quæ præparavit *(Deus)* in gloriam, quæ vocavit etc. non salvat irrationabiliter, et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus."[4] Constat pariter gratiæ auxiliis opus esse ut actus salutares eliciantur, et ea nullo nostro meriti niti. His certissimis agnitis principiis, quærunt Theologi, utrum Deus meritorum, gratiæ auxilio comparandorum, intuitu electos ad gloriam destinaverit: vel eos gratis ad gloriam elegerit, ideoque auxilia efficacia, quibus salutis opera certò, libere tamen, perficiant, tribuerit. Molinistæ et Congruistæ plerique prædestinationem niti meritorum præscientia censent: Augustinianenses, Thomistæ, una cum Suaresio, aliisque, putant prædestinationem esse absolutum Dei decretum, quod omnem

(1) Col. iii. 23.
(2) De dono persev. c. xiv. n. 35.
(3) Ibidem c. xvii. n. 41.
(4) Ep. 150 ad Hedibiam q. 10.

meritorum præscientiam antecedit: hæc enim inde sequi, verbis Augustini, dicunt: "Quicumque ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate, discreti sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt, et in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, et si quando exorbitant, correpti emendantur."[1]

444. Ad nos quod attinet nihil certi proferre valemus, Dei enim consilia mentis nostræ aciem effugiunt. Equidem gratuitæ illi prædestinationi electorum plura Scripturæ, præsertim D. Pauli, testimonia favere videntur, quæ tamen pleraque de vocatione ad fidem haud ægre explicantur. Difficilius forsan quæ Augustinus protulit ad sensum Molinistarum reducuntur, quamvis, collatis inter se testimoniis, et præ oculis habitis quos impuguabat erroribus, verosimilis interpretatio Molinæ placitis consona data sit. Hæc quidem rationi magis congruunt, et humanam libertatem, et Dei erga reprobos misericordiam magis exhibent: ægre enim intelligitur quomodo eorum saluti consuluerit, si gratuito decreto electos ad gloriam destinaverit, ita ut nemo alius eam consequatur.[2] Cæterum tutius putamus ab his scrutandis abstinere, et absque nimia animi solicitudine in ea incumbere opera quibus electio fiat certa.

(1) L. de corrept et grat. c. viii.

(2) Presbyteriani non verentur dicere: III. "By the decree of God, for the manifestation of his glory, some men and angels are predestinated unto everlasting life, and others fore ordained to everlasting death.

IV. These angels and men, thus predestinated and fore-ordained, are particularly and unchangeably designed; and their number is so certain and definite, that it cannot be either increased or diminished.

V. Those of mankind that are predestinated unto life, God, before the foundation of the world was laid, according to his eternal and immutable purpose, and the secret counsel and good pleasure of his will, hath chosen in Christ unto everlasting glory, out of his mere free grace and love, without any foresight of faith or good works, or perseverance in either of them, or any other thing in the creature as conditions, or causes moving him thereunto; and all to the praise of his glorious grace." Presbyt. Confession. ch. iii.

CAPUT XIII. DE LIBERTATE AD MERENDUM NECESSARIA.

445. Liberum arbitrium ad meriti rationem requiri constanter docuit Ecclesia, quæ idcirco humanæ voluntatis libertatem a fato, cui eam subjiciebant Stoici, et a principiorum duorum, boni scilicet et mali, dominatu, quem statuebat Manes, vindicavit. Lutherus servum vocabat arbitrium, illudque a gratia moveri dicebat, ea ratione ut opus totum Dei foret. Calvinus idem tradidit.[1] Bajus necessitatem cum libertate componi posse censuit.[2] Jansenius docuit: "omnem omnino voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate qua dicitur necesse est ut velit, desinere esse liberum."[3] Hinc damnata est propositio ex libro ejus desumpta: "ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione."[4] Quum homo delectationis terrenæ, vel cælestis, majori vel minori pondere, necessariò agatur, juxta Jansenium, ita tamen ut voluntas lubens agat, et in consensu sibi complaceat, quin alias fieri possit, ea urgente delectatione, libertatem et meritum cum illa necessitate existere posse censuit. In eo autem Calvini plane adhæsit placitis, diversa ratione loquendi adhibita.

446. Presbyteriani docent humanam voluntatem naturali pollere libertate, et negant eam cogi, vel aliqua absoluta necessitate naturæ ad bonum vel malum determinari. Eam naturali peccati servitute liberari sola Dei gratia addunt, qua fit ut libere velit et agat bonum.[5] Spiritum Sanctum voluntatem ipsam in sanctis operari dicunt, quod, juxta Calvini mentem, videntur intelligere, ita ut repugnandi potestas absit, Deo prædestinante ut velint.

PROPOSITIO.

Ad meritum, sicut et ad demeritum, requiritur etiam in statu naturæ lapsæ, libertas a necessitate, nec sufficit libertas a coactione.

Probatur I ex Scripturis.

447. Moses Israelitis legem servandam proponens, vitæ gaudia et benedictionem cælestem illis pollicitus est, ea conditione ut legem servare eligerent: electio autem fieri nequit, si quis necessitate ad unum determinatus fue-

(1) Supra, p. 286.

(2) Prop. 39, 66, 67, inter damnatas.

(3) L. vi. de gratia Christi Servatoris, c. vi.

(4) Prop. iii.

(5) God "by his grace alone enables him freely to will and to do that which is spiritually good." Presbyterian Confession, ch. ix.

rit. "Testes," inquit, "invoco cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum."[1] Hæc illusionem continent, si homo eligendi facultate careat, utpote decreto divino et potestate determinatus.

448. Apud Ecclesiasticum dives dicitur "beatus . . . . qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino."[2] Mercedis igitur ratio est quod nulla necessitate determinatus bene egerit.

Probatur II. ex Patribus.

449. S. JUSTINUS monet ne ex Dei præscientia rerum necessitas inferatur, hæc enim fati instar, quod prorsus cum meriti ratione pugnat, rejicienda est: "Si enim fato decretum est hunc esse bonum, istum autem malum: neque hic laudandus, neque iste vituperandus"—εἰ γαρ ἑιμαρται τον δε τινα ἀγαθον εἰναι και τον δε φαυλον, οὐ ἅτος ἀποδεκτὸς, οὐδε ἐκεινος μεμπτεος. "Ac rursus nisi humanum genus facultatem habeat LIBERA ANIMI INDUCTIONE προαιρεσει ἐλευθερα,[3] et fugiendi turpia et honesta sectandi, extra noxam est quidquid egerit. Hanc igitur electionem liberam ad meritum necessariam esse judicat, eamque Mosis et Isaiæ testimoniis pergit ostendere. "Quod ergo res futuras dicimus prædictas fuisse, non eo dicimus, quod fati necessitate fiant; sed cum Deus futuras omnium hominum actiones prævideat; cumque apud eum singulos homines pro meritis actionum remuneraturum, statutum sit ut a se etiam digna actionibus præmia rependantur; per Spiritum propheticum prædicit, semper ad animi attentionem ac recordationem vocans hominum genus, seque eorum curam gerere ac illis providere demonstrans."[4]

450. S. IRENÆUS: "Gloria autem et honor, inquit, omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola, et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient quoniam operati sunt bonum, quum possent non operari illud: hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud."[5]

451. CLEMENS ALEXANDRINUS: "Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa essent, si anima non habeat liberam potestatem."[6]

452. S. CHRYSOSTOMUS: "Nonne manifestum est, sua quemque voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, et naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos præmia virtutum accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam

(1) Deut. xxx. 19.
(2) Eccl. xxxi. 8.—10, 11.
(3) Apol. i. n. 43.
(4) N. 44.
(5) L. iv. adv. hær. c. lxxi.
(6) L. i. Strom.

Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia proposita sunt, et bene operantibus retributiones."[1]

453. S. Hilarius: "Quid honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse vis quædam nobis conserta non sineret? Voluntati ergo permissa bonitas est, ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret."[2]

454. S. Optatus Milevitanus ait: "Voluntas habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere, et cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium."[3]

455. S. Hieronymus: "Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec damnatio, nec corona est."[4]

456. S. Augustinus, relatis mox laudatis Hieronymi verbis, dicit: "Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia est libertas charitatis."[5] Alias docet, "neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum."[6]—"Animæ rationali quæ est in homine dedit Deus liberum arbitrium: sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate, boni essemus. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium."[7] "Si necessitate id fecissent, nullo peccati vinculo tenerentur."[8]

457. S. Bernardus: "Unde liberum arbitrium nominatur, quod liceat aversari in his pro arbitrio voluntatis, inde homo ad promerendum potis."[9]

458. Accedit ratio et intimus omnium sensus, unusquisque enim sentit libertatem ab omni necessitatis vinculo ad meritum, et demeritum requiri, et merita augeri quo liberius fiunt virtutis opera, demerita verò pro majori libertatis exercitio.

OBJECTIONES.

459. *Obj.* 1. Augustinus de angelis dicit: "Quam porro magna sit laus adhærere Deo, ut ei vivat, inde sapiat, illo gaudeat, tantoque bono sine

(1) Hom. xxii. in Gen.
(2) In Ps. ii. n. 16.
(3) L. vii. adv. Parmenian in ipso fere principio.
(4) L. ii. contra Jovin.
(5) L. de Nat. et grat. c. lxv.
(6) L. de duabus animabus. c. xi.
(7) L. contra Fortunat. Manich. disp. 1, n. 15
(8) L. de vera Relig. c. xiv.
(9) Serm. lxxxi. in Cantica.

morte, sine errore, sine molestia perfruatur, quis cogitare digne possit aut eloqui?"[1] Ergo meritum in iis agnoscit, quin liberi sint a necessitate.

460. *Resp.* Affectus ille optimus per se laudandus est, quamvis careat merito, quum, Deo viso, necessariò oriatur. Felicem angelorum conditionem celebrare voluit Augustinus, de meritis eorum non agens.

461. *Obj.* 2. Christi voluntas ad unum determinata erat: "Ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus."[2] Ita censuit S. Thomas Aquinas.

462. *Resp.* Angelicus doctor se explicat: "Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium."[3] De morte subeunda liberum habebat arbitrium, quum Patris mandatum eum haberet consentientem. "Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam."[4]

463. *Obj.* 3. D. Thoma Aquinate docente: "Laus et vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis."[5] Ergo sufficit voluntarii perfecta ratio, quod scilicet "principum actus sit intra cum aliqua cognitione finis."[6]

464. *Resp.* Ipse se explicat angelicus doctor: "Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest, deliberans de fine et de his quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri."[7]—"Ex hoc contingit quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest."[8]

465. *Obj.* 4. Licet voluntas necessario sibi complaceat in bono vel malo, actus ejus elicitur qui bonus vel malus est, juxta rei de qua agitur naturam; proinde præmium vel pœnam meretur.

466. *Resp.* Ubicumque adest necessitas, tollitur actus dominium, ideoque omnis meriti vel culpæ ratio. Lubentia quæ a causa aliena producitur, non est actus voluntatis, quæ eam potius pati dicenda est; ideo recte

(1) L. xii. de. civ. Dei.
(2) S. Thom. in 3 Sent. Dist. 18. qu. unica Art. 2 ad 5.
(3) Sum. 3, p. qu. 18. art. 4, ad 3.
(4) Joan. x. 17.
(5) D. Thom. i, 2. qu. 6. art. 2. ad 3.
(6) Ibidem Resp.
(7) Ibidem.
(8) Ad secundum.

dixit Augustinus: " quæcumque ista est causa voluntatis, si non ei potest resisti, absque peccato ei ceditur."[1]

467. *Obj*: 5. Ad meritum vel demeritum sufficit libertas in causa. Ea verò habetur quoad peccata in Adæ voluntate, qua omnes constituti sumus rei: omne autem hominum meritum a Christi voluntate derivatum agnoscendum est.

468. *Resp.* Nulla est in causa libertas, si ipsa causa extra nostram potestatem posita sit. Equidem nihil potuimus in Ada, quum non extiterimus, ideoque nulla libertatis specie in hujusmodi causa frui censeri possumus. Quod rei nascamur, non ex aliquo libertatis exercitio oritur, sed ex naturæ quam ab Ada derivamus conditione, quæ vitiata est, et originis peccato obnoxia. Præterea quæ a singulis patrantur non fluunt necessariò ex Adæ delicto, quod occasio potius quam causa idcirco habendum: ideo singuli vel cupiditatibus reluctantur, vel iis cedunt, pro suæ voluntatis arbitrio. Meritò igitur Alexander VIII. damnavit propositionem hanc: " In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis." Ad meritum quod attinet, illud a Christo derivari fatemur, quatenus nonnisi ejus gratia possumus Deo accepti haberi; sed actus virtutum nobis exercendi sunt, ut gloriæ æternæ participes simus, et proinde libertas est necessaria. Quis autem nos in Christo libertate gavisos esse dicet?

ANIMADVERSIONES.

469. De conditionibus ad meritum aliqua sunt dicenda. Præter arbitrii libertatem, de qua mox disceptavimus, exigitur omnino justitiæ status, nemo enim qui justus non est potest aliquid a Deo promereri. " Sicut palmes," inquit Christus, " non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis."[2] Ideo dicit Augustinus: " Nulla ne sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt."[3] Exigitur insuper ut opera fiant propter Deum, saltem ut ex animi intentione ad ejus gloriam referantur: utrum autem ex speciali charitatis affectu procedere debeant, non omnino constat. Videtur satis esse ut charitate instructa anima ea faciat ut Deo gratior evadat: nec enim culpandi sunt, vel cælesti præmio indigni habendi, qui Moysis et Davidis instar, in retributionem sibi divinitus dandam respiciunt.

470. Meritum *de condigno* consuevit a doctoribus Scholæ vocari illud quod vere ac stricte meriti nomen habet: meritum *de congruo* e contra illud nuncupatur quod ex quadam æquitate et convenientia mercedem obtinet. Latiori hoc sensu fides cæteræque dispositiones justificationem me-

(1) L, iii. de Lib. arb. c. xvii.
(2) Joan. xv. 4.
(3) Ep. cxciv. c. iii. n. 6.

rentur, cor scilicet contritum et humiliatum Deus non despiciet. Ait igitur Augustinus: "Sed nec ipsa remissio peccatorum sine *aliquo merito* est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: 'Deus propitius esto mihi peccatori,' et descendit justificatus, merito fidelis humilitatis."[1]

471. Quum bonorum operum exercitio comparanda sit vita æterna, patet ea esse necessaria. Equidem animi voluntas grata et accepta habetur, deficiente occasione ea exercendi; sed omnino exigitur ut omnia Dei mandata, et munera christiani hominis quisque amplectatur. Ideo Christus eam proposuit vitæ adipiscendæ conditionem, ut quis mandata servaret: "Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata."[2] Injunxit etiam Apostolis ut fideles edocerent omnia quæ ipse illis mandaverat servanda: "docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis."[3] Nemini, licet se colenti, cœlorum aditum patere voluit, qui voluntatem Patris, quæ mandatis præcipue declaratur, implere negligeret: "Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum."[4] Quod igitur Evangelium libertatem secum ferat, intelligendum est de immunitate a ritibus Mosaicis, et legibus cæteris Israelitis speciatim datis, et a peccati servitute, adoptione filiorum nobis tributa. Legem autem sanctam nobis a Christo præscriptam servare fideliter, sub interitus æterni pœna, oportet. Ideo dicit Jacobus: "Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit."[5] Opportune animadvertit Bullus: "Hæc utinam seriò expendissent Reformatorum theologorum plerique, qui de discrimine legis et Evangelii multa scripserunt, quique, (ut salse Grotius,) in hac de justificatione controversia triumphant, quasi incognitam plurimis sæculis lucem e cœlo detulissent."[6]

472. *Supererogationis opera* consueverunt a Theologis dici illa perfectiora virtutum exercitia quæ commendata sunt, quin præcepta sint, vel quæ alia ratione præceptorum limites excedunt. Sic vendere omnia propter Christum, eaque pauperibus elargiri, laudabile est, dicente Christo: "Si vis perfectus esse vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni sequere me."[7] Nec tamen a spe cœlestis regni excidit, qui divitiis recte utitur, et pauperibus, pro suis opibus, subvenit. Castitas etiam integra, servato virgineo decore, ab Apostolo Paulo commendatur, quam tamen liberam relinquit, quum divinum desit præcep-

(1) Ep. cxciv. n. 9.
(2) Matt. xix. 17.
(3) Ibid. xxxviii. 20.
(4) Ibid. vii. 21.
(5) Jac. i. 25.
(6) Bullus in Harm. Apost. diss. post. c. xiii. § 5. citans Votum pro pace ad Art. 4.
(7) Matt. xix. 21.

tum: "Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego."[1] Eam vitæ conditionem perfectiorem agnoscunt jam Oxonienses.[2]

473. Alteri nemo potest quidquam mereri strictiori sensu, quamvis justorum precibus sæpe tribuat Deus, ut peccatores ad pœnitentiam convertantur. Ea etiam est inter justos bonorum operum societas, qua se invicem adjuvent, sancto orationis et virtutum consortio inter se conjuncti.

474. His quæ de merito bonorum operum disceptavimus quædam de præcipuis bonis operibus subjungere juvat. *Oratio, jejunium, et eleemosynæ* præsertim nobis commendantur.

CAPUT XIV. DE BONIS OPERIBUS SPECIALIBUS.

Sectio I. De Oratione.

475. *Oratio* recte definitur a Basilio, *boni cujusdam petitio, quæ a piis ad Deum effunditur.*[3] *Mentalis* oratio ea est quæ mente concipitur quin vocum aliqua formula enuntietur: *vocalis* dicitur ea quæ vocibus exprimitur. Orandi munus nobis vehementer commendavit Christus: "oportet semper orare, et numquam deficere."[4] Quomodo huic satisfiat pulchre explicat Augustinus: "In ipsa fide, spe et charitate continuato desiderio semper oramus."[5] Promissionibus amplissimis nos ad orandum impellit: "Petite et dabitur vobis."[6] "Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis."[7] Monuit ut ab ostentatione cavere-

(1) I. Cor. vii. 7

(2) "Actions of self-denial dispose the heart to prayer, prayer to the love of God, and the love of God to the knowledge of him. And this secret and heavenly knowledge, thus attained, seems alluded to in the expression, (Rev. xiv.) They sang a new song, which song no man could learn, but the hundred and forty and four thousand. Moreover it is to such as Daniel, 'the man of loves,' which are divine and not earthly, that revelations are made: and it is worthy of consideration that those who speak of the intimate connexion of Christ with his church under the type of marriage are the Baptist, St. Paul, and St. John. As if it were to the higher or virgin state of life that the mysteries signified by this figure were confided." Oxford tracts, Vol. iv. No. 80. p. 41. London, 1833, 1838.

(3) Orat. in Julittam.

(4) Luc. xviii. i.

(5) Epist. cxxx. alias cxxi. ad Probam.

(6) Mat. vii. 7.

(7) Ib. xxi. 22.

mus, et secretò Patrem cælestem invocaremus, certò exaudiendi. Hypocritis damnatis, qui in vicorum angulis palam orabant ut pietatis opinionem conciliarent, ait: "Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi."[1]

476. Formulam precum simplicem sed eximiam tradidit Christus, eos reprehendens qui inani verborum multitudine et elegantia, Ethnicorum instar, gloriabantur: "Sic ergo vos orabitis: Pater noster etc."[2]

477. *Humilis*, *fervens*, *assidua* oportet ut sit oratio ad felicem ejus effectum. Qui peccato addictus orat, nil sibi poterit polliceri, nisi auxilium quærat divinum quo animus a peccato abstrahatur. Qui justus est, omnia quæ sibi ad virtutis opera et ad salutem necessaria sunt, poterit impetrare; et alia quæcumque ad divinam gloriam referuntur, juxta supremæ providentiæ ordinem. Bona autem hujus vitæ haud certò expectanda sunt, quum regnum Dei sit imprimis exquirendum, illud verò prout Deo visum fuerit, et nobis futurum sit ad salutem utile. Quas pro aliis fundimus preces exaudiendas esse plerumque sperandum, nisi obex ab illis gratiæ divinæ objiciatur, prout sæpe contingit: ideo adnotavit Augustinus: "exaudiuntur omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum est: 'dabit,' sed 'dabit vobis."[3] Imo et Apostolus Joannes monuit non certo audiendas preces quas pro gravissime delinquentibus offerimus: "Hæc est fiducia quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis."[4]

478. Publica orationis formula in Deo colendo ab ipsis primordiis rei christianæ servata videtur, extant enim *Liturgiæ* antiquissimæ quarum substantia ad Apostolicam ætatem haud temere refertur, uti ipsi adversarii fatentur.[5] Præter sacrificandi munus consueverunt sacerdotes cum fideli populo divinas canere laudes statis diei noctisque horis, Psalmis Davidicis hymnisque sacris, una cum Scripturæ utriusque Testamenti lectionibus, martyrum rebus gestis, et patrum egregiis scriptis adhibitis ut foveretur pie-

(1) Matt. vi. 6.

(2) Ibid. v. 9.

(3) Serm. v. de verbis Domini.

(4) I. Joan. v. 14.

(5) "On the whole, then, it appears that of the existing Liturgies, one, viz. that of St. Basil, can be traced with tolerable certainty to the fourth century, and three others to the middle of the fifth; and that respecting these three a tradition prevailed, ascribing one of them to the Apostle of St. James, another to St. Mark, and the third to St. Peter." Oxford Tracts No. 63. Vol. ii.

as.[1] Hujus consuetudinis pulcherrimum monumentum in officii recitatione quod *Breviarium* dicitur, utpote ex tot libris veluti compendio facto, videre est. Illud adhuc canunt solemniter *canonici*, sacerdotes scilicet cathedralibus et aliis præcipuis Ecclesiis addicti, et Religiosorum Ordinum viri mulieresque: privatim autem recitant quotidie quotquot sacris ordinibus insigniti culpam lethalem nolunt admittere. Hanc Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem numquam intermissam admirantur Oxonienses, eamque apud suos restaurare student, heu inani conatu![2] De Liturgia et Breviario fusius, loco opportuniori, dicere nobis in animo est.

479. Quakeri preces quæ statis temporibus fiunt, rejiciunt, Spiritus divini motum expectandum dicentes.[3] Cæterum exemplo Apostolorum probatur consuetudo certis temporibus orandi, nam "hora diei tertia"[4] orantibus advenit Spiritus Sanctus; "Petrus et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam,"[5] et "ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam."[6] Judæorum hac in re exemplum secuti sunt Christifideles, præsertim Ecclesiastici qui septies in die laudes canebant Deo, ejusque implorabant opem. Recensitis horis tertia, sexta, et nona, subjungit Cyprianus; "Nobis, Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et manc orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur. . . . Recedente item sole, ac die cessante necessario rursus orandum est . . . Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum

(1) Vide Euseb. l. vii. hist. Eccl. c. xxiv.

(2) There is so much of excellence and beauty in the services of the Breviary, that were it skilfully set before the Protestant by Roman controversialists as the book of devotions received in their communion, it would undoubtedly raise a prejudice in their favour, *if he were ignorant of the circumstanees of the case*, and but ordinarily candid and unprejudiced. Gregory vii. did but restore and harmonize these offices; which seem to have existed more or less the same in their constituent parts, though not in order and system, from Apostolic times." Oxford Tracts No. 75. Vol. iii. 1835, 1836. Quæ Italicis litteris notavimus ad suis blandiendum dicta videntur, nam plenior rei notitia ad majorem admirationem ingerendam nata est. Legatur, si cui lubeat, totus ille tractatus, et ipsum Breviarium, quod Anglice reddunt eruditi hi antiquitatis cultores, sub finem Voluminis tertii.

(3) "All true and acceptable worship to God is offered in the *inward* and *immediate* moving and drawing of his own Spirit, which is neither limited to places, times or persons; for though we be to worship him always, in that we are to fear before him, yet as to the outward signification thereof in prayers, praises, or preachings, we ought not to do it where and when we will, but where and when we are moved thereunto by the secret inspirations of his Spirit in our hearts, which God heareth and accepteth of, and is never wanting to move us thereunto, when need is, of which he himself is the alone proper judge." XI. Prop. Barclay.

(4) Act. ii. 15.

(5) Ib. iii. 1.

(6) Ib. x. 9.

pigra et ignava dispendia."[1] Hieronymus de horis illis *Canonicis* orandi, ex publica Ecclesiæ consuetudine, loquitur. "Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat . . . Noctibus bis terque surgendum."[2] Eam agnoscunt probantque vehementer Oxonienses.[3]

480. Opportunum erit animadvertere publicas preces numquam permissas fuisse singulorum arbitrio, sed certa verborum formula, a qua non licuit recedere, contineri. Sapientissima hac lege et rerum divinarum dignitati et cultus decori consultum est, et populo fideli pignus quoddam datum est, preces ejusmodi esse quibus absque aliquo animi scrupulo dicere possent, 'Amen.' Extat canon concilii Milevitani II, seu potius Carthaginensis, anno 418 habiti: "Placuit etiam illud, ut preces, vel orationes, seu missæ quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint: ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum."[4] Nulla certa formula apud sectas plerasque servata, Religio irrisui est et probro, præconibus ineptias inter orandum effutientibus.[5] Anglicani eam quam a nobis mutuati sunt formu-

(1) De oratione Dominica.

(2) Ep. ad Eustochium.

(3) "The Jewish observance of the third, sixth, and ninth hours for prayer was continued by the inspired founders of the Christian church." Tract No. 75. Vol. iii.

(4) Can. xii.

(5) Quakeri formulam omnem precum, ne excepta oratione Dominica, abjiciunt, nolunt que preces etiam ex tempore fundi, nisi quatenus Spiritus aliquem impulerit. Hinc sæpe conveniunt in silentio, cœtusque solvitur, ne verbo quidem prolato: "yea, it may, and hath often fallen out among us, that divers meetings have past without one word." Ita Barclaius in vindiciis Prop XI. Aliquando se a spiritu motos existimantes, toti contremiscunt, unde nomen illis datum. Præstat verba ipsius exscribere: "When the mind sinks down, and waits for the appearance of life, and that the power of darkness in the soul, wrestles and works against it, then the good seed, as it ariseth, will be found to work as physic in the soul, especially if such a weak one be in the assembly of divers others in whom the *life* is arisen in greater dominion, and through the contrary workings of the power of darkness there will be found an inward striving in the soul as really in the mystery as ever Esau and Jacob strove in Rebecca's womb. And from this inward travail, while the *darkness* seeks to obscure the *light*, and the *light* breaks through the *darkness*, which it always will do, if the soul gives not its strength to the darkness, there will be such a painful travail found in the soul, that will even work upon the outward man, so that often-times through the working thereof, the body will be greatly shaken, and many groans, and sighs, and tears, even as the pangs of a woman in travail, will lay hold upon it; yea, and this not only as to one, but when the enemy, who when *the children of God* assemble together is not wanting to be present, to see if he can let their comfort, hath prevailed in any measure in a whole meeting, and strongly worketh against it by spreading and propagating his dark power, and by drawing out the minds

lam, mutilatam licet et mutatam, magni faciunt.[1] Dolendum in nonnullis Germaniæ provinciis, et aliis etiam in regionibus, ex innovandi studio plures inductas esse mutationes cum cultus dignitatis dispendio: quod ne apud nos contingat invigilandum omnino est, et singulorum arbitrium coercendum, ne preces ritusve inducantur novi, ab Ecclesiæ universalis consuetudine et legibus alieni.

Sectio II. De jejunio.

481. Jejunium meritò inter bona opera recensetur, quippe quod Christus Dominus exemplo verboque probavit, promissa rite jejunanti mercede. Jejunii nomine abstinentia a carnibus, et a cibis aliis extra unicam refectionem, intelligitur. Abstinentia verò servari consuevit feria sexta singulis hebdomadibus per annum, in Christi crucifixi honorem, quin refectionum diminuatur numerus.[2]

482. Tatianistæ, Encratitæ, Manichæi, Priscillianistæ, aliique primis Ecclesiæ sæculis, carnium usum omnino damnabant, eas a malo principio creatas censentes. Montanistæ jejunia alia præter ea quæ præcipiebat Ecclesia, servabant. Eustathius et Aerius, sicut et Jovinianus, Ecclesiastica spernebant jejunia. Waldenses, Lutherus, Calvinus, et plerique novatores legem jejunandi impugnarunt. Secta Anglicana dies quosdam in quibus jejunandum foret in suo kalendario servavit, plerisque eos prorsus

of such as are met from the life in them, as they come to be sensible of this power of his that works against them, and to wrestle with it by the *armour of light*, sometimes the power of God will break forth into a whole meeting, and there will be such an inward travail, while each is seeking to overcome the evil in themselves, that by the strong contrary workings of these opposite powers, like the going of two contrary tides, every individual will be strongly exercised as in a day of battle, and thereby trembling and a motion of body will be upon most, if not upon all, which, as the power of truth prevails will from pangs and groans end with a *sweet sound of thanksgiving and praise*. And from this the name of *Quakers*, i. e. *Tremblers* was first reproachfully cast upon us; which though it be none of our choosing, yet in this respect we are not ashamed of it, but have rather reason to rejoice. . . and this power would sometims also reach to and wonderfully work even in little children, to the admiration and astonishment of many." Barclay, Prop. xi. Of Worship. § viii.

(1) Hanc assignant rationem Oxonienses cur Breviarium Anglice reddiderint: "Another reason for the selections which are to follow, lies in the circumstance, that our own daily service is confessedly formed upon the Breviary." Tract, No. 75.

(2) "Most Christians who really loved their Saviour, (unless prevented by the habits of early education,) would probably see something appropriate and affectionate in the selection of the Friday for a weekly commemoration of their Saviour's sufferings, and of humiliation for their own sins that caused them." Oxford Tracts, No. 18, Vol. I.—*Thoughts on the benefits of the System of Fasting.*

negligentibus. Novissime verò Oxonienses jejunii utilitatem alte prædicarunt.[1]

PROPOSITIO.

Jejunium bonum opus est, cælesti munerandum mercede, et ideo rite ab Ecclesia præcipitur.

Probatur I. ex Scripturis.

483. Jona minante Ninive excidium, "crediderunt viri Ninivitæ in Deum: et prædicaverunt jejunium. . . . Et clamavit et dixit in Ninive ex ore regis, et principum ejus, dicens: Homines et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. . . . . Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit."[2] Illa abstinentia jejuniumque adeo strictum ex vehementi dolore profectum, Deo fuit gratum, eumque placavit. Præceptum a rege latum ut Ninivitæ jejunarent, erat procul dubio Deo maxime probatum, quum obedientibus se ostenderit propitium. At vero jejunium ab Ecclesia injunctum eumdem, inter cæteros, habet finem, ut peccator, se humiliando et puniendo, Deum reddat sibi propitium. Ergo gratissima Deo est lex qua præcipitur.

484. In libro Tobiæ commendatur jejunium cum oratione conjunctum: "bona est oratio cum jejunio."[3] Equidem ea etiam utilitas ab Ecclesia expetitur, ut jejunantes, a sensuum voluptate aliquatenus abstracti, facilius ad Deum evehantur, et in cælestium contemplatione quiescant.[4]

485. Joel propheta, populum ad pœnitentiam Dei nomine vocans, jejunium inter indicia animi dolentis recenset: "Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu."[5] Illud igitur injungens Ecclesia, Dei imitatur exemplum, imo et ejus præceptum promulgat.

486. Christus Dominus qua ratione jejunandum sit docet, et mercedem a Patre dandum pollicetur: "Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi."[6] Suos dis-

(1) "The only question open to us is,—not whether fasting be in itself beneficial, this has been determined for us by God himself, but—whether certain regulations concerning it tend to promote or to diminish its efficacy." Ibidem.

(2) Jonæ iii. 5.

(3) Tobiæ xii. 8.

(4) "The great purpose in connexion with which it is chiefly mentioned in Holy Scripture is prayer. A religious repose and a thoughtful contemplation would be a second advantage of complying in this respect with the instructions of our Church." Oxford Tracts, No. 18.

(5) Joel ii. 12.

(6) Mat. vi. 17. "Our Lord and Saviour," says Hooker, "would not teach the manner of doing, much less propose a reward for doing that which were not both holy and acceptable in God's sight." Eccl. Pol. b. v. § 72.

cipulos jejunaturos, postquam ipse se illis subduxisset, ad cœlos ascendendo, prædixit: "Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus."[1] Ecclesia igitur optimo jure id præcipit faciendum quod sponsus cælestis probavit promissa mercede, et quod faciendum prædixit.[2] Id jam agnoscunt Oxonienses.

487. Exempla Mosis, Eliæ, Danielis, Joannis Baptistæ, Pauli, et aliorum Apostolorum qui jejunia sancte servarunt, ut nihil dicamus de Christo Domino, quadraginta dies jejunante, pietatis hoc opus vehementer commendant.[3]

Probatur II. ex Patribus.

488. Theophilus Alexandrinus clam violantes jejunium Quadragesimale gravis criminis arguit: "nescientes quod etiamsi conscientiam hominum fugiant, et clausis parietibus vescantur carnibus diebus Quadragesimæ, corripiat hujuscemodi Dominus, et dicat: 'Iniquitates magnas faciunt isti, ut recedant a sanctis meis.'"[4]

489. S. Ambrosius ait: "Non leve peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere."[5]

490. S. Basilius dicit: "Omnes æqualiter et præceptum audiunt, et cum gaudio suscipiunt. Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias jejunantes describunt. Vide non propter parvam eduliorum voluptatem damnum incurras, ut ne ab angelo in numerum adscribaris, et te ipsum criminis desertoris reum ab exercitus lustratore statuas."[6]

491. S. Leo M. docet: "pium est agere non indictum; impium est negligere prædicatum."[7]

492. S. Chrysostomus: "Consuetudo res est tam facilis et expedita ut adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, et infinita crucient, et cogant vinum delibare, vel aliud jejunii lege non concessum gustare; omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum."[8]

(1) Ibid. ix. 15.

(2) "He bade his disciples to fast. Consider his implied precept, which is an express command to those who obey the law of liberty. 'When thou fasteth, anoint thy head and wash thy face, that thou appear not unto men to fast." Matt. vi. 17, 18. Oxford Tracts, No. 21. Vol 1. Mortification of the flesh, a Scripture duty.

(3) "If we take the example of the holy men of Scripture as our guide, certain bodily privation and chastisement are a very essential duty of all who wish to serve God, and prepare themselves for his presence." Ibidem.

(4) Epist. iii. Paschali.

(5) Serm. xxv.

(6) Orat. ii. de Jejunio.

(7) Serm. iii. de jejunio decimi mensis.

(8) Hom. vi. ad pop. Antioch.

Probatur III. ex constanti Ecclesiæ usu.

493. Jejunia servari consuevisse ab antiquissimis temporibus testantur plurima vetera monumenta. De iis veluti ubique servatis locutum est concilium Gangrense sæculo quarto: "Si quis eorum qui in proposito sunt continentiæ præter necessitatem corporalem, et superbiens, jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit."[1] Res jam in confesso est apud adversarios eruditiores.[2]

494. Ratio favet. Sicut cibo potuque nimio plerumque peccatur, et accenditur libido, æquum est ut abstinentia et jejunio expietur quodammodo culpa, et fomes cupiditatibus tollatur.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

495. *Obj.* 1. Deus prophetam significat se peccatorum emendationem præ jejunio velle: "Quare jejunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti?"[3] Ita de suis jejuniis nullo fructu peractis queruntur Judæi, quibus propheta nomine Dei respondet: "Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis."[4]

496. *Resp.* Utique peccatorum derelictio est jejunio anteferenda, sed et illa hoc juvatur, uti Ninivitarum ostenditur exemplo. Non ipsum jejunium culpat Deus per prophetam, sed ea quibus violabatur: "Ecce," inquit, "ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie."[5] "Non igitur," bene animadvertit S. Hieronymus, "jejunium reprobavit, sed quale vellet ostendit: neque enim ventris esuries accepta est Deo, quam lites et rapina et luxuria destruunt. . . Sanctificate jejunium etc. . . ut monstraretur jejunium sanctificari cæteris operibus, et sanctificatum

(1) Can. xix.

(2) "Regular and stated Fasts formed a part of the discipline by which, during almost the whole period since the Christian Church has been founded, all her real sons, in every climate, nation and language, have subdued the flesh to the spirit, and brought both body and mind into a willing obedience to the Law of God. They thought this Discipline necessary as an expression and instrument of repentance, as a memorial of their SAVIOUR, to "refrain their souls and keep them low," to teach them to "trust in the Lord," and seek communion with him. To this system our own Church during all her happier times adhered. The value of this remedy for sin has come to us attested by the experience, and sealed by the blood of Martyrs; who having learned thus to endure hardships, like good soldiers of Christ, at last resisted to the blood, striving against sin. Shall we, untried, pronounce that to be needless for ourselves, which the glorious Company of the Apostles, the Goodly Fellowship of Prophets, the noble army of Martyrs, the Holy Church throughout the world, found needful?" Oxford Tracts, No. 18. Vol. I.

(3) Isaiæ lviii. 3.

(4) Ibidem, v. 5.

(5) Ibidem, v. 4.

jejunium curationi proficere peccatorum."[1] Recte animadvertunt Oxonienses culpas nonnullorum qui jejunant non tollere jejunii utilitates.[2]

497. *Obj.* 2. Christus jussit ut quæ nobis apponuntur libere comedamus: "manducate quæ apponuntur vobis."[3]

498. *Resp.* Hæc dicta sunt dum mitterentur septuaginta duo discipuli, quibus regnum ejus annuntiantibus jussit Christus ut quæ illis darentur in victum libere acciperent. Eo fine dicta videntur ne dubitarent ea gratis accipere, vel circumcursarent domos, ad epulas exquirendas: "In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum."[4] Cæterum non censendus est Christus voluisse ut cibos lege Mosaica vetitos comederent, si forte aliqua apponerentur: legem enim ipse constanter servavit. Igitur intelligendus est de cibis licitis: nihil proinde contra legem de jejunio eo loci continetur.

499. *Obj.* 3. Christus dixit: "Non quod intrat in os, coinquinat hominem."[5]

500. *Resp.* Homo non inquinatur cibo quo vescitur, sed prava voluntate qua legem violat. Ita enim Adam violato mandato reus factus est, et qui cibos manducavit vetitos, lege Mosaica vigente peccavit, sicut et qui sese nimio potu vel cibo ingurgitant nunc peccant. Christus autem objecto loco negavit quemquam inquinari, eo quod manibus illotis manducet: "non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem."[6] Agebatur scilicet de consuetudine lavandi manus ante mensam, quam a discipulis neglectam querebantur Pharisæi.

501. *Obj.* 4. Apostolus plenam tribuit facultatem cibos quoscumque absque ulla conscientiæ solicitudine manducandi: "Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientam."[7]

502. *Resp.* Voluit Apostolus fidelibus eximere scrupulum de carnibus comedendis quæ in macello erant venales, vel quæ in conviviis apponebantur. Quum sæpius victimarum carnes venderentur, sacerdotibus lucrum inde quærentibus, fidelium conscientia angebatur, ne forsan carnes idolis fuissent oblatæ: sed hunc spernendum scrupulum docuit Apostolus, libereque emendas et manducandas carnes, nisi constiterit eas idolis fuisse

(1) L. ii. Contra Jovinianum.

(2) "Men may 'fast for strife and to smite with the fist of wickedness,' as they may also 'for pretence make long prayers,' yet men will not, in general, submit to inconvenience and privation, except for a real and substantial object: the world has easier paths for its followers." Tract 18.

(3) Luc. x. 8.

(4) Ibidem, 7.

(5) Matt. xv. ii.

(6) Ibidem, 20.

(7) 1 Cor. x. 25.

immolatas.[1] Ideo subjunxit: "Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam."[2] Profectò jusserunt Apostoli ut ab idolothytis abstineretur: ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων:[3] quod præceptum necessariò observandum erat.[4] Pari igitur ratione jejunandi præceptum, semel latum ab Ecclesiæ præsulibus, servandum est.

503. *Obj.* 4. Omnem de ciborum genere vel copia solicitudinem rejicit Apostolus: "Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus."[5]

504. *Resp.* Apud Corinthios, qui plerique ethnici fuerant, de idolothytis quæstio orta fuerat, quam eo loci solvit Apostolus ratione illis accommodata: nec enim in iisdem versabantur circumstantiis in quibus Antiocheni, Judæi enim magno numero Antiochiæ morabantur. Quod igitur latum est præceptum in concilio Hierosolymitano de abstinentia ab idolothytis, Antiochenos imprimis respiciebat, et alios simili in rerum conditione, ut Judæorum cum Gentibus in Ecclesia consortium facilius foret. Non ita urgendum erat, deficiente pari ratione: ideo Apostolus Corinthiis reliquit libertatem, dummodo nec in templo carnes victimarum comederent, nam participes cultus meritò haberentur, nec privatis in domibus, si offensio infirmis inde nasceretur. Cæterum animalium carnes nihil nobis conferre vel auferre merito dixit, nec enim ipsæ nos commendant Deo, nec augent vel minuunt justitiam nostram. Jejunium verò ex studio pœnitentiæ vel contemplationis cælestium rerum gratum esse Deo probant innumera testimonia Scripturarum et exempla. Id insuper animadvertendum interpretes Protestanticos censere verba illa objectionem adversariorum continere: "Hoc dicit vel in persona Corinthiorum, vel Pseudo apostolorum hoc prætexentium, cultum Dei in cibis non esse positum."[6]

(1) Ita explicat ipse Macknight: "With respect to the questions whether the meats sacrificed to idols, which were sold in the markets, might be eaten by Christians; and whether they might eat of these meats in the houses of the heathens, when set before them as a common, not as a religious meal,—he desired the Corinthians to eat whatever was sold in the shambles, without inquiring whether it had been sacrificed to idols or not—and if a heathen invited them to his house, and they were inclined to go, they were to eat whatever was set before them, asking no questions for conscience sake." View and Illustration, 1 Cor. x.

(2) Ibid. v. 27.

(3) Act. xv. 29.

(4) Ibidem 28.

(5) 1 Cor. viii. 8.

(6) Critici sacri a Matthæo Polo. Bloomfield ait: "The best commentators are of opinion that this is spoken in the person of the Corinthians, and contains the other plea (and that derived *a rerum natura*,) by which they justified their eating idol-meats." In loc. Macknight consentit.

505. *Obj.* 6. Apostolus prædixit legem aliquando ferendam qua carnes vetarentur, eamque ad dæmonem auctorem retulit: "Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur."[1]

506. *Resp.* Locutus est Apostolus de iis qui vetarent carnes tamquam a malo principio creatas, quod innuit eorum doctrinas dæmoniacas designando, et docendo cibos a Deo creatos, et omnem creaturam Dei bonam esse. "Marcionem designat et Tatianum" (ita Hieronymus Jovinianо olim respondit) "et cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, et contemnenda, et abominanda opera Creatoris."[2] Augustinus etiam Apostoli verba sic explicat: "Hos enim proprie designat, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, et earum Creatorem Deum esse negant."[3] Theodoretus discrimen inter eorum placita ac Ecclesiæ legem feliciter explicat: "Ab esu carnium et ab aliis ejusmodi abstinentiam, non similiter ac hæretici amplectitur Ecclesia. Illi enim ab iis tamquam abominandis abstinendum esse censent: Ecclesia autem nihil horum decernit."[4]

507. *Obj.* 7. Apostolus monet ut a superstitioso ciborum delectu, qui Judaismum sapit, caveamus: "Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu. . . . . Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominem, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis."[5]

508. *Resp.* Tertulliano interprete, Apostolus "taxat eos qui ex visionibus angelicis, quasi de angelica superstitione docebant, certis cibis abstinendum esse."[6] De iis qui judaicos ritus christianæ fidei adjungebant, vel qui vanis Ethnicorum figmentis fidem cultumque vitiabant, necessariò juxta verborum vim intelligendus est. Simonis magi sectatores, et cæteri Gnostici iis notati sunt. Longe ab iis differt Ecclesia, quæ nullum damnat cibum, nec corpus spernit tamquam a malo principio conditum, sed

(1) 1 Tim. iv. 1.
(2) L. II. adv. Jovin.
(3) Lib. contra Adimantum Manich. c. xiv.
(4) In epit. divin. decret. c. de abstin.
(5) Coloss. ii. 16.
(6) L. V. contra Marcion. c. xix.

e contra illud veluti templum Spiritus Sancti honorat; ea tantum commendans jejunia, quæ illud animæ subjectum teneant, et præteritos emendent excessus. Profecto Apostolus ipse Dei ministrum se exhibere studuit "in vigiliis, in jejuniis, in castitate,"[1] et corpus ne insolesceret afflictavit: "castigo," inquit, "corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar."[2]

509. *Obj.* 8. Tertullianus, Montani assecla factus, jejunia contra Ecclesiam vindicavit, solutis argumentis quæ contra ea ex Isaia et Matthæo desumebant Catholici. Ergo antiqua illa ætate Catholici ea tradebant quæ cum reformatorum hodiernorum placitis conveniunt.

510. *Resp.* Liquet jejunia a Catholicis et a Montanistis fuisse servata, eo tamen discrimine quod hi summam severitatem affectarent, cibis crudis et aridis, xerophagiis scilicet, vescentes, et nova suo arbitrio injungentes jejunia; illi verò veteri mori ab Apostolis tradito inhærerent. Eqùidem jejunia cum laude commemorantur in Hermæ scriptis aliisque documentis Apostolicæ ætatis.

511. *Obj.* 9. Eustathius a Gangrensi synodo damnatus est eo quod carnibus nollet vesci, quod tamen nulla animi contumacia contigit.

512. *Resp.* Ille cum suis asseclis nuptias et carnium usum prorsus damnabant, merito idcirco damnati; noscebantur insuper "jejunia quæ in Ecclesiis sunt constituta, comedendo contemnere." Hæc ex concilii actis habentur.

513. *Obj.* 10. Alcibiades jejunando, dum in carcere cum aliis fidelibus martyrium subituris detineretur, illis offensionem præbuit, referente Eusebio Cæsareensi.[3]

514. *Resp.* Alcibiades a carnibus prorsus se abstinebat, quæ severior vivendi ratio suspicionem principiorum Manicheismo affinium aliquando ingerebat. Ob alias plures rationes rigor ille poterat improbari.

515. *Obj.* 11. Judaismum sapit jejunandi consuetudo, præsertim servato ciborum delectu.

516. *Resp.* Omnino a Mosaico ciborum discrimine differt lex jejunii, quorumdam enim animantium carnes veluti immundæ omnino prohibitæ sunt, quum apud nos nihil sit immundum, quamvis statis diebus ab aliqui-

(1) II. Cor. vi. 6. "These were voluntary fasts; St. Paul had just spoken of *involuntary* privation, 'in hunger and thirst.' On c. vi. 5, even Calvin says, 'St. Paul doth not mean hunger which arose from want, but the voluntary exercise of abstinence.' So Whitby paraphrases v. 4, 5, 'constantly enduring all sorts of sufferings, and exercising all kinds of self-denial for the Gospel's sake.' Oxford Tracts, No. 18, Note.

(2) 1 Cor. ix. 27. "Weigh well the following text, which I am persuaded many men would deny to be St. Paul's writing, had not a gracious Providence preserved to us the epistle containing it. 'I keep under my body, and bring it into subjection; lest that by any means when I have preached to others, myself be a cast away." Ox. Tr. No. 21.

(3) Hist. Eccl. l. v. c. iii.

bus abstineamus in pœnitentis animi indicium. Jejunium quidem in die expiationis servandum præceptum est, et jejunandi mos viguit apud Judæos, sed non pertinuit ad ritus qui abrogandi erant, adveniente Christo, quum iis niteretur rationibus quæ omni Dei cultorum conditioni conveniunt. Id agnoscunt Oxonienses, qui Mosis, Eliæ et Danielis exemplis laudatis, objectioni, ea ad veterem pertinuisse legem, respondent, jejunium cum iis connecti actibus qui semper homines obligant.[1]

517. *Obj.* 12. Quæcumque dicatur utilitas jejuniorum sponte susceptorum, perperam injungitur ut quis statis diebus jejunet, a certis abstinendo cibis, et unica refectione utens: hæc enim superstitionem redolent.

518. *Resp.* Quum jejunii utilitas ratione probetur, et Scripturarum auctoritate, jure optimo injungitur ab Ecclesia, cujus est suis legibus ea curare servanda quæ nobis ad salutem prosint. Nulla autem superstitionis umbra in abstinentia a carnibus reperitur, quum eas bonas esse profiteamur, easque ægrotantibus, etiam diebus esurialibus, concedamus. Diminutus refectionum numerus ad carnem domandam admodum utilis noscitur.

519. *Obj.* 13. Sæpius esurialibus epulis magis fovetur caro, et vini et aliorum liquorum potu, qui nulla lege vetatur, libido accenditur; ex jejunandi necessitate occasione excessus derivata. Præstaret igitur injungere ut quisque sese abstineret a gratioribus cibis, et a potu, quam legem ferre jejunandi.

520. *Resp.* Esuriales cibi plerisque minus grati sunt, et minorem præbent cupiditatibus fomitem: leges autem quæ plerumque contingunt respiciunt. Ex antiqua disciplina vino uti in diebus jejunii non licuit. Quod si recentiorum temporum consuetudo rigorem illum emolliverit, omnis potatio nimia, quæ quolibet tempore est vetita, a jejunandi lege vehementer abhorret. Si quis ex jejunio occasionem ejus sumpserit, gravissimi criminis reus est: nec ideo tamen sanctissima disciplina ob quorundum excessus prorsus deserenda erit. Commendat quidem Ecclesia omnibus ut leges jejunandi districtius servent, et sibi subtrahant quidquid ad indulgentiam exquisitum videatur.

ANIMADVERSIONES.

521. Præcipuum quod viget in Ecclesia Catholica jejunium Quadragesimale est, quod ab Apostolorum temporibus derivatum merito creditur. "Nos," inquit Hieronymus, "unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus."[2] Quatuor

(1) "In the above passages, Fasting is connected with moral acts, humiliation, prayer, meditation, which are equally binding on us as on the Jews. Man is now what he was then, and if affliction of the flesh was good then, it is now." Oxford Tracts, No. 21. Vol. 1.

(2) Hier. in Ep. ad Marcellam.

anni temporibus, feria quarta, sexta, et Sabbato, jejunamus, ad divinam implorandam opem, ut fructibus terræ benedicatur, et idonei dentur Ecclesiæ ministri, hi enim consueverunt iis diebus ad sacros promoveri ordines; quam sanctam consuetudinem, jam sæculo quinto vigentem, celebravit S. Leo M.[1] Vigilias festorum dierum, eorum præcipue qui Domini Nostri Jesu Christi mysteria respiciunt, jejunio consecramus. Singulis hebdomadibus duos dies jejunio olim sanctificatos constat, feriam sextam et Sabbatum Romæ, ferias quartam et sextam plerisque in Ecclesiis Orientis, sicut et Mediolani, et in Africana Ecclesia. Abstinentia tantum feria sexta et Sabbato nunc servatur, Sabbati etiam indulgentia nonnullis locis concessa, prout apud nos, ad tempus decennii, ob causas speciales. Oxonienses alique eruditi adversarii nobis in plerisque de veteri jejunandi disciplina consentiunt.[2]

522. Carnes jejunantibus olim omnino interdicebantur, sicut et vinum. S. Basilius de jejunio disserens, ait: "Carnes non edis, a vino abstines, vesperam expectas ut cibum sumas."[3] S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: "Jejunamus, et a vino carnibusque abstinemus."[4] Sic cæteri Patres passim.[5] Apud Orientales præsertim magna erat jejunandi severitas, plerique enim a piscibus cibisque omnibus delicatioribus se abstinebant. Xerophagiæ servabantur nonnullibi, scilicet, panis, sal, et aqua tantum sumebantur diebus quibusdam majoris hebdomadæ ante Pascha. Ante tertiam horam post meridiem nihil edebant; imo in Quadragesima ad solis usque occasum servabatur jejunium. Hodierna disciplina adeo est mitigata ut jejunium solvere liceat meridie prandendo, et vespere *collatiunculam*, scilicet parvam refectionem adjicere; imo et mane consuevit poculum thè seu caffé cum panis frustulo sumi. Carnes certis diebus Quadragesimæ, ex Summi Pontificis indulto, ab episcopis conceduntur comedendæ, et aliæ obtinent consuetudines quæ a veterum severitate longe absunt. Utinam quæ superest disciplinæ sanctioris memoria nimia nostra indulgentia non penitus deleatur!

Sectio III. De eleemosynis.

523. *Eleemosynæ* adeo in veteri et novo instrumento commendantur ut de iis vix aliquid dicere opus sit. Eas intelligimus subsidia quæcumque misericorditer propter Deum data, ut alienæ inopiæ subveniatur. "Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis,"[6] dicit sacer auctor libri Proverbiorum. Daniel hortatus est Nabuchodonosorem ut operibus misericordiæ peccata

(1) Serm. vii. de jejunio sept. mensis.

(2) Vide Tract 14, 18, 21. Vide etiam eruditum Albani Butler opus "Feasts and Fasts."

(3) Hom. 1. de jejunio.

(4) Catechesi iv. Illumin.

(5) Vide apud Sardagnam Theol. Dogm. Polem. t. iv. Art. iii. Contr. vii. n. cccxxxviii.

(6) P♎ v. xix. 17.

sua solvere et expiare studeret: "Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum."[1] Vim extinguendi peccatorum incendium iis tribuit Ecclesiasticus: "Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis."[2] Tobias hortatus est filium ut eas pro facultate daret, veniæ et mercedis spe illectus: "Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. . . . Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam."[3]

524. Egregiæ sunt eleemosynarum laudes quæ novo Testamento continentur. Eas districte injungit Christus, animi emundationem inde pendere docens: "Veruntamen quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis."[4] Hortatus est ut donationum largitate intercessores pauperes apud Deum quæramus, ad æternam salutem consequendam "Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula."[5] In die judicii se veluti sibi facta dixit habiturum quæ sui causa quisque minimis discipulis fecerit, eamque gloriæ illis largiendæ causam assignavit: "Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me . . . Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis."[6]

525. Cæterum quæ eleemosynis promittuntur præmia cælestia non respiciunt quamcumque donationem, sed eam quæ fit Christi causa, ex gratiæ motu, ab homine justo. Absque charitate ad salutem non prosunt, docente Apostolo: "Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest."[7] Quæ dantur animo pœnitenti suam habent vim, ex gratiæ quippe motu procedunt, et ad justificationem disponunt, uti ex textibus supra allatis colligere est. Quæ ad humanam aucupandam gloriam dantur, nullam habent apud Deum mercedem: ideo nos monuit Christus ut ab laudum cupidine in eleemosynis largiendis caveamus.[8]

(1) Dan. iv. 24.
(2) Eccl. iii. 33.
(3) Tobiæ iv. 7—10.
(4) Luc. xi. 41. *πλην τὰ ἐνόντα δότε ελεημοσυνην.* Recentiores putant quæ poculo vel vase continentur designari, quæ scilicet si darentur in pauperum levamen, mundaret Deus corda. Vide Bloomfield in locum.
(5) Luc. xvi. 9.
(6) Matt. xxv. 34—40.
(7) I. Cor. xiii. 3.
(8) Matt. vi. 2.

526. His de bonis operibus disceptatis, finem tandem aliquando huic de gratia tractatui ponendum duximus. De arcanis Dei nec dicendum nec cogitandum curiosius; sed quæ, Ecclesia docente, revelata novimus, humili animi assensu excipienda, et ea quæ jussit implenda sedulò sunt, nec dubitandum eum nobis fore propitium. Orationis præsertim assiduitate salus nostra in tuto ponetur, quod enim haud valemus perficere, præstabit Deus, virtutem suam in infirmitate nostra roboranda ostensurus. Desinant homines æterna ejus consilia scrutari, et totum in eo ponant studium ut orando impetrent auxilium quo salutis conditiones implere valeant. Dicamus semper cum Apostolo: "O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!"[1]

527. Quamvis nulli scholæ necessariò nos addictos profiteamur, in hæreticorum solvendis objectionibus qualibet sententia catholica uti licere existimavimus. Placet nobis celebre Augustini effatum: In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas. Quod si aliquid nobis exciderit, in re adeo difficili, quod sanæ doctrinæ haud consonum reperiatur, Apostolicæ Sedis judicio, illud revocatum habendum erit: quæ enim scripsimus, sicut et quæ sumus scripturi, summo illi præsuli, qui, Petri cathedram tenens, fidei ejus hæres constituitur, ex animo subjicimus, nullum majus privilegium nobis vindicantes, quam fidei ejusdem et communionis consortium.

(1) Rom. xi. 33.

APPENDIX.

Tractatui de Gratia subjiciendas duximus propositiones de hac re quibus atras notas inussit Apostolica Sedes. Bajanas propositiones dum damnaret Pius V. animadvertit quasdam earum aliquo pacto sustineri posse, quas tamen proscripsit jure optimo, quia juxta verborum vim, et prout auctorum mens ex toto sermonis contextu colligebatur, pravum ferebant sensum: "Quas quidem sententias," inquit Pontifex, "stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. præsentium auctoritate damnamus."

Illud Baji principium, humanam naturam ab initio ita constitutam, ut jure quodam nativo, et suorum operum merito, homo, nullo supernaturali ornatus dono, vel auxilio roboratus, posset sibi vitam comparare æternam, fundamentum est et basis totius systematis. Plurimis propositionibus illud enuntiatur,[1] meritò idcirco damnatis, quum homo nullum jus naturale ad beatitudinem habeat cœlestem, et ad finem supernaturalem subsidia ejusdem ordinis requirantur.

Caput errorum aliud, huic admodum affine, fuit, operibus bonis vim inesse et valorem, ita ut per se mereantur æternam vitam, ex ipsa eorum legi divinæ convenientia.[2] Mirum est Bullum damnatam hanc sententiam, veluti a quibusdam scriptoribus Pontificiis traditam impugnare, indeque probra Catholicis objiciendi sumere occasionem: quæ sane agendi ratio ingenuum doctumque auctorem dedecet.

Aliquæ Baji sententiæ proscriptæ sunt ob acrem quam tulit in contra sentientes censuram.[3] Nec tamen contraria sententia ideo probata dicenda est, quamvis a censura illa vindicata. Sic quæ datur a plerisque Apostoli ad Romanos 2 explicatio immeritò ad Pelagium auctorem a Bajo referebatur prop. 22, quamvis sint adhuc inter Catholicos, quibus non arrideat, cum Augustino quippe de gentibus ad fidem conversis Augustinianenses illud interpretantur.

Peccato admisso peccator ad pœnam tenetur, quæ manet obligatio, seu

(1) Vide prop. 1—9, 21, 23, 24, 26, 55, 78, 79.
(2) Vide prop. 11, 12, 13, 14, 15, 17, 18, 44.
(3) Vide prop. 12, 17, 22, 24, 28, 29, 30, 37, 54, 65.

reatus, judice Bajo, etiamsi pœnitenti peccatum ipsum dimittatur. Eam tantummodo Christi morte tolli dicebat, cujus satisfactio in Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis nobis applicatur, ad remissionem peccatorum, scilicet ad pœnas remittendas peccatis debitas. Igitur animæ macula ex culpa, et ejus deletio Christi intuitu, infuso supernaturali dono justitiæ, a Bajo non agnoscebatur:[1] justificationem quippe in sola mandatorum obedientia reponebat.[2]

Peccatum dici ex oppositione legi divinæ, quin voluntatis habeatur, ratio Bajus contendit.[3] Voluntarium tamen peccatum originis parvulis dicit habituali quodam modo, eo quod voluntas eorum non sit ei contraria.[4]

Peccati sequelæ necessariæ peccati habent rationem, juxta ipsum, ideoque concupiscentiæ motus, cæteraque quæ ex primi hominis peccato fluxerunt necessariò, peccatis ab ipso accensentur.[5] Peccatorem autem semper et necessariò dominanti cupiditati obsequi, et tamen peccare tradit.[6]

Charitatem, qua quis amplectitur et servat Dei mandata, haberi posse contendit, ab homine adstricto ad pœnas peccatorum æternas.[7] Omnes actus hominis vel ex ea vel ex cupiditate perversa derivari asseruit, exclusis actibus qui dicuntur moralis tantummodo honestatis, et iis quibus homo gratiæ motibus obtemperans ad justitiam et charitatem disponitur.[8]

Quum Christus sua morte nobis meruerit pœnarum quæ peccatis debentur remissionem, quæ facimus misericordiæ vel pœnitentiæ opera, vel quod ex sanctorum communione vindicamus passionum consortium, omni illa vi, quam ex Christi gratia derivant, privare vult Bajus, et meras habere occasiones satisfactionem Christi nobis applicandi.[9] Sed de his alias fusius agendum erit.[10]

§. I.

Baji propositiones 79. *a Pio V. ann.* 1567. *damnatæ ut hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes respective.*

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

(1) Vide prop. 10, 31, 33, 42, 43, 56, 57, 58, 70, 71.
(2) Prop. 69.
(3) Prop. 46, 47.
(4) Prop. 48, 49.
(5) Vide prop. 25, 27, 28, 29, 35, 39, 50, 51, 52, 53, 74, 75, 76.
(6) Prop. 40, 41, 66, 67.
(7) Vide prop. 31, 32, 33, 70, 71.
(8) Prop. 38, 61, 62, 63.
(9) Prop. 59, 60.
(10) Vide Bergier, *Dictionnaire de Théologie, mot, Bajanisme.*

2. Sicut opus malum, ex natura sua, est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus, ex natura sua, est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera ; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, non recte vocantur gratia, quo fit ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia, sed quia secundum usum sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie & juste in hac vita mortali, usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est ; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est ; opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum sanctum ; sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis & vitæ negant: sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est, ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur,

ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur ; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiam necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio ; separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia : non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati, sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus & reatus; transeunte autem actu, nil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis; sed a Deo solo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi, a pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum; videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est, ad modum meritorium) commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua pass sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto; '*non concupisces;*' unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, 'non concupisces;' quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali.

Alexander VIII., *Summus Pontifex decreto dato die 7. Decembris 1690. damnavit 31. propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, & uti tales, prohibuit eas edoceri & ad praxim deduci sub pæna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ: Harum tredecim ad rem nostram pertinentes referendas duximus.*

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo; non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est: sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Clemens XI., propositiones 101 excerptas ex Libro reflexionum moralium, damnavit constitutione *Unigenitus*, data die 8 Sept. anno 1783. Vafritiem auctoris, Quesnelli, qui dulcissimis verbis pietatem sonantibus Jansenianum venenum insinuare studuit, exponit Pontifex in decreti exordio, quod lectoribus subjicimus.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Unigenitus Dei Filius pro nostra & totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant quasi deponentes lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibuspiam ovium velleribus obvolventes Sanctarum Scripturarum, adeoque ipsius etiam novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii patris exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur videlicet.

1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum : absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita, Domine, omnia possibilia ei cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia, in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit

ejus propriæ infirmitati imponendo ipsi suam legem ? quæ vero felicitas non est admitti in fœdus in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis ?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei quam nil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.

17. Gratia est illa vox Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnino fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo fiunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit & mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate ; jubet & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum ; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh ! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsis renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens ; *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset : ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata ; gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum : ardoris, nisi ad se præcipitandum ; virium, nisi ad se vulnerandum ; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, et sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum, adorationis, gratitudinis & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei ; sine hoc nihil, nisi impuritas ; nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato ;

adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum, est malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi; si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat, nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat; aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem sicut filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide & precibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege quam Deus condidit, propter utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet, ut caput; omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona; unus solus, Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti verbi Dei, non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus debet a Christianis sanctificari lectionibus pietatis & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis, lectione Sacrorum Librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ præsertim Evangelii : est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum : tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato : Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina plerisque Christianis, & modus eam prædicandi est veluti idioma incognitum ; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum

fidelium; nec satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinionibus hominum.

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem ejusque discipulos. Tempus hoc advenit . . . . Haberi & tractari a religionis ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium; & sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum."

Auditis itaque cum voce, tum scripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes & singulas propositiones præinsertas, tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestatem sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus: et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus & reprobamus,

ANIMADVERSIONES.

Quinque Jansenii propositiones damnatæ plerarumque Quesnelli propositionum claves haberi possunt. Quod dixit Jansenius de præceptis servatu impossibilibus insinuavit Quesnellus, Judæis quidem ea impossibilia fuisse plane dicendo, Christianis vero possibilia, quotiescumque Deus eadem in illis operatur, sine quo auxilio efficaci ipsam potentiam ea faciendi deesse dicit.[1] Interiori gratiæ numquam resisti manifestò docuit Quesnellus, gratiæ operationem omnipotentem prædicando.[2] Ad merendum vel demerendum non requiri libertatem a necessitate ex illis principiis facile deducebatur: sicut et hæresibus accensebatur catholica doctrina gratiæ posse resisti. De Christi pro electorum tantummodo salute morte plurimæ agunt propositiones Quesnelli, qui idcirco docuit nullam prorsus dari extra Ecclesiam gratiam.[3]

De impotentia hominis ad quemlibet actum morali honestate præditum, absque gratiæ impulsu, plura tradidit Quesnellus, Jansenianis placitis consona: quidquid a peccatore fit, pravum et vitiosum esse, utpote a cupiditatis mala radice, constanter docens.[4] Charitatem autem, pro Jansenianorum more, extulit laudibus, adeo ut nihil Deo aliquatenus gratum, vel nobis ad salutem utile, quod ab ea non proveniat, passim dicat.[5] Timorem Dei, etiam illum quo a peccando cohibemur, ea de causa respuit.[6]

Fidei quidem partes in salutis negotio agnoscere aliquando visus est, sed eam charitate perfectam intellexit: et voluntatis humanæ libertatem in fide amplectenda et exercenda negavit.[7]

Invisibilem justorum et electorum Ecclesiam adstruere videtur illis propositionibus quibus peccatores a Christo et a populo electo separat. [8]

Propositiones quibus studium Scripturarum commendat,[9] damnatæ sunt *ob pravam auctoris mentem*, manifestum quippe erat ex toto libro eum ideo velle ut fideles utriusque sexus et omnis vitæ conditionis sedulò Scripturis vacarent, ut a Pastorum summorum, quibus docendi et pascendi munus a Christo demandatum est, abducerentur obedientia, et suis placitis quærerent subsidia. Igitur damnatas propositiones non censendus

(1) Vide Prop. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.
(2) Prop. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 37.
(3) Vide Prop. 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 72, 73, 74, 75, 76, 77.
(4) Prop. 1, 38, 39, 40, 41, 42, 44, 45, 46, 47, 48,
(5) Prop. 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59.
(6) 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67.
(7) Prop. 68, 69.
(8) Prop. 76, 77, 78.
(9) Prop. 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86.
(10) Prop. 87, 88, 89.

foret amplecti, qui Scripturarum commendaret studium, humilitate fidei et obedientia servata.

Ut fideles a sacramentis abstinerentur, Quesnello et Jansenianis fuit solemne pœnitentiæ severioris ante communionem exigere exercitium, quam agendi rationem pluribus propositionibus commendavit.[10]

Excommunicationis quam in nova docentes tulit sedes Apostolica vim negavit Quesnellus, et se suosque vindices veritatis oppressæ haberi voluit.[1]

Quæ postrema est inter damnatas propositiones, *juxta mentem auctoris* damnata est, juramenta scilicet respicit quæ Pontifices ab omnibus Jansenismi suspicione laborantibus exigi voluerunt, ne in Ecclesiæ gremio foverentur fidei hostes. Hunc sibi ut tollerent obicem placita sua propagandi Janseniani omnino conati sunt, ideoque juramenta illa veluti laqueos infirmorum, pietatis specie improbarunt. Non igitur in censuram incurreret, qui, ab his consiliis alienus, nimiam juramentorum de muneribus rebusque civilibus frequentiam periculum pejerandi afferre quereretur.

Hanc veluti analysin, cum animadversionibus, dedimus, ut lectores Ecclesiæ mentem in novatorum placitis damnandis compertam habeant, nec innoxias propositiones, damnatis aliquando verborum sono affines, cum erroribus proscriptis confundant. Novimus in Catholicis scholis quædam propugnari quæ illis simillima videntur, sed quæ in ipsa urbe Roma, Pontifice haud contradicente, palam traduntur. Absit ut velimus quam summus Ecclesiæ in terris rector tolerat opinionum licentiam, dogmatibus in tuto positis, minuere vel improbare.

(1) Prop. 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100, 101.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.

208.9 8764
K 346 EN
KNERICK, F.P.
AUTHOR
Dogmaticae Theologiae II
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Ferreti	OCT 30
	"	DEC 18
	Aldridge	DEC 16
	Corcoran	
	STORAGE - CBP	

8764